



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

QUATTUOR CENTURIAE EPISTOLARUM


Provst Johannes Pistorius' Brevsamling
1541-1605 (1614)

Ved
A. ANDERSEN

QUATTUOR CENTURIÆ EPISTOLARUM

Provst Johannes Pistorius' Brevsamling
1541-1605 (1614)

Udgivet ved
A. Andersen



Historisk Samfund for Sønderjylland
1971

Udgivet med støtte af
Statens humanistiske Forskningsråd
og
Den Hielmstjerne-Rosencroneske Stiftelse
ISBN 87 7016 076 7

Forord

Den taknemmelighedsgæld, hvori Historisk Samfund for Sønderjylland står til pastor A.Andersen, vokser støt. Han har løst flere vanskelige opgaver, som andre før ham har måttet lade ligge. I 1964 kunne Historisk Samfund for Sønderjylland udsende A.Andersens udgivelse af "Jacob Fabricius den Yngres Optegnelser 1617-1644". Takket være en sjælden sprogbegevelse og stor energi kunne pastor Andersen trænge igennem det yderst komplicerede manuskript, der foreligger i en sammenblanding af latin og tysk, og ved en oversættelse til dansk gøre det tilgængeligt for moderne læsere. I 1966 fulgte hans udgivelse af "Johannes Oldendorphs Selvbiografi" med undertitlen "En præsteskabne fra Haderslev i hertug Hans den Ældres tid"; også her følges den latinske tekst med en dansk oversættelse.

Nu i 1971 foreligger "Johannes Pistorius' Brevsamling" indeholdende ca.400 fortrinsvis latinske breve, mest til, men også nogle fra præsten i Tetenbøl i Ejdersted Johannes Becker. Hans latiniserede navn var Johannes Pistorius. Hvert brev er forsynet med en kort indholdsangivelse på dansk.

Pastor Andersen har selv i indledningen gjort rede for de særlige problemer, denne udgivelse rummer. Her skal derfor blot tilføjes et par ord om den tekniske fremstilling af brevudgaven. Historisk Samfund for Sønderjylland er her slået ind på nye veje. Manuskriptet er med stor omhu og sjælden akkurateesse renskrevet af pastor A. Andersen selv; det er derefter blevet xeroxkopieret i 200 eksemplarer. Fremstillingen er på den måde blevet væsentligt billigere, end det havde været muligt, hvis manuskriptet skulle have passeret sætter og trykker. Også for denne praktiske indsats fortjener pastor Andersen en hjertelig tak. Hver anden side er blank med henblik på eventuel oversættelse af brevene.

Medens arbejdet har været stort, har honoraret været beskedent. Historisk Samfund har fra Statens humanistiske Forskningsråd modtaget et beløb til vederlag for pastor Andersen og fra "Den Hielmstjerne-Rosencroneske Stiftelse" et tilskud til kopieringen af manuskriptet. Historisk Samfund for Sønderjylland bringer sin tak for denne bistand, men først og fremmest skal takken rettes til udgiveren, pastor A. Andersen, der igen har åbnet vejen for sine samtidige til et værdifuldt kildemateriale af alsidig interesse.

Trues Fisk

Om Pistorius' personlige og huslige forhold beretter brevene. Han blev 14. august 1558 gift med Metta Hoyer, en søster til amtsforvalter Johannes Hoyer i Husum, og blev således besvogret med den berømte Hoyerfamilie. Der var i dette ægteskab flere børn, men kun een søn, den i brevene ofte nævnte Theodor, der døde som kapellan i Skt. Peter 1615. Når Arends siger, at Johannes Pistorius efter sin hustrus død 1596 i året 1600 blev gift for anden gang med N.N., beror dette vist på en misforståelse af et brev fra Henrik Møller i Tønning (her side 302f.), hvori denne, uden at nævne brudeparrets navne, ønsker til lykke i anledning af et bryllup. Pistorius' egen indbydelse til brylluppet (side 301f.) viser imidlertid, at det drejer sig om hans datter Catharinas bryllup. I brevene fra og til ham efter 1600 er der intetsteds hilsener til eller fra hans hustru, og i hans nedenfor nævnte Ephemeris er der heller ikke fundet eet ord om et andet ægteskab.

Foruden brevsamlingen har Pistorius efterladt denne Ephemeris historica på 400 sider (Gl.kgl.Samling 460^{Fol.}), som er nævnt nogle gange i brevsamlingen, og Rørdam i Historiske Kildeskrifter 2.R. II har givet længere uddrag af. Denne historiske dagbog er også blevet benyttet ved udarbejdelsen af personregistret til brevsamlingen, men den indeholder så meget, at den nok fortjener et nærmere (kritisk!) studium. Samme dagbog giver også svar på, hvem der har skrevet, respektive afskrevet, brevsamlingen. I Det kongelige Biblioteks katalog 1925 over håndskrifter er den opført som 'en gammel afskrift', men nu viser det sig, at håndskriften i Ephemeris er den samme som i brevsamlingen, d. v. s. at størsteparten af begge er skrevet af Johannes Pistorius selv, mens sønnen Theodor har skrevet de sidste ca. 75 breve i samlingen og gjort sine tilføjelser i Ephemeris. Begges håndskrift er så karakteristisk, at der ikke kan være tvivl om, at vi i brevsamlingen ikke har en afskrift i anden betydning end den, at Pistorius og hans søn har afskrevet modtagne breve og givet kopier af deres egne breve. Trykte arbejder fra Johannes Pistorius' hånd foreligger, så vidt vides, ikke, og når Theodor Pistorius i Ephemeris siger, at hans far ikke blot var en mand af prøvet fromhed med solide kundskaber og velbelæst, men også havde skrevet meget, må dette sidste vel forstås om hans udstrakte korrespondance.

Teologisk var Pistorius, som alle hans venner, Philippist, og det i den grad, at han kunde skrive: In his et cum his (libris Domini mei Philippi) ego errare malim, quam cum malitiosis istis (Illyrico cum omnibus suis) horridum quid sapere (side 147). Om en af dem, Joachim Westphal i Hamburg, siger han i Ephemeris, at han var en magnus, morosus et rixosus Flacianus ac inprimis infensissimus hostis D. Philippi, og han tilskriver Westphals had en episode ved dennes offentlige eksamen til magistergraden, da Melanchthon stillede ham et spørgsmål, som han ikke kunde svare på. Melanchthon sagde da til ham: Wie sittestu? Thue das flabasche (flaben) auff und antworte! Af den grund kaldte nogle ham Magister Flabascus, hvorover han blev meget fortørnet. Pistorius var en skarp modstander af Konkordieformlen og dennes hovedmand Jacob Andreae, som han kalder en 'calamitas ecclesiarum Germanicarum' (side 257). Mod andre modstandere bruger han endnu stærkere udtryk, som når han kalder Andreas Osiander et portentum og en foedissima Diaboli cloaca (side 40). Hvad Pistorius' modstandere mente om ham, får vi ikke noget at vide om af brevsamlingen, men i Ephemeris har en ukendt hånd tilføjet en bemærkning om, at kryptocalvinisten Pistorius går imod Luther, med en beklagelse af, at 'tali homini concredita est ecclesiarum Eiderostadensium inspectio, homini vafro et duplicis cordis'.

Det er ikke noget glansbillede, vi gennem brevene får af kirken nogle få årtier efter reformationen, hverken m. h. t. de teologiske stridigheder i Tyskland og dønningerne af disse i hertugdømmerne eller af forholdet mellem staten (fyrsten) og kirken og dens tjenere. Hvad det første angår, beråber alle parter sig på Skriften, men for i alt fald Philippisterne spiller Aristoteles (logikken) en stor rolle. Det er vist ikke helt ved siden af, når Johannes Hamer, som selv holdt med Philippisterne, i brev nr. 168 (side 158) klager over tidens forvendthed og siger, at teologerne lader sig lede af private sympatier og antipatier og ikke vil give efter for nogen, men hellere vil fremme sofistiske stridigheder end give sandheden palmen. Som et eksempel på det andet kan nævnes hele Peter Thomsens sag (side 312ff.) m.h.t. kirketugt. De sædelige tilstande i menighederne har det ofte stået sløjt til med. Hvordan eleverne i skolen i Lüneburg har opført sig uden for skolen, derom vidner breve derfra, og fra Tönning klages der over den ustyrlige ungdom.

Hvad nu den her foreliggende udgave af brevsamlingen angår, har jeg tilladt mig at rette mange åbenbare skrivefejl og nogenlunde at normalisere den varierende latinske ortografi. I øvrigt må brevskriverne eller afskriverne holdes ansvarlige for sprog og stil. Den endnu mere varierende tyske ortografi (hvis man kan tale om en sådan her) i de tyske partier er der ikke rørt ved; når skriverne er sachserere, kan de ikke skjule det.

Titlen 'Quattuor Centuriæ Epistolarum' er min, men sådan er samlingen anlagt. Den har 399 numre, men da to breve fejlagtigt har samme nummer, bliver det 400. Ved nærmere eftersyn viser det sig imidlertid, at der af seks af brevene findes dubletter, noget varierende, og at der foran i samlingen findes et ikke nummereret brev, så hele samlingen faktisk kun indeholder 395 forskellige numre. Tager man derimod i betragtning, at der under flere numre er samlet flere breve, kan der også tælles over 400. Men fire hundrede skulde det altså være, og for at få dette antal, er der så tilføjet 20 breve fra og til Theodor Pistorius, heraf de sidste 19 i samlingen, og et enkelt brev (fra Hermann Hoyer til Matthæus Zuber, side 324), som synes at være samlingen uvedkommende. I øvrigt er langt de fleste breve til Johannes Pistorius, af breve fra ham er der kun 52.

Brevene er, så vidt muligt, ordnet kronologisk, og der er kun ganske få tilfælde, hvor udaterede breve ikke med sikkerhed har kunnet tidsbestemmes. De fortløbende numre er understreget og håndskriftets numre for hvert brev anført over den latinske eller tyske tekst.

Til lettere orientering er der over hvert nummer givet en kort dansk sammenfatning af brevets indhold. I teksten er noterne indskrænket til det mindst mulige, idet de skønnes at være overflødige for dem, der vil benytte denne udgave. Til gengæld er der i personregistret givet en del udførligere oplysninger om de i brevene nævnte formentlig mindre kendte personer eller til identificering af de nævnte, mens der om de velkendte ikke er opgivet andet end deres navne og eventuelt årstal.

Det er med nogen ængstelse, jeg giver denne udgave af brevene fra mig. Der er kun een gang læst korrektur på renskriften, og min kone

skal have en stor tak for at have hjulpet mig med dette, men at der ikke skulde være blevet skrivefejl stående, er mere end jeg tør håbe. De, der findes, kan læserne forhåbentlig nemt rette, og skulde det være helt galt, er der i tvivlstilfælde en mulighed for at sammenligne med håndskriftet i Det kongelige Bibliotek eller en fotokopi hos Historisk Samfund for Sønderjylland i Åbenrå.

Haderslev, den 30. november 1970.

A. Andersen.

1

Petrus Joannis,¹ Rostock, 16. august 1541.

P.J. beklager den store skade, der sker ved, at studenter kommer til universitetet uden nogenlunde gode sproglige forkundskaber, og formaner den unge Becker til at beflitte sig på grammatikken.

I

Petrus Joannis Joanni Becker optimæ spei adolescentulo² S.D.

Quantum faciant damni, qui se priusquam satis mediocriter didicerint regulas grammaticas ad academias conferunt, quotidiana nos docet experientia. Commotus itaque singulari meo erga te amore, tuoque pariter in me, constitui hanc ad te dare schedulam, qua te percipere volo me vehementer etiam atque etiam cupere, ut hoc tempore diligentissime in studiis et exercitio grammatices verseris. Etsi, mi Joannes, ista studia videntur admodum puerilia et tenuia, tamen scias ejusmodi esse, sine quibus magna constare non possunt. Quare si hac in re voluntati responderis meæ, erit mihi tam gratum, quam quod gratissimum, idque ut facias te iterum rogo. His paucis Deo sis commendatus. Salutabis meo nomine omnes mihi notos, imprimis autem matrem tuam.³ Datæ Rostochii anno Christi 1541, secundo die post Assumptionem Mariæ Beatæ Virginis. Vale iterum.

¹ Muligvis den ellers ikke kendte Petrus Joannis fra Ejdersted, som studerede i Rostock 1541.

² Han var i juni 1541 fyldt 13 år.

³ Faderen, Diedrich Becker, var død allerede 1533.

2

Johannes Rischmann, Husum, 23. juli 1542.

J.R. svarer på en forespørgsel fra Johannes Becker om, hvad han skal tage hensyn eller undlade at tage hensyn til i undervisningen ved den nye skole, men ved ikke rigtig, hvad han skal råde til. Lærernes smag og behag er forskellig, og ingen finder sig i at blive kritiseret. Han mener dog, at der bør tages hensyn til, hvad eleverne har vænnet sig til, og at de ikke skal bebyrdes med at glemme det rigtige, de engang har lært. Det er ikke gjort med at terpe grammatik; frem for alt skal gode forfattere læses; der er måde med begge dele. Dr. Philipps grammatik (Melanchthons store latinske grammatik), udgivet ved Jacob Mycillus (= Micyllus), anbefales til flittigt studium.

II

Joannes Rischman Joanni Becker Lunæburgi commoranti S.D.

Duas hisce superioribus diebus abs te accepi epistolas, mi Joannes, in quibus ex me quæris, quid tibi in ea disciplina atque literarum institutione, in qua nunc versaris,¹ faciendum censeam, quid vero existimem fugiendum. Ego quid tibi in hac re consulam, prorsus ignoro. Etenim ut suum cuique pulchrum, ita etiam suus mos in instituenda

prima ac tenera aetate videtur cuique optimus ac rectissimus, neque fere quisquis est in hac facultate, qui aliorum censuram aequo animo ferre potest. Tuis illis placet ea ratio docendi, quam nunc sequuntur, ut nihil habeant commune cum reliquis, aliis vero hoc institutum displicet, ut qui satius esse ducunt multoque consultius pueros retinere in iis praeceptis grammaticis, quibus a teneris assueverunt, quaque passim in omnibus ludis literariis magno studio et docentur et discuntur, quorum posteriorum iudicium ego comprobo. Quorsum enim attinet onerare puerorum ingenia didiscendi labore earum rerum, quae semel recte didicerunt? Et quidem grammatica nullis praeceptis satis comprehendi potest, sed partim ex praeceptionibus animadvertenda, partim etiam ex observatione bonorum auctorum colligenda est. Quare nequaquam possum probare illorum institutum, qui nimis superstitiose omnia ad regulas revocant, nihil relinquentes observationi. Debet esse modus quidam in utroque genere, ut aliquid tribuamus praeceptis, ita tamen, ut satis sit ea probe intellecta novisse, non ad unam quandam praescriptam formam ea tantum pronuntiare, item aliquid etiam observationibus, quae im primis debet valere, quandoquidem praecepta primum ex observationibus nata sunt. Ego (si quid mea valeret sententia) consulere, ut grammaticam D. Philippi per Jacobum Mycillum recognitam quam diligentissime legeres. Ita futurum esset, ut neque mei consilii neque te opera tua unquam paeniteret. Interim tamen liberum esto cuique iudicium, si cui melior est sententia cordi. Haec tibi breviter respondere volui. Tu has meas ineptias boni consulito. Salutabis meo nomine diligenter Volquardum Jonæ, Petrum Schutten et reliquos mihi familiariter notos. Vale. Husii, anno 1542, Julii 23.

¹ Johannes Becker var for nylig kommet til skolen i Lüneburg.

3

Volquard Jonæ, 8. august 1544.

V.J. har haft megen nytte af en samtale med Johannes Artopoeus¹, hvis gode eksempel er ham en tilskyndelse til flid. Han har hidtil sovet og er kommet bagefter venen, men vil nu mande sig op og fjerne enhver sten fra sin vej, så venen ikke slår ham helt ud. Han omtaler en vis Elebeke, som sammen med andre synes at ville fratage eleverne alle deres privilegier, og nævner sin påtænkte afrejse til Itzehoe.

III

Volquardus Jonæ Joanni Artopoeo amico suo summo S.D.

Gnato apud Terentium, carissime Artopoe, inquit: Nunquam te accedo, quin abeam abs te doctior. Sic et ego merito dicere possum me nunquam te accedere, quin abeam doctior aut prudentior. Dicere enim non possum, quantam utilitatem ex colloquio hesterno ceperim et quantum eo incitatus sim ad diligentiam, quia video te tam studiosum, pium ac diligentem esse. Ego quoque adigor ad invigilandum literis diligentius. Dormivi hactenus, satis diu somnolentus fui, expergiscendum tandem mihi erit ac incumbendum, ne me prorsus vincas aut supprimas, quod jam fecisse videris. Uno eodemque tempore certare coepimus, nunc ego victus jaceo. Sed quid faciam? Erigam sane me ac omnem, ne me plane superes et supplantas, movebo lapidem. Scripsisti etiam ad me, optime Artopoe, de Elebeken etc., ex qua re ego aliud nihil colligo, quam quod plane in animo habeant nos omnibus nostris privilegiis privare. Ego certe nihil curo, neque tu fortasse. Sed vè

illis, qui successuri sunt nobis etc.; verum de his alias, cum licuerit, plura. De profectione Itzehoica adhuc nihil certi constitui, cum autem constituerem, te satis mature certiores faciam. Vale, mi Artopoei, dilectissime frater, ac brevitati literarum ignosce. Ex sedibus nostris 6. Augusti anno 44.

¹ I hele Lüneburgtiden bruges denne græske form for Becker, som senere ved universitetet i København blev til det latinske Pistorius, og dette navn beholdt han så for fremtiden.

4

Johannes Holmann, Lüneburg 1545.

J.H. er forelsket og betror sine kvaler til vennen. Som udtryk for deres nære venskab tillægger han dem navnene på de to græske venner Trojaneren Nisus (ham selv) og Euryalus (Artopoeus); Nisus' pige får også et græsk navn, Semnia (Semneia).

IIII

Joannes Holmannus Stadensis Joanni Artopoeo Husensi fratri suo longe carissimo S.D.

In rebus dubiis cognosce, fertur, amicam,
cum tumidis præceps navis inhæret aquis.
Hac ratione fides tua nunc cognoscitur arcta,
nam variis curis obruor ipse modo.
Desinis hic igitur mihi non tua mittere scripta,
me consolata est sed tua charta statim.
Ergo satis possum qua nunc ratione probare
hæc animi rursus pectora fida tui.
Euryalus mihi eris, præclaro ego munere Nisi
fungar; erit nullus finis amicitie.
Scribis, ut infectas Veneris gnatique relinquam,
nostra quibus torquent pectora læsa, faces.
Ingenue fateor, victus, quod dicere cogor,
vincivit nostras namque Cupido manus.
Semnia teneor, sed casto fortiter igne,
corporis illa mei saucia membra premit.
Non facilis res est, sic experientia tradit,
ut queat ardentes pellere quisque faces.
Adnitor verum totius pectoris usque
viribus, ut levior morbus hic esse queat.
Interdum prorsus desperans arma relinquo,
pello quidem flammæ pectoris ipse mei.
Rursus ad arma volo, nunc cum puer ille extraxit
spicula, nos cujus servitio premimur.
Irritus hic labor est verum, quia sedulus aptat
hic puer ignivomus in mea fata faces.
Lætitiæ attulerit quantum tua litera nobis,
quis paucis verbis exprimet illud opus?
Cum dicit thalamum non ingressura jugalem
illa, quod est vita portio magna mea,
nunc superest nobis spes longe maxima vita,
consolor verbis pectora nostra tuis.
Ah! læsi quantis animi cruciatibus uror,
angantur magna viscera nostra siti.

Unda sitim pellet non Albis cœrula nostram,
Rhene, lumens tua nec tollere possit aqua.
Antea non scivi, quidnam sit fervor amoris,
quid Paphii possint spicula diva Dei.
Illorum experior verum modo pectore vires,
quamque potens video sit Deus ille puer.
Ad quem nunc fugiam? Celeri pede limina Christi
pulsabo, dabit hic nempe salutis opem.
Scripsissem tibi plura quidem, sed flavus Apollo
nunc patrios scriptis jussit adire lares.
Ergo alias ad te, ratio cum temporis illud
concedet, dabimus carmina plura. Vale!

Ignosce erratis, nam ex tempore hæc scripta
esse te non ignorare haud dubito. Anno 45
Lunæburgi.

5

Johannes Holmann, udateret.

Af et brev til Paludan, som J.H. har afleveret til ham og selv læst, ses, at der dog i disse fordærvede tider er nogle, som eftertragter Musernes gaver. Skynd dig derfor at gå ind i deres tempel, hvor der er græsgang for din ungdom, så længe den varer; det fører til ufor-gængelig ære og berømmelse. Skønt mange latterliggør Muserne, er der dog håb om, at der kommer bedre tider, hvor de får deres dem tilkom-mende ære. Semnia nævnes, og Artopoeus' pige får tillagt navnet En-doxe. - Skrevet under et drikkelag.

V

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo amico suo imprimis colendo S.D.

Scripta Paludano tua tradita, dulcis amice,
credito, sunt oculis lecta subinde meis.
Hæc quoties vidi, superi Dii, gaudia quanta
ceperunt lætum pectus ubique meum.
Hæc res indicio est corrupto hoc tempore quosdam
contempta Aonidum munera nempe sequi.
Ergo Camenarum celeri pede tecta subito,
herba juventutis, dum vivet ipsa, tuæ.
Unde tibi veniat vitæ laus, gloria, fama,
quæ nunquam ratio temporis illa teret.
Terrebit studio a tali haud te turba maligna,
contemnit variis quæ pia regna modis.
Nam quamvis multi hoc derident tempore Musas,
artibus et nostris nullus habetur honos,
hæc reditura tamen speramus tempora læta,
cum Musis dabitur gloria justa piis.
Interea propera Musarum regna subire,
sicque tuam tollet Phocidos unda sitim.
Virginibus cupis ast imponam ut nomina Græca,
quæ nobis saltem nota duobus erunt.
Ergo tuis precibus jussus tua jussa capesso,
ignotum nomen virginibusque dedi.
Semniam dices, o dulcis amice, puellam,
quæ variis torquet pectora nostra modis.

Verum quæ misere tua viscera læsa subivit,
Endoxes pulchrum nomen habere potest.
Nominis at causam verbis tibi significabo,
cum dabitur tecum verba jocosa loqui.
Carmina, quæ cernis, sunt inter pocula scripta,
cum Reppenstedæ nos habuere domus.
Hæc igitur celeri mea carmina, care Johannes,
quæ scripsi dextra, consule, quæso, boni.
Vale.

6

Volquard Jonæ, Lüneburg, vinteren 1545.

V. P. undskylder sig for ikke at have svaret sin landsmand og ven på et brev. Han er desuden fornærmet over, at Artopoeus har beskyldt ham for at have brudt en overenskomst om øvelser; det er, efter V.J.s mening, snarere omvendt, og desuden beskyldes Artopoeus for at have forsømt V.J. og sluttet sig til andre, men han glæder sig over, nu at kunne genoptage øvelserne og bekender, at vennen er meget dygtigere end han, men han vil gøre sit bedste, når vennen begynder. Kulden tvinger ham til at sidde sammen med familien, mens han skriver, og han forstyrres af dennes samtale.

VI

Volquardus Jonæ Joanni Artopoeo conterraneo et amico suo S.D.

Incusas me, Joannes carissime, primo silentii, quod videlicet literis tuis proximis non responderim. Fecissem autem id, sed nescivi, quibus verbis me excusare deberem, nimis enim multa mihi scribis. Sed de his alias. Secundo me incusas violati foederis sive instituti nostri, verum sane adhuc incertus sum et nescio, quodnam foedus intelligas, an de Latine loquendo, an de declamando. Sed possum conijcere de declamando foedus et institutum te putare. Hic, mi Artopoe, non me incuses, sed potius te ipsum. Tu enim, si verum fateri voles, es ruptor et violator hujus nostri, ut sic vocem, foederis et instituti. Quæ est illa tanta temeritas tua, ut me accuses ejus, cujus ego te merito accusare debebam? Quin quod etiam me violatæ amicitia incuses, cum tu etiam primum eam infregeris ac violaveris me contemnendo et aliis, videlicet Holmanno, Paludano, Garzæo, Struvenio te adjungendo et cum illis conversando me neglecto. Hæc revera ita se habent, si quod res est confiteri voles. Sunt, quod agnosco et fateor, quos nominavi, non contemnendi ingenii et eruditionis et dignissimi, quorum utaris consuetudine, sed præ illis me contemnere an te deceat, tibi æstimandum relinquo. Sed de his satis. Magno autem gaudio affectus sum, mi Artopoe omnium dilectissime, cum legi ea, quibus me adeo sedulo ad exercitium stili adhortaris, quam ob rem maximas tibi ago gratias. Semper enim id ipsum ardentissime optavi, et quidem ut denuo nostra exercitia cum Latine loquendi, tum scribendi nunc epistolas, nunc declamatiunculas inciperemus. In me igitur non erit mora, et alacriter consilium et admonitionem tuam sequar. Candide tibi tribuo te multo me esse doctiorem. Ideo quod tu prius feceris, ego quantum in me erit conabor pro virili. Incipe, Dameta. Hæc ut nunc boni consulas, oro. Perturbarunt enim me scribentem familia nostra colloquia, quibus propter frigus me assidere oportet. De meo quoque in te animo sincero nihil dubitato. Die Lunæ, volente Deo, te accedam. Vale, mi Artopoe. Lunaburgi 45.

Artopoeus har ofte klaget til J.H. over hovedpine og uro i blodet og ved ikke, hvad årsagen er. J. H. siger, det er Endoxe, og den rette læge er Venus. Han skal se at få den elskede pige i sine arme. Men spøg til side! Han skal passe på sit helbred og konsultere en læge.

VII

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo fratri suo longe carissimo S.D.

Questus es ipse tui capitis mihi sæpe dolorem,
quod venæ tamquam flumina plena tument,
et quod sanguinei fugit hujus causa tumoris
te, qui tristitiæ maxima causa tuæ est.
Incedis quasi sis somno correptus inertis,
tristitiæ vultus signa severus habet.
Sed quæris causam? Præsto est tibi causa doloris,
hic fidei Vario¹ si quid habere potes.
Nam clara Phoebus medicina est, crede, repertor,
non solum doctis vatibus ille favet.
Quare si sanus fieri cupis, accipe verum
curandi, tibi quem tradit Apollo, modum.
Principio cum vult medicus curare dolorem
morbi, qui torquet languida membra viri,
sedulus inquit, morbi quæ causa, vel unde
languorem attraxit corporis ille sui.
Posthæc cum causam novit languoris acerbi,
ægroto subito pharmaca sana dabit.
Quærenda est nobis hac et ratione medela,
quo venæ minuas flumina larga tuæ.
Endoxe venas tam largo sanguine complet,
et capitis partes illa dolore premit.
Quis Phoebus verum minuet tibi sanguinis undam?
A quo consilium sedulitate petes?
In promptu est medicus, sed fert indusia longa,
quærenda a Venere est illa medela tibi.
Non opus est ferro, quo possis scindere venas,
ut largus capiti sanguis abesse queat.
Sed fac in amplexus veniat tibi cara puella,
gloria ab ingenti quæ sibi nomen habet.
Hac cura capitis magni tollentur hæmores,
sanguineas undas hæc medicina feret.
Quare quam primum pistoria compita vise,
virginis ingreditur saxea tecta tuæ.
Quod si continget, mihi justas reddere grates
qui possis reputa, gratus ut esse queas.

Sed extra jocum, mi Joannes, valetudini tuæ consule et rationem habe, et quid in rem tuam sit, considera. Quod si mihi obsequi volueris, peritum aliquem medicum hac de re consulas, ne forte incuria te ipsum in periculum aliquod conjicias, quod est tentare Deum. Ex animo te amo, ideo inprimis cupio, ut tibi quam optime sit. Vale, mi Joannes. Lüneburgi anno 45.

¹ Der synes at stå 'clarior', som jo ikke kan være rigtigt, men ordet skal formodentlig læses Vario med reference til digteren L. Varius Rufus (cf. det følgende 'vatibus').

Johannes Holmann, Lüneburg 1545.

Om den uforlignelige Semnia, kærligheden til hvem vennen har rådet J.H. til at fordrive fra sit sind, men han kan ikke.

VIII

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo amico suo unice colendo S.D.

Scribis, ut ex animo Semniā pellere flammās
incumbam nostro, ne mihi damna ferant.
Non facile factu est tales expellere flammās,
flagrantes Paphii vincere quemque faces.
Sapientis his Divos fertur læsisse potentes,
ausus et in summum bella movere Jovem.
Impulit hunc telis cygneas sumere pennas,
fecit cornupetæque induere ora bovis.
Urgentis facibus succumbo victus amoris,
hic mea calce Deus languida colla premit.
Quare contemtor nunc hanc, nunc protinus illam,
Semniā raro fertur imago mihi.
Sic etiam (ut nosti) cum Lucifer extulit ignes,
hesternus notas Phoebus adibat aquas.
In variis laribus quæsi vi nempe puellam,
cujus flamma placens pectora nostra coquit.
Verum (proh dolor) est nusquam hæc inventa puella,
quamvis quæsitæ est sedulitate, mihi.
Conditor o mundi, quis erit mihi finis amoris,
auferet a nobis quis, Deus alme, faces?
Accedo subito loca ubi genialia festa
virgineus celebrat sedulitate chorus.
Duxerat hic etenim sponsam, qui sæpe canenti
reddiderat manibus consona plectra choro.
Adfuit hic nusquam nostræ pars maxima vitæ,
pulchrarum quamvis copia magna fuit.
Posthæc quæsitæ in tecto, Semniā, fuisti,
addictum quod nunc est, Hymenæe, tibi.
Irrita (scis, quod vera loquor) fuit illa laboris
cura, viæ nostræ nam comes, Arctus, eras.
Sic igitur tristis tecum mea tecta subivi,
insomnis nox hæc et mihi ducta fuit.
Quare, si poteris, fer opem, dilecte sodalis,
sic nunquam non te fistula nostra canet.

Ignosce erratis, nam tempus ad relegendum
quidem non fuit. Vale. Lüneburgi anno 45.

9

Johannes Holmann, Lüneburg 1545.

Semnia er kommet tilbage, og J.H. har været i hendes hjem, hvor hendes far og bror har set på ham med dystre miner. Han har klaget over det til vennen, men denne har slået det hen, og det bebrejder han ham. Men den gamle skal tage sig i agt!

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo fratri suo longe carissimo
pra ceterisque amando S.D.

Cum fuerat nobis Semnīa pudica reducta
nuper, ut hic celebrant festa hymenna, domum,
me torvo vultu genitor conspexit iniquus,
cum peterem ipsius luce sequente lares.
Iratu frater vultu me aspexit eodem,
et sic (infandum) cetera turba facit,
cum potius grates decuisset reddere justas,
filia quod patri est salva reducta domum.
Id verbis autem querulis tibi significavi,
virginis ut casta mentio facta fuit.
Mendacem sed me proclamas ore superbo,
te verbis nostris nullam habere fidem.
An deceat fratrem, id dubito, mihi crede, modestum,
Euryalum vero non decuisse puto.
Hac tecum de re sed agent mea pluribus olim
carmina, cum ratio id temporis apta sinet.
Ast adjunctus heri cum nobis ipse fuisti,
dextrum hospes nobis clauderet atque latus.
Quidnam vidisti? Queo mendax anne videri
jam tibi, cui fastu corda superba tument?
Sed dicis, potes hoc animo perferre benigno?
An torvus vultus te placuisse potest?
Hunc floccifacio, credas, nec territat unquam
me facies, quamvis sit truculenta, patris.
Iratos nondum patrem sensisse poetas
judico, quid vatum et carmina saeva queant.
Non quod ego illorum me sancto dignor honore,
sed modica interdum quod mihi vena fluit.
Archilochi ad laqueum pepulerunt scripta Lycambem;
o quantas vires saevus jambus habet!
Ipsae etiam, irasci si perget, carmina (dirus
illa furor dictat) sanguinolenta dabo.
Quare prospiciat sibi, ne mihi proelia dira
iratus moveat voce sonante senex.
Quod si me contemplatur commotus amore,
firmiter ut statuit mens tamen usque mea,
aeternus fiet vir prudens carmine nostro,
posteritas laudes illius atque leget.
Non minus et nostro Semnīa carmine virtus
perpetuo, ut spero, casta futura manet.
Quare nunc valeas, fracto tamen antea fastu
mentis (scripta aequi consule nostra) tua.

Lunæburgi anno 1545.

10

Johannes Holmann, Lüneburg 1545.

kolens øvrige elever har gjort sig lystige over, at venskabet mellem
.H. og Artopoeus var gået i stykker, men nu er det ved at blive op-
rettet igen, skønt J. H. fastholder, at skylden var vennens. Denne
er blevet bedt om at beskrive bryllupsfester og har så også fortalt
ogget behageligt om Semnia; J. H. er bange for, at han har fortalt

ior meget, som ikke passer. Mange beskylder Semnia ior at have med andre at gøre, hvad han dog ikke tror; de vil bare berøve hende jomfruelig ere, men J. H. er taknemmelig for, hvad vennen skriver, hvis det da er sandt. Han vilde have skrevet mere, dog har han ikke alene tømmerskand efter soldet den foregående dag, men Struve har også fortalt ham noget om Semnia, som bedrøver ham.

X

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo, eximia eruditionis
et spectata probitatis adolescenti, Musarum cultori
et amico suo præ ceteris amando, S.D.

Nuper amicitia cum vincula soluta fuerunt
nostra, quid dixit cetera turba scholæ?
Nonne sales salsos in nos jecere putantes,
esset quod nostra finis amicitia?
Sed cujus culpa (si nobis vera fateris)
ferme ignis nostri vincula rupta forent?
Nonne tuus fastus mentis? Sed tale tacere
præstat, ne renovem vulnera sana tibi.
Ergo probata tui est animi sententia nobis,
quod cupis esse mea pars quota amicitia.
Perge, ut coepisti, nobis nam gratius illo
est nihil, et tecum cuncta pericla feram.
Præstabis nulla hoc alia ratione, sodalis,
quam ponas fastum ut pectoris ipse tui.
Odi nil etenim magis ac (mihi crede) superbos
et quorum fastu pectora Erinys agit.
Ergo si poscis conjunctio firmior ut sit,
cura, ut consensus firmior esse queat.
Indicio tamen est certo mihi prompta voluntas,
qua morem nobis sedulus ipse geris.
Nam petii, ut scriptis thalami jucunda jugalis
festa mihi velles scribere, jussa capis.
Et de Semnia, qua cinxit pectora nostra,
jucunde nobis dulcia verba refers.
Sed timeo, nimium referas ne, motus amore,
quo me prosequeris, falsa subinde mihi.
Ignoscas, quæsc, quæ scribo, dulcis amice,
nam timidum cæcus me facit usque puer.
Et multi referunt, quam judico rite pudicam,
multorum illicito semper amore frui.
Nulla fides illis sed apud me est; carpere tentant
virgineum illius sedulitate decus.
Illius mores casti mea pectora cingunt,
illius atque pudor viscera nostra tenet.
Ergo omnes valeant illius lædere famam,
candorem vitæ rodere quique volunt.
Omnes ante alias hæc pectora nostra puellas
cinxit, quas Lunæ moenia clara tenent.
Grata igitur nobis sunt hæc (si vera refers),
quæ scribis, posthac noster amicus eris.

Vale, mi Euryale, et ignoscas erratis. Plura quidem scripsissem, sed laboro adhuc ex hesternæ crapula, et non solum hanc ob causam, sed etiam quia Struvenius heri de Semnia mea, dulciore mihi mea vita, quædam rettulit, quæ animo meo tantam attulere mæstitiam, ut dici non queat. Lunæburgi anno 1545.

Om venskabet mellem J. H. og Artopoeus, som ingen aldersforskel (5 år) skal formindske eller onde tunger ødelægge. Om studium og forelskelse; Venus er en fjende af studium, men kærlighed i tugt og are skal digtene ikke forbyde.

XI

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo, optimæ indolis summæque expectationis adolescenti, amico suo præ ceteris colendo, S.D.

Sunt lata scripta fidem veterem testantia nobis,
quorundam mores et quibus ipse notas.
Non dubito, curam quod habes et semper habebis
nostri, quem fratrem sors tibi amica dedit.
Sic quoque de nostro nunquam dubitabis amore;
hunc nemo poterit debilitare malus.
Nam liceat (ut nosti) doleant hoc tempore multi,
conflata hæc Arcte quod sit amicitia.
Ipse tamen prius inficiet commissa Stadensis
semina, vel non cum fænore reddet ager,
et prius ornati complebunt æquora flores,
et pisces lætos lætus habebit ager,
antea quam nostri solventur vincula amoris.
Ah, pereant omnes, qui esse soluta velint!
Euryalus mihi semper eris, mihi semper amicus,
atque vir et juvenis, sedulus atque senex.
Disjurgent nos ætatis discrimina nulla
nullaque condicio temporis atque loci.
Carus eris, seu ver ridet, seu bruma minatur,
seu colis Eoas Hesperiasve plagas.
Idque nec immerito, nam te deprehendo fidelem,
multa tuam expertus sum ratione fidem.
Namque quotus quisque hoc reperitur tempore fidus,
cui tuto credas pectoris ima tui?
Non solum Astræa (ut dicunt) sublata recessit,
migravit πύρις nunc quoque ad astra poli.
Inter tam multos nobis tu solus haberis,
Thesëam possim cui tribuisse fidem.
Quare macte fide, juvenis carissime nobis,
atque hanc ut laudem fac superare queas.
Et nihili facito multorum dicta malorum,
carpere scommatibus quos aliena juvat.
De quibus et scribis, quos extra ac in cute novi,
ex sermone animus noscitur atque patet.
Convenit nunquam castis Venus improba Musis,
illa modis multis huic inimica choro est.
Quicumque in castris Cytherëa militat, illum
delicias constat sedulitate sequi.
Verum Piëridum turba est onerata labore,
huic sudor, nec non cura pudica placet.
Hic chorus est castus, cultores quaritat omnes
castos, virginitas perpetua huncque juvat.
Sed Venerem semper vexat vesana libido,
cultores similes atque sibi esse petit.

Quare qui cupiunt Helionica prata videre,
 scandere Pimplēi per juga summa pede,
 protinus immundæ Cytheræ castra relinquunt,
 si quondam castos huc tetulere pedes.
 Hi fugiant, hæc qui nondum intravere pudici,
 nam studiis nostris est inimica Venus.
 Non prohibent autem mea carmina amare pudice
 virgineum casto pectore site chorum.
 Namque Camænatum studiis res convenit illa,
 virginibus castas associasse Deas.
 Sed videas ne sis addictus lege puellis,
 has propter studium ut frigeat honium.
 Difficile est etenim (docet experientia quod te)
 talibus in rebus posse adhibere modum,
 quem quia te servare sciam, sed cetera turba,
 quam mihi depingis, negligit assidue,
 temnere te voces immota mente decebit,
 quas in te fundit Zoïlus ore suo.
 Latius hæc ad te sum scribere, amice, coactus,
 ut videas, quod te fidus amore colam.
 His igitur morem gerito paretoque scriptis,
 Euryali veri hoc exigit officium.

Vale, et me, ut facis, ama. Si forte fortuna erratum
 unum aut alterum sit admissum, imputato brevitati
 temporis. Sum enim aliis etiam negotiis hoc tempore
 occupatus. Lunæburgi anno 46.

12

Volquard Jonæ, Lüneburg, 1. marts 1546.

V. J. kan ikke sende de ønskede digte, dels på grund af sin drik-
 fældighed, som har skaffet ham et ondt rygte på skolen, dels fordi
 han er helt uøvet på dette område. Han må se at komme af med det
 onde rygte og vil i fremtiden, så vidt muligt, afholde sig fra alle
 gilder. Han har ikke mod til at betro sig til nogen anden.

XII

Volquardus Jonæ Joanni Artopoeo,
 conterraneo et amico suo unice colendo, S. D.

Cupis, mi Artopoeo, ut mea carmina ad te mittam, quod fieri non pot-
 est, primo propter meam bibacitatem. In ore enim est fere omnium me
 nihil aliud agere quam inebriari me cerevisia magisque dare operam
 libandis poculis quam studio literarum. Deinde etiam quia plane sum
 inexercitatus in hac re. Vellem vero exercitatum me esse. Sed sero
 sapiunt Phryges. Existimavi autem respondendum esse scriptis tuis
 soluta oratione, ne et tu me quasi bibonem incusare posses, ut noster
 Hermannus, qui hodie dixit me nihil aliud posse quam potare nihilque
 aliud didicisse quam potte leddigh maken, und konde bether uthdrincken
 also einer in der gantzen schole. Hanc sive suspicionem sive malam
 famam certe me omnibus modis ac viribus delere ac amovere oportet. Ideo
 in posterum me abstinebo ab omnibus conviviis, quantum possum, ne
 ille asinus hæc amplius de me dicere possit; effutit, quicquid ei in
 mentem, imo in buccam venit, nihil considerat, an etiam ideo irascar,
 aut ipse mentiatur. Oro te, mi frater, ut mihi condones, quod tam
 inepta scribo. Neminem enim habeo, ad quem scribere audeam. Deberem

Quare qui cupiunt Helionica prata videre,
 scandere Pimplēi per juga summa pede,
 protinus immunda Cytherēa castra relinquunt,
 si quondam castos huc tetulere pedes.
 Hi fugiant, hæc qui nondum intravere pudici,
 nam studiis nostris est inimica Venus.
 Non prohibent autem mea carmina amare pudice
 virgineum casto pectore site chorum.
 Namque Camēnatum studiis res convenit illa,
 virginibus castas associasse Deas.
 Sed videas ne sis addictus lege puellis,
 has propter studium ut frigeat Anonium.
 Difficile est etenim (docet experientia quod te)
 talibus in rebus posse adhibere modum,
 quem quia te servare sciam, sed cetera turba,
 quam mihi depingis, negligit assidue,
 temnere te voces immota mente decebit,
 quas in te fundit Zoïlus ore suo.
 Latius hæc ad te sum scribere, amice, coactus,
 ut videas, quod te fidus amore colam.
 His igitur morem gerito paretoque scriptis,
 Euryali veri hoc exigit officium.

Vale, et me, ut facis, ama. Si forte fortuna erratum
 unum aut alterum sit admissum, imputato brevitati
 temporis. Sum enim aliis etiam negotiis hoc tempore
 occupatus. Lunæburgi anno 46.

12

Volquard Jonæ, Lüneburg, 1. marts 1546.

V. J. kan ikke sende de ønskede digte, dels på grund af sin drik-
 fældighed, som har skaffet ham et ondt rygte på skolen, dels fordi
 han er helt uøvet på dette område. Han må se at komme af med det
 onde rygte og vil i fremtiden, så vidt muligt, afholde sig fra alle
 gilder. Han har ikke mod til at betro sig til nogen anden.

XII

Volcquardus Jonæ Joanni Artopoeo,
 conterraneo et amico suo unice colendo, S. D.

Cupis, mi Artopoeo, ut mea carmina ad te mittam, quod fieri non pot-
 est, primo propter meam bibacitatem. In ore enim est fere omnium me
 nihil aliud agere quam inebriari me cerevisia magisque dare operam
 libandis poculis quam studio literarum. Deinde etiam quia plane sum
 inexercitatus in hac re. Vellem vero exercitatum me esse. Sed sero
 sapiunt Phryges. Existimavi autem respondendum esse scriptis tuis
 soluta oratione, ne et tu me quasi bibonem incusare posses, ut noster
 Hermannus, qui hodie dixit me nihil aliud posse quam potare nihilque
 aliud didicisse quam potte leddigh maken, und konde bether uthdrincken
 else einer in der gantzen schole. Hanc sive suspicionem sive malam
 famam certe me omnibus modis ac viribus delere ac amovere oportet. Ideo
 in posterum me abstinebo ab omnibus conviviis, quantum possum, ne
 ille asinus hæc amplius de me dicere possit; effutit, quicquid ei in
 mentem, imo in buccam venit, nihil considerat, an etiam ideo irascar,
 aut ipse mentiatur. Oro te, mi frater, ut mihi condones, quod tam
 inepta scribo. Neminem enim habeo, ad quem scribere audeam. Deberem

quoque jam aliis de rebus tecum agere ac tuis carminibus, quæ mihi gratissima fuerunt, respondere, sed alias id faciam, modo non possum. Hæc autem boni consule, quia sum ita perturbatus etiam alias ob res, ut animum ad cogitandum nequeam instituere. His, carissime frater, vale. Ignosce ineptiis ac ruditati bonique consule usque in aliud tempus. Iterum vale, mi frater. Datæ ex ædibus nostris 1. die Martii anno 1546.

13

Johannes Holmann, Stade, 16.november¹ 1546.

J. H. er kommet hjem til Stade, træt af rejsen. Vennen skal agte på, hvad ondsindede mennesker og bagtalere siger om Holmann, og meddele ham det. Hilsener til forskellige.

XIII

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo, eximiæ probitatis et eruditionis adolescenti, amico suo præ ceteris summa fide colendo, S.D.

Quod felix faustumque sit, 16.Decembris¹ patriæ restitutus sum, eodem die cum hæc ad te scripsi, fessus itinere, male affectus tædio itineris, quod, ita me Deus amet, talem nauseam mihi adduxit, ut ad eam discutiendam spatio 8 dierum opus habeam. Scis vires meas satis languidas esse, quæ etiam exigua molestia frangi, ne dum debilitari possunt. Vide ne a proposito discedas, cura ut promissis stes, effice ne Holmannus in Artopoeo suo fidem requirat. Quod si præstiteris, muneris omnibus te in amicitia absolutum dicam. Quid malevoli et calumniatores mei de me dicant, diligenter attende, et de omnibus me certiore reddas. Sic fiet, ut nihil in te desiderare possim. Plura scripsissem, sed ex itinere plane fessus sum, alias me in scribendo cessare et frigere non videbis. Vale, et omnes, quos mihi notos esse scis, inter eos autem præcipue S. Henricum Lubecensem, Hervordiensensem Hermannum, Stanislaum, Magistrum Simonem, Casparum et quem inter primos rettulissem Jodocum Gottingensem, heram quoque totamque ipsius familiam meo nomine salvere honorifice jubebis. Salutatur te mater mea. Iterum vale, mi Euryale. Stadæ 16.Novembris¹ anno 46.

¹ Enten er datoen i begyndelsen af brevet forkert, eller den i underskriften er det (december, henholdsvis november).

14

Johannes Holmann, Stade, 29.december 1546.

Brevet er også til Semnia, Endoxe, Callima og andre unge piger i Lüneburg. J.H. ønsker at høre nyt derfra, især om D. Henriks datters bryllup. Han hører dem mumle noget om, at han er ved at blive helt græsk, men nu må han stræbe efter 'gennem Latium at komme til Grækenland'. 'Pas på jeres helbred og ærbarhed!' Imidlertid befaler han dem som til Nisus til sin broders omsorg. Tak til Artopoeus for al hjælpssomhed, som han gerne vil gengælde. Vennen bedes tage sig om-sorgsfuldt af hans elever. J. H. håber snart at komme tilbage.

XIIII

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo fratri suo, Semniæ, Endoxæ, Callimæ ceterisque παρθένους Lunæburgensibus S.D.

Si vos valetis, bene est; ego quidem (lays Superis) adhuc prospera fruor valetudine. Vehementer aveo scire, ὧ κοῦραι ἢ παρθέναι γλυκε-

παύ, quid apud vos agatur, cum sciam præterito die Solis venerabilis viri D. Henrici filiæ τὸν γάμνον celebratum esse, cui vos interfuisse cur dubitarem, cum libenter (teste musæo meo) intersitis festis hujusmodi publicis? Sed quid audio vos mussitantes me penitus jam græcari. Mirumne hoc est? cum per Latium (ut id salva honestate vobis vere pudicis dicam) recta in Græciam contendere coactus sum. Vos videte, ut curetis valetudinem et rationem habeatis honestatis, donec ad vos revertar. Interim committo vos Niso fratri meo summa fide colendo. Sed quid hic etiam hæretis? Artopoeum puto, dimidium animæ meæ et dulce decus meum etc. Vide, mi frater, etiam in summo dolore meo tecum joculari oportet, quod te æqui bonique facturum esse candor tuus et amor erga me mihi persuadet. Maximas autem tibi gratias, mi Euryale, ago, quod nequaquam negligens fuisti in expediendo et perficiendo id, quod rogavi, videlicet in mittenda cistula. Si in posterum vicissim mea opera et ope indigebis, promptum et alacrem (de quo etiam te non dubitare scio) me semper experiaris. Liber redatur Panthonio. Diligentem curam meorum puerorum habe, donec ad vos rediero. Brevi enim me subsequendum has literas puto. Sed homo proponit, Deus disponit. Vide ut exeat portas in occursum fratri tuo, cui te plus suis oculis diligit et vehementer, ut te videat, angitur. Interim, mi frater Euryale, vale, et si Holmannum cupis te amare, fac ut valetudinem cures, et videas, ne minima quidem favilla amoris tui extingatur. Stadæ 29. Decembris anno 46.

15

Georg Selmer, Lüneburg 1547.

Artopoeus studerer nu i København, G. S. har fået hans logis i Lüneburg, hvor han uforstyrret kan passe sit studium. Alle taler der godt om Johannes. G.S. vil gerne vide noget om universitetet i København og om udgifterne ved studiet der. Hilsen til (professor) Johannes Aurifaber, der jo ligesom G.S. var fra Husum.

XV

Georgius Selmerus Husensis Joanni Artopoeo Haffniæ degenti S.D.

Etsi nullum singulare argumentum scribendi mihi relictum sit, tamen nullo modo prætermittere possum, amantissime Joannes, quin aliquid literarum ad te dem, posteaquam id a me discedens petieris et ego me sedulo facturum promiserim. Facio igitur te certiozem, mi Joannes, me tibi in hospitio successisse, pro quo beneficio ago tibi gratias quam maximas habeboque semper. Nam te suasore me vocarunt et receperunt, et tuo consilio et adhortatione impulsus hanc provinciam suscepì. Nunc in studiis meis non impediòr, ut antea sæpe mihi accidit, quod certe non est exiguum quiddam. Optatius mihi cadere nihil potuit neque hoc mutarem, etiamsi mihi offeretur alicujus patricii hospitium. Ad hæc affirmo ac animum induco, si, cum primum huc venirem, hoc nactus fuisset hospitium, meliori in statu studia et res meæ essent, ac jam sunt. Quamvis tamen (id, quod non ignoras) non usque adeo somnolenter in studiis versatus sim, sed id temporis, quod mihi concessum fuit, studiis quoad fieri potuit impenderim. Sed hæc hactenus. Non possum non tibi significare, mi Johannes, quam vehementer te omnes hic, herus et hera et plerique alii prædicent et ament, præsertim heræ soror Rebecca, quæ, quoties pueri se turpiter dant sive quid nequiter committunt, statim illis dicit: Sic Joannes vos non docuit. Plura scribere modo non vacat, alias plura scribam. Scito autem me

tuas literas Stanislao tradidisse. Caspari Cimbro suas etiam obtulisse, si domi fuisset, sed profectus est in patriam. Quare eas apud me servabo, donec redierit; tum ei tradentur. Porro rogatum te volo, mi Joannes, ut mihi proximis tuis significes, quomodo academia vestra status tibi placeat, item quot nummis se quispiam ibi per annum sustentare possit; hoc si feceris, erit mihi pergratum. His vale, et cum vacat, tuas ~~me~~ dato literas. Ego tibi, quoties scripseris, respondebo. Saluta meis verbis quam officiosissime Joannem Aurifabrum atque eum ut me aliquando suis literis invisat, hortare, neque ejus literas avide expectare illi dices, quemadmodum et tuas expeto et expecto. Iterum vale meque non inter postremos tuos amicos refer. Data Lunæburgi anno Christi 47.

16

Johannes Holmann, Rostock, 28.maj 1547.

En beretning om Artopoeus' farefulde rejse til København har gjort et stærkt indtryk på J. H., som aldrig har været på havet. Han vil fortsætte sine studier, hvis krigen, som f. t. grasserer i Tyskland, tillader det. Det svirrer med rygter: Kurfyrsten (Johann Friedrich af Sachsen) skal være blevet taget til fange, men J.H. mener, det er fjendernes opspind; andre siger, han holder sig kun skjult; Wittenberg skal være blevet indtaget, mænd og kvinder, gamle og børn nedhugget, husene brændt, Bugehagen lemlæstet og død o.s.v. Melanchthon med sin hustru og Luthers enke og børn er blevet nægtet gennemrejse gennem Lüneburg; han kommer måske til Rostock eller til Königsberg. - Semnia vil ikke mere skrive til J. H., men hun gør det nok alligevel. Til sidst noget om et par studiekammerater og om boligforhold.

XVI

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo omnibus ingenii ornamentis adolescenti Haphniæ literarum studia colenti, amico imo fratri suo unice colendo, S.D.

Chorus apud Sophoclem in Antigone ait: πόνοι βροτῶν δούποναι.¹ Quidnam, frater unice animo exoptate meo, a poëta Delphico oraculo sapiente declarato sapientius et verius dici potuit? Tantis, proh dolor, miseriis et calamitatibus est referta vita humana, ut princeps Græcorum poëtarum nullum animal tot periculis et infortuniis atque hominem obnoxium esse judicavit. Idipsum omnes hodie experimur, et tu, mi frater, in periculosissima tua navigatione magis quam ipse, qui nunquam in mari fui, colligere possum, expertus es. Versatur hæc navigatio mihi noctesque diesque ante oculos, nec temere tuo periculo edoctus me unquam mari committam. Valeant Nereïdes, Thetis, Doris, Triton, Cymodoce, Neptunus denique ipse. Pergam, ut coepi, Najades, Oreades et ante omnia nostras Musas, delicias meas unicas, colere et amplexari, si modo per Martem, Deorum impiissimum et ferocissimum, licuerit, qui hoc tempore in Germania grassatur, bella et contentiones serit, cædes excitat, innocentissimum sanguinem effundit, probos et pios opprimit, improbos et foedifragos in Deum et homines extollit, victoriam eis largitur et ad summos honores evehit. Spero tamen Deum, patrem Domini nostri Jesu Christi, nos puniturum solum, non etiam occisurum; brevi, ut spero, dabit his quoque finem, et tunc adversarii nostri φιλαλάμοι sentient et experientur durum esse contra stimulos calcitrare. Rumores horum bellorum varii apud nos spar-

guntur, sed carent certis auctoribus. Major pars nostratum est adhuc inquinata papisticis deliramentis, et illi, ut saltem aliquid habeant, quo inanam spem laetent, sibi ipsis somnia fingunt; a talis farina hominibus spero confectum esse, quod de captivitate Christianissimi (hoc enim solo titulo omnes ipsius virtutes comprehendo) Ducis Electoris dicitur. Commensali enim meo domino Georgio Bonsach a patre scriptum est probata fidei homines ipsi narrasse Electorem tantum latere et suo tempore in lucem rediturum, quod iaxit Deus optimus maximus, qui nunquam sibi fidentes derelinquit. Vitebergam, atricem literarum, expugnatam esse a Juda nostro rumor hic percrebuit, et omnes, tam pueros quam senes et masculini et foeminei sexus, misere trucidatos unaque cum edificiis combustos esse. Pomeranum quoque, virum probata vita et acerrimum propugnatorem evangelii, cum sanguinari illi virilia ipsi amputassent, mortem cum vita pie committasse. Sed haec omnia conficta esse ex tabellario Lubecensi certo experimus, qui non procul ab oppugnatione Vitebergensi abfuerat. Hic Mauritium ter repulsum summo cum damno suorum et ignominia ab oppugnatione affirmat, ita ut alio traduxerit exercitum. Bohemi autem et Saxones, item Helvetii omnes sunt in armis et ingentem exercitum collegerunt. Hoc dixisse constat se omnes malle gloriose occumbere quam summa cum ignominia ferre, ut princeps ipsorum pius et clemens (his virtutibus maxime subditi favent et iis quoque moventur) captivus ducatur. Lantgravius quoque maximam copiam equitum et peditum conscripsit, quibus civitatibus confederatis opem laturus est. Bremenses, nostri dioecesiani (ut ita dicam), ab omnibus bonis viris ob virtutem laudantur et eam labem, quam ex timiditate olim sibi contraxerant, sua fortitudine rursus absterseverunt. Quatuor ex principum sanguine prognatos tormentis confecerunt, quorum postremus (ut hic rumor est) fuit Dux Ericus Brunsvicensis. Audio hunc quoque exercitum quotidie deliberare de obsidione relinquenda. In his tumultibus bellicis Musae et illarum alumni fugantur, nullibi certas sedes habent. Quis unquam futurum sibi persuasisset columnen non solum rei literariae, sed etiam theologiae, D. Philippum Melanthonem dico, unicum nostri seculi decus et omnium praecceptorem, in tantum discrimen fortunarum et capitis vocatum iri? Huic a Duce Lunsburgensi non data est facultas per ducatum iter faciendi. Id ipsum enim ab eo petierat et Lunsburgum proficisci cum uxore sua, item D. Lutheri uxore et liberis et cum plerisque aliis doctis viris, ut D. Majore, in animo habuerat. Ob quam causam id illi negatum sit, ignoro, an quia timuit Dux adversarios nostros, quibuscum foedus pepigit, hoc aegre laturos, an quia dubitavit se posse illos ab injuria et maleficio illorum, qui iter forsitan obsessuri erant, defendere. Cum tuto proficisci poterit ad nos, veniet, quod utinam verum sit. Confiderem enim te aliquando ad nos concessu Regis venturum. Si apud nos non manserit, certum est eum profecturum in Prussiam Regiomonti. Id si fiet, spero me obtenturum apud parentes, ut liceat mihi ibidem operam dare literis. Sed relictis seriis nostro more quoque parum jocabimur, hoc est, de levioribus et ridiculis agemus. Semina literas accepi, in quibus renuntiat se mihi posthac nunquam scripturam, quod ipsum animo aquisitissimo fero. Ne conjicias tamen simultatem inter me et illam ortam esse, scio eam nequaquam intermissuram, quin quam primum mihi scribat, quod si fecerit, negotium illud a te, mi frater, mihi commissum summa fide expediam. Admonitio tua gratissima mihi fuit, et ut id semper facias rogo. Maximum enim calcas ad virtutem ea mihi addet et plus me movet quam cujusquam alterius. Ex benevolo enim et minime fucato animo profectam eam esse nequaquam dubito. Postremo, ut tandem

finiam, scias me cohabitare Georgio Bonsack, et adjunximus nobis Hervordiensē Hermannum. Habituamus autem in publica domo, non in adibus collegii vel aliis. Hæc sunt, quæ scire voluisti, mi frater, et plura hoc tempore non habeo, quæ scribam, nec otium mihi suppetit. Vale, et me, ut facis, ama. Hanc brevitatem et negligentiam meam boni consulo. Novisti, quam negligens sim, ut in omnibus aliis, ita præsertim in scribendis literis. Resalutant te omnes, quos tuo nomine salutavi. Iterum vale, et valetudinis rationem ut habeas, imprimis rogo, mi Euryale. Cum festinatione datæ Rostochii profesto Pentecostes anno 1547.

¹ I marginen har afskriveren givet oversættelsen: Labores hominum infelices.

² Denne Erich var vel ikke en regerende fyrste, da de fire kun kaldes 'ex principum sanguine prognati'.

³ Hvad der her siges om hertugen af Lüneburg, passer godt nok på Erich 2., som regerede fra 1545, og på hele hans holdning i striden mellem kejseren og de protestantiske fyrster.

17

Johannes Holmann, Rostock, 10. august 1547.

Artopoeus har i et brev givet J. H. en ros, som hans medstudenter vilde grine ad, og beder ham ikke gøre det mere. - Semnia synes nu helt at have brudt med ham. Han fortæller endvidere, at han på nogle studenters anmodning daglig forelæser om Lucians græske dialoger.

XVII

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo, Euryalo et fratri perpetua fide colendo, Haffnia degenti, S.D.

Pertulit ad me hospes meus tuas literas, traditæ etiam illæ sunt, quas nautæ perferendas commiseras. Mirifica quadam voluptate (ut omnia tua scripta solent) me affecerunt, uno excepto, quod non parum me commovit. Quid enim, per Deum immortalem, nasutos quosdam nostræ academiæ Zoïlos non solum cogitare, sed quanto Sardónico risu diffluere putas, cum ἐπιγραφαὶς tuarum literarum legunt? Ab hujus enim farinæ hominibus nihil tutum est; omnia, quæ expiscantur, ipsorum cavillationibus exposita sunt. Etsi autem non dubito ea, quæcunque scribis, ex sincera voluntate et vehementis erga me amoris cæco quasi ductu proficisci, tamen illud genus hominum, quod nihil de constanti et indissolubili amicitia nostra compertum habet, te illudere mihi judicat, cum ne minimam quidem portionem eorum in me vident, quæ mihi tribuis et quibus me oneras potius quam ornas. Ego enim ne inferiorem quidem laudem earum mihi ascribere audeo. Verum esto me mediocrem in literis profectum fecisse, qua ratione autem tu id prædicabis? Notissimum est et in ore vulgi circumfertum ne quidem pote faciendam esse laudem, quam aliquis sibi ipsi tribuit. Idem in hac tua prædicatione non inepte dici potest, si dictum philosophi longe prudentissimi Aristotelis verum judicas, qui amicum definit animam in duobus corporibus. Quicquid igitur tu mihi ascribis, idem ego mihi vindicare videor. Sed omissis his ineptiis, hoc unum, mi Euryale, rogo, ne posthac hujusmodi formulis me laudandi utaris. Indignum enim judico amicitias talibus præstigiis et illectamentis verborum vel comparare, vel comparatas confirmare. Cetera in tuis epistolis quantæ mihi lætitiæ fuerint, verbis explicare nequeo, præcipue quod libertatem

recepisti, quæ omni auro, gemmis omnibusque thesauris præferenda est, nec non quod speras nos olim studia nostra collaturos esse in communem, ut scribis, patriam, quod tempus mihi ante oculos versari quotidie video. Restat igitur nihil aliud, quam ut patrem Domini nostri Jesu Christi rogemus suppliciter, ut nostrum inceptum faustum et felix sit patriæ et utile ad multorum et utriusque nostrum salutem. De eo enim nequaquam dubites tibi nullam ibi vacare provinciam. Holmannus negabit conterraneis docendo prodesse, si Euryalo suo locus non concedetur. Lunæburgo nondum accepi literas; quamprimum certior ejus rei, de qua scripsisti, factus fuero, tibi significabo. Semniam omnino a me abalienatam credo, ἀλλὰ χαίρω. Merito jam rogarem, quod tu sæpe in literis tuis rogas, ut negligentiam hanc boni consuleres, sed non judico operæ pretium, præsertim cum ad te scribo. Non præterdam occupationes, quibus tamen hoc tempore obruor. Nam, ut hoc in aurem tibi dicam, rogatu studiosorum quorundam quotidie hic Græcos Luciani dialogos prælego privatim; id ut σὺν ἀγαθῇ τύχῃ fiat, Deum optimum maximum precor. Vale, et me, ut coepisti, ama amoremque nostrum indes confirma. Rostochii anno 1547 die Laurentii.

18

Stanislaus Namslaviensis, Lüneburg, 12. oktober 1547.

Stanislaus fra Namslau i Schlesien fortæller, at hans landsmand Simon Bruns¹ vil giftes med Catharina, datter af en hollandsk præst ved Skt. Johannes i Lüneburg. Endoxe og Semnia har det godt. Han beder Artopoeus om at henvende sig til magister Johannes (Aurifaber) angående en stilling til ham som pædagog i København, da han ikke bliver i Lüneburg længere end til påske. Han har det ellers godt, men studierne forsømmes. Skolen ved Skt. Johannes er lukket på grund af begyndende pest; i Hamburg grasserer pesten frygteligt.

XXIII

Stanislaus Namslavensis Silesius Joanni Artopoeo adolescenti moribus et literis ornato S.D.

Annus fere abiit, quod nullas a te accepi literas, cum ego binas miserim, ex quo tam diuturno et fere Pythagorico silentio tuo quid divinem aut conjectem, incertum est. Cogitavi aliquoties te aut mortuum aut minus commoda uti valetudine. Sed vivere te ex conterraneo tuo (a quo mihi præter omnem spem et opinionem meam oblata est scribendi ad te occasio) intellexi. Quare unice abs te peto, si hac te suspicionem liberare velis, ut aliquando tuas ad me mittas literas, ex quibus tum silentii rationem, tum statum studiorum tuorum cognoscam, ut quid porro de amicitia nostra statuendum sit scire queam. Latere nec te volo M. Simonem Bruns¹ conterraneum meum, pulchram et honestam puellam ducturum nomine Catharinam, habitantem juxta molendinam Abbatis Domini mei in domo, quæ vulgo vocatur pferdebornische. Sponsæ pater fuit Batavus, contionator Lunæburgensis ecclesia ad Divum Johannem; hæc non minus pulchra est quam tua Endoxe aut Semnia, quæ adhuc bene recteque valent. D. Magistro Johanni scripsissem, si præ temporis angustia potuissem nisque eum propediem huc venturum scirem; eum interim meo nomine plurimum salvare jubebis. Fac, quæso, et quidem quam primum poteris, me certiosem, quis sit ipsius erga me animus et anne ibi apud vos mihi pædagogiam procurare velit; hac in re tu mihi apud ipsum prodesse plurimum posses, si sæpius illum adires eique condicionem meam aperires; non est in rem meam, diutius

ut hic morer quam ad festum Paschæ. Magnas quidem hic habeo commoditates, sed quid prosunt, studia si negligentur? Pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus fuero. Hæc scripsi (ut scriptum arguit) raptim, cum conterraneus tuus ad me veniret seque in patriam properare dixisset. Nam schola hic ad Divum Johannem ob pestem, quæ hic grassari coepit, occlusa est. Nihil tamen referendum ad pestem, quæ Hamburgi horrendum in modum grassatur. Vive, vale, meique fac sis memor. Cura in primis, ne quenquam ad nos sine tuis literas abire sinas; idem me facturum polliceor. Iterum vale. Datæ Lunæburgi 12. Octobris anno 1547.

¹ Antagelig den Simon Brun, som senere kom til at ordne de kirkelige forhold i Lüneburg. (Ernst Feddersen.)

19

Johannes Holmann, Rostock, 3. januar 1548.

En lang forklaring om J.H.s lange tavshed. Lykønskning i anledning af Artopoeus' søster Annas forestående bryllup. J.H. vil gerne have oplysninger til et digt, som Artopoeus i denne anledning har bedt ham om. - Vennen har skrevet spøgefuldt om Semnia, nu skriver J. H. til gengæld lige så spøgefuldt om hans forelskelse i Endoxe. - Om Simon Bruns hustrus død fem dage efter brylluppet; et bryllupsdigt, som Holmann havde tiltænkt dem, måtte nu blive et sørgedigt. - Sørgelige historier om fire piger i Lüneburg og en kuplerske, som har bragt den ene af dem i ulykke med en adelsmand Franz Bülow. Om et par venner; intet sikkert om landgreven og kurfyrsten.

XVIII

Joannes Holmannus Joanni Artopoeo, amico non vulgari, S.D.

Negligentia in tuenda conservandaque nostra amicitia, eo quod rarius ad te scribo, reus merito apud te fierem, nisi trita illa omnibusque usitata excusatione me hoc tempore defendere possem, idque summo jure, videlicet inopia τῶν γραμματοφόρων. Verum an culpa in tabellarios vel in eos, cui¹ hic literæ ut notis traduntur, transferenda sit, ignoro. Posteriores tamen magis accusandos esse me dicere cogit Danus quidam, qui tua familiaritate aliquandiu se usum, cum Haphniæ stipendia literarum fecerat, dixit. Hic mihi posteriores tuas literas tradidit, idque per alium, in festo, quod in memoriam circumcisionis Salvatoris nostri celebratur, cum tamen ille eas, ut ex plerisque cognovi, statim Divi Martini festo exacto a tabellione acceperat. Hæc negligentia an ex malitia, an ex oblivione orta sit, nihil certi possum pronuntiare. Si illa in causa est, naturam profecto hominis detestor, si autem ex hac proficiscitur, Endymionis somnium eum dormivisse omnino existimo. Tu autem, mi frater, mortalium omnium dilectissime, hanc culpam in me derivare noli, sed ita de fide et amore nostro, ut semper antehac fecisti, statuas. Verum his relictis ad singulas partes tuarum literarum respondebimus. Gratulor tibi, parenti omnibusque tuis amicis propter sororis tuæ Annæ nuptias easque vobis omnibus honori et delectationi esse, verum illum γαμήλιον precor. Quod autem carmen laudatorium in honorem nuptiarum a me requiris, maxime me sollicitum habet. Simul enim quid tibi debeam perpendo, pro quo etiam vitam profundere non dubitarem, nec non exilitatem ingenii et eruditionis meæ diligenti trutina examino, adhæc a poetices studio jamdudum animum patronorum meorum improbis precibus

avocavi meque totum ad graviora studia contuli, quibus olim, Deo juvante, ecclesiam Christi, quantumvis fremente diabolo, prodesse possim. Vicit tamen incredibilis tui amor tibi que morem, ut in omnibus, ita in hoc quoque, gerere statui. Cupio igitur, ut me, quamprimum poteris, de statu omnium rerum sponsi certiore facias, nec nomen interim suum omittas; hæc enim omnia requiri ad compositionem τῶν ἐπιθαλαμῶν tu non ignoras. Quod more tuo jocularis de Sennæ meisque nuptiis, agnosco benevolentiam tuam pristinam morumque comitatem. Quicquid autem Deus optimus maximus de rebus nostris statuatur, id facili animo ferendum judico. Sed heus, bone vir, quid sibi volunt muliebres illæ querelæ et devotiones propter Lunæburgensium calamitatem? Num huc tendit dolor tuus, quod omnibus ejus civitatis municipibus ita ex animo bene vis, ut tanquam alter Curtius (ita enim scribis) in discrimen capitis et salutis te conjicias teque devoveas, quo pestis, quæ apud illos sævire dicitur, cesset? Illud, me Hercule, nullis argumentis mihi persuadebis. Novi Artopoeum meum φιλοπάρθενον esse atque in primæ ætatis flore constitutum ideoque ἀκαταίας τὰς παρθένους non vulgari amore prosequi, idque optimo jure. Nam, ut inquit Aristoteles, ὁμοιον ὁμοίῳ φέλον. Sed quamnam est ex tam copioso numero virginum, cujus potissimum causa Diis inferis te devovebis? Endoxe est. O virum constantem, gravem, o juvenem philosophiæ studiis confirmatum, o sancta theologiæ doctrina imbutum, quem nec vultus instantis tyranni mente quatit solida, neque Auster, dux inquieti turbidus Adriæ, nec fulminantis magna Jovis manus! Una virguncula, quæ amatori præsentibus dulcibus quidem verbis os (ut ita dicam) oblinat, sed eum ex animo non redamat, juvenem a teneris optime institutum, in sanctissimis philosophiæ studiis educatum, cui nulla voluptas, nullæ divitiæ, nullæ mundi deliciæ imposuerunt eumque a studio honestatis retraxerunt, talem, inquam, juvenem virguncula vicit deque eo quotidie triumphat. Nam sine dubio, ut alios suos amatores tanto magis inflammet, iis præsentibus narrat, quantopere ab illo sit adamata, quibus donis illecta, qualibus blanditiis sollicitata in amorem tui etc. Sed casus doctissimi et humanissimi viri M. Simonis, præceptoris mei, monet jam a jocis supersedendum esse atque aliquantulum etiam dolori tribuendum. Copulaverat sibi matrimonio vir, ut apparet, in eo genere vitæ infelicissimus puellam luculenta forma, probatis moribus, honestis prognatam parentibus. Patrem enim, ut ex aliis intellexi, divini verbi præconem in æde Divi Joannis habuit, natione Batavum, virum inprimis pium et in sua professione non indoctum. Sed audi Parcarum crudelitatem! Primo die nuptiarum ægrotare coepit virgo, non sine maxima animi Brunonis perturbatione. Sperabant tamen omnes eam pristinam recepturam valetudinem. Postero die, qui proprius sponsæ vulgo dicitur, ter quaterque vertigine capitis dementata inter ducendum choreas concidit. Quid animi tum fuisse viro optimo et humanissimo putas, qui ignotorum etiam malis ut nullus alius afficiabatur? Hic sine dubio maximo dolore in eo casu sponsæ suæ consternatus est, quam propter multas animi et corporis dotes non aliter nec minus quam seipsum amabat. Sed quid multis moror? Virgo in festo nuptiali quinto die septimanæ vitam cum morte commutavit et ad superiores concessit. Paraveram autem ipsi statim post festum Michaëlis, cum rumor eum copulaturum sibi puellam matrimonio perferretur ad nos, epithalamion rudi quidem vena editum, ut qualicumque munere nuptias suas cohonestarem, verum jam video mihi de epicedio cogitandum esse. Nuper tamen literis eum, quoad potui, consolatus sum, ad quas nondum mihi respondit. Quoniam vero in Lunæburgensium mentionem incidimus, non judicavi prætereundum, quin tibi

de novitatibus quibusdam huc ad nos allatis scriberem, quas cum audies, puellas ejus urbis ἰπποκράτειν omnino dices. Nosti sine dubio Petrum Fincken, honestum et gravem virum, apud quem Franciscus Dux Saxonie Louwenburgensis jure hospitii utitur. Hic (nisi fallor) tres filias forma conspicuas ex conjugē sua sustulit, quarum medię ætatis puella vix annos 18 nata a nobili quodam stuprata est. Digna quoque Xantippe nostra poenas propter innumera, quę in me contulit mala Deo solvit. Deprehensa enim est in stupro cum ædituo ædis dedicatę Spiritui Sancto, cujus nomen ignoro, in ovili, quod extra salinam portam constructum est. Ad hęc filiam Rabekes, quam diu virginitatem violasse sæpe dictum est, gravidam esse ferunt. Sed mane, mane, nondum omnia audivisti, multo majora et graviora adhuc restant. Nam omne animi vitium (ut canit Satyricus) tanto conspectius in se crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. Non solum humilis conditionis puellis zona virginea impudice solvitur, sed et procerum summatumque filię parentibus dedecori et pudori sunt. Pulcherrimus et undique adblandicus ætatis flos Emerentia Dithmers, quę, cum nos vitam Lunaburgi agebamus, honeste et pie vitam instituit, a nobili quodam ejus ducatus e familia Buelow inhoneste amata dicitur et compressa. Sed audi ejus stupri causam et originem sive occasionem. Filia senatoris Helmoldi Lampen, quę seorsim a parentibus, stulto ipsorum consilio, in aliis ædibus excipiebat hospites advenientes, et eos non quoslibet, sed imaginibus majorum claros, vel qui nobilitatem opibus et nummis æquabant, Emerentiam ad flagitium illud pellexit. Diverterat ad hanc quoque Franciscus Buelow (illud enim ejus nomen esse comperi) cum alio quodam adolescente nobili, qui cum consilia sua cum hospita conferrent, qua via ac modo Emerentia, quę in vicinis, ut nosti, ædibus habitabat, ad se adduci posset, Anna Lampen dolis et technis effectum, quod puella honesta adducta est, matre nesciente causam, cui dolosis verbis imponebant. Apparatur convivium splendidum, accumbunt, cibo et vino exhilarantur, puellę deinde, sublata mensa, urgentur etiam ad largius potendum. Quid autem non ebrietas designat? Operta recludit. Obrutas puellas nimio vino ad thalamos ducunt. Cetera quis nescit? Res profecta miseranda. Ambe autem, ut rumor apud nos increbuit, pepererunt. Alia, quę ad hanc rem pertinent, ex aliis melius cognosces. Casparem Cimbrum, unum ex meis intimis, tecum ibi conjunctissime vivere apprime gaudeo ejusque salutem mihi per te annuntiatam non sine tacita gratulatione suscipi eique omnia læta et prospera rursus opto. Stanislaum quoque meo nomine saluta, si apud vos vivit. De Volchmaro tuo, ne et hoc silentio præteream, nihil compertum habeo. Ille enim, ut ex conterraneis suis audivi, oppressus ære alieno aufugit insciis et hero et conterraneis et omnibus aliis, quibuscum illi res erat; cum literis ad ipsum, quid mihi faciendum sit, rescribe. De Landtgravio et Duce Electore nos nihil certi habemus. Sed quid nunc ais, Artopoeë? Nunc et reprehende Nisum tuum propter brevitatem literarum, cum et nauseam et fastidium ex his literis, cum propter alias ineptias, tum præcipue propter prolixitatem, contrahas. Quoniam autem video, te id velle, non gravatim hunc laborem suscepi. Statum academię vestrę quamprimum ut sciam, literis cura, ita nomina professorum et lectiones in qualibet facultate et philosophia. Hoc enim Christophorus, conterraneus meus, apud quem hoc tempore habito, scire cupit, qui etiam tibi salutem precatur. Cum otium habueris, ipsi quoque scribas. Vale, mi frater, et amorem nostrum indes conserva et confirma. Datę Rostochii 3. Januarii anno 1548.

¹ Sic! i stedet for quibus.

Paul Noviomagus, Kolding, 10.februar 1548.

Johannes Pistorius¹ formanes til trofast at tage sig af P. N.s ting, som denne har betroet ham. Dr. Cornelius (ab Hamsforts) hus udlejes af dr. Christiern (Morsing) til en anden; Pistorius skal passe godt på, at de ny beboere ikke ødelægger eller fjerner noget af P. N.s ejendele, som hellere må bringes i sikkerhed i Alheids hus. Hvis Pistorius ikke kan blive boende i huset, må han se sig om efter en anden bolig, f.eks. hos Alheid; dette hus er bestemt til P.N.

XX

M. Paulus Noviomagus studioso ac pio adolescenti Joanni Pistorio¹
Haphniæ degenti S.D.

Salutem et pacem per Christum nostrum redemptorem. Docte domine Johannes, scis, qua fiducia tradiderim tibi rerum mearum curam. Fac igitur, ut te talem, tam fidum, quam animo conceperam, inveniam. Non ero (rediens) fidelis officii immemor; si possum, promovebo te ad altiora. Vide etiam, ut tibi ipse non desis. Cura diligenter tua studia, in artibus bono ordine procede, ne cupias tumultuarie confuseque multa simul et semel perlegere. Hoc enim quam sit noxium, ego expertus novi. Melius est pauca exacte quam multa tenuiter didicisse. Neque est omnibus omnia novisse datum. Sequere igitur semina tuæ naturæ; hæc exercitatione quotidiana acue, perfunde, riga, ut fructus suo tempore ecclesiæ et reipublicæ utiles producant. Amen. Domus Doctoris Cornelii ad festum Paschæ a Doctore Christierno alteri locabitur. Vide igitur, si interim non venero, ne quid a novis inhabitatoribus mearum rerum corrumpatur aut distrahatur. Evehantur potius omnia in domum Alheidis, ibique diligenter include vasis aut impone ea in uno cubiculorum domus Alheidis, quo ipsa non utitur, ut sic occlusa janua conservari omnia illæsaque permanere possint. Prospicias et tibi de habitatione commoda, si te ferre noluerint. Puto apud Alheidem, quæ domus mihi assignata est. Vale corpore et anima felicissime. Coldingæ 10. Februarii anno 1548.

¹ Fra nu af hedder Artopoeus altid Pistorius, undtagen i nogle breve fra gamle venner og bekendte fra tiden i Lüneburg.

21

Paul Noviomagus, Kolding, 17.marts 1548.

Tak for en meddelelse om hans ting og for en afhandling. Han har for en kort tid overladt sit hus i leje til dr. Rembert (Gilsheim). Pistorius skal have øje med det.

XIX

M. Paulus Noviomagus contionator Regius Joanni Pistorio Husensi,
studio et docto adolescenti, S. D.

Salutem per Christum redemptorem nostrum. Domine Johannes, præter eruditam, quam scripsisti mihi, disputationem rem gratam fecisti scribens de statu mearum rerum. Laudo tuam diligentiam, fere nimiam, quam præstitisti mihi; ubi potero, recompensabo. Libenter concessi Doctori Remberto domum a me locatam usque ad festum Paschæ; frater est, nihil peccare potuit ista ratione. Nam hoc non tantum illi, sed omnibus debeo, quod mihi non nocet et alteri prodest. Videat ipse,

ne hanc regulam transgrediatur nocendo meis rebus; hac ratione posset fortassis me aliquid commovere. Tu vide, ne quid corrumpatur mearum rerum. Si videris, admone. His vale. Data Coldingæ 17. Martii anno 1548.

22

Johannes Holmann, Rostock, 9. maj 1548.

Intet særligt at skrive om, men J.H. benytter sig af lejligheden til at få et brev med sin vært og forsikrer vennen om deres venskab.

XXI

Joannes Holmannus Joanni Pistorio fratri suo amantissimo S.D.

Nihil hoc tempore habeo, mi frater, de quo ad te scribam, et quia proxime tibi respondi, quas literas tibi traditas non dubito, et quod nunc nihil novi apud nos spargitur. Nolui tamen committere, ut herus meus sine meis literis ad vos iret, quem certissimum τὸν γραμματοφόρον mihi futurum scio, non tam ut aliquid novi adferrem, quam ut aliquid saltem scriberem, ne me in officio cessare putares, et ne amorem, quem philosophorum princeps silentio dissolvi putat, mea negligentia labefactarem. Licet hæc sententia non magnum pondus apud me habeat. Ita enim statuo amorem eum, qui leviculis hujusmodi offensis dissolvitur, non esse dicendum amorem. Vera enim amicitia, qualis nos conjunxit, nullis quantumvis arduis offensionibus tollitur. Eam inter nos esse veram et firmam satis mihi comprobatur similitudo naturæ et studiorum utriusque nostrum. Vere enim eum dixisse puto, quisquis est, qui dixit: ὁμοιότης τῆς φιλότιτος μήτηρ. Nam quis non videt eas amicitias esse diuturnas et firmas, quas morum et studiorum conjungit similitudo? Sed quid opus est de his plura disputare, cum hæc experientia, certissima et fidissima vitæ magistra, te docuit? Plura scriberem, mi Joannes, sed hospes jam jam ascendet navem, quare velim etiam, ut huic festinationi asscribas, si quid minus recte feci. Vale, mi frater. Rostochii 9. Maji anno 48.

23

Paul Noviomagus, Kolding, 1548.

Tak for en bog. Samtale med dronningen om at få Pistorius som coadjutor og om at understøtte ham i to år med kost hos dr. Machabæus og med tøj. P.N. vilde ønske, Pistorius havde øvelse i at prædike.

XXII

M. Paulus Noviomagus, aulæ contionator, optimæ spei adolescenti Johanni Pistorio, artium studioso in academia Haffniensi, suo amico singulari, S.D.

Pergratum munusculum misisti mihi, Johannes carissime; amo te et auctorem libri, quare magnifacio et munus, quod ab amico datum est, et gaudeo me talem libellum nactum, qui imposturas reliquiarum tam apte aperiat. Nihil habeo jam, quod remittere possum, tamen non ero hujus immemor. Spero me per Dei gratiam posse efficere, quod de te constitui. Incidi cum Regina in colloquium de alio coadjutore mihi adjungendo. Hic ipsa memor mearum de te commendationum dixit: Nonne tu dixisti mihi Husamensem Haffniæ esse, qui ad hoc officium assumi possit? Respondi: Ita, sed ipse misere vivit, quod vereor illum remoraturum in studiis suis. Si Tua Majestas illum ad biennium aleret

in mensa D.D.Machabæi et daret vestitum annue, tunc pergeret celerius in studiis, quia jam illum miseria remoratur etc. Dixit illa se velle hoc apud Regem efficere. Nos Haffniam veniemus post festum Paschæ; tunc certo, si non antea, ista fient. Vellem, quod exercitium conti-
onandi haberes, sed de hoc, ubi Haffniam venerimus, deliberabimus. Vale. Coldingæ anno 1548.

24

Johannes Holmann, Rostock, 5.september 1548.

J.H. havde haft i sinde at komme til København, men vil nu prøve på at komme til Wittenberg, hvor lærdommen igen florerer.

XXIIII

Joannes Holmannus suo Joanni Pistorio fratri amantissimo S.D.

Quibus et quantis curis animum meum undique distrahi putas, cum al-
teras ad te literas miserim, nullas receperim? Non possum adduci, ut de animo tuo dubitem, sed timeo, timeo ne in morbum incideris vel aliud quippiam adversi tibi acciderit (nescio enim, quid mali animus mihi præagiat). Nuper scripseram, ut ad me statum academiæ vestræ perscriberes, me enim instante hieme vobis forte adfuturum, sed ne litera una quidem respondes. Mutavi autem nunc animum, et si a paren-
tibus et aliis patronis meis impetrare potero, Vittebergam, ubi nunc, laus Deo, literæ rursus florent, me conferam, quod ut scires, non parum nobis interesse putavi. Hæc igitur confuse ad te scribere quam nihil malui, cum obtingeret mihi doctissimus et humanissimus vir M. Jacobus Mittag, amicus meus non vulgaris, ut haberes certum, cui tuas literas traderes. De novitatibus omnibus me fac certiozem. Quæ apud nos aguntur, narrante M.Jacobo audies. Vale, et amorem nostrum labe-
factari ne permittas. Saluta omnes apud vos mihi notos. Rostochii 5.Septembris anno 48.

25

Paul Noviomagus, Nyborg, 27.november 1548.

P.N. har på anmodning fra dr. Peter Capitaneus (Kapteyn) udlejet sit hus til universitetet som bolig for den forventede dr. Albert Knop-
pert. Han glæder sig over, at Pistorius har fået bolig hos magister Johannes Pomeranus (Lübbecke, Bugenhagens søstersøn, professor i Kø-
benhavn), og vil sørge for, at han får kongelig påskønnelse for sit arbejde. Calvins kommentar til Hebræerbrevet sendes til indbinding, og en kirkehistorie returneres til boghandleren.

XXV

M. Paulus Noviomagus pio et studioso adolescenti Joanni Pistorio,
Haffniæ.

Salutem et pacem per Jesum, nostrum redemptorem. Domine Johannes, rogatus a Doctore Petro Capitaneo domum meam locavi universitati cum hac conditione, si ille, in cujus usum conducere volebant, non veni-
ret, vestra maneret. Incertum tunc adhuc erant professores de adventu D. Doctoris Alberti Knopperi. Dixissem tibi talem contractum factum fuisse inter me et universitatem de domo mea, nisi tam subito fuisset a vobis advocatus. Gaudeo tamen, quod commodam habitationem apud M. Johannem Pomeranum nactus sis. Ego dabo operam, ut sentias aliquando beneficium Regiæ Majestatis pro tuis laboribus. Nunc mitto tibi com-

mentarios D. Calvini in epistolam ad Hebræos, quos in corio ligari cupio, marcam simul Danicam pro ligaturæ mercede mitto. Addidi et Ecclesiasticam Historiam, quam a Nicolao bibliopola accepi hac conditione, ut vel duos daleros vel Josephum remitterem. Nunc neque daleros neque Josephum mitto, sed ipsam historiam illæsam, rogans ipsum, ut suam recipiat et alteri vendat. Nam D. Doctor Cornelius tale exemplar mihi dono dedit. His vale. Neoburgi altera post Catharinæ anno 1548.

26

Paul Noviomagus, Nyborg, 12.januar 1549.

Tak for den indbundne bog og for Pistorius' omhyggelighed med at tage sig af P. N.s sager. Han vil gøre for ham, hvad han kan, og ønsker, at Gud vil føre ham frem til den største ære blandt de fornemste.

XXVI

M. Paulus Noviomagus, contionator Regius, pio et studioso adolescenti Johanni Pistorio, amico suo integerrimo, S.D.

Gratiam et pacem per Christum. Docte domine Johannes, in Christo suavissime frater, rem gratissimam mihi fecisti, quod librum compactum tam cito remiseras. Placet mihi ultra modum tua in meis negotiis diligentia et assiduitas. Utinam Dominus Jesus me juvare velit in te promovendo; nunquam tui ero immemor. Præstabo, quod possum, et si res et tua felicitas hujus et æternæ vitæ ex me tantum penderet, summus in utraque esses. Vide, ut ipse tibi non desis orationibus et laboribus tuæ præsentis vocationis. Sic non dubito, quin Deus te evehet per me aut alios aut absque nobis et collocabit te cum principibus, imo cum principibus populi sui, in summo honore; dabit nutrimentum tibi et te Josephum tuorum amicorum constituet. Tuas literas in tui negotii commendationem apud me perpetuo circumferam, ne tui obliviscar; ubi aliquid perfecero, statim significabo. His vale. Neoburgi 12. Januarii anno 1549.

27

Volquard Jonæ, Slesvig, 15.februar 1549.

V.J. vil gerne vide, hvordan det står til med Pistorius. Ham selv går alt vel for; han har nu fået embede i Slesvig (som adjunkt hos generalprovsten).

XXVII

Volquardus Jonæ, minister verbi Dei apud Schleswicenses, honesto, pio et studioso adolescenti Joanni Pistorio Haffniæ agenti, amico et conterraneo suo, S.D.

Si vales, mi frater, bene est. Ego, Deo sit gratia, bene adhuc valeo. De tuis rebus mihi jam nihil omnino constat, de quibus tamen certior fieri quotidie cupio, cum tibi, quod Deus novit, ex animo faveam. Mihi omnia nunc, Deo gratia, feliciter succedunt. Schleswigæ ago, quemadmodum ex hoc adolescente cognosces; habeo mediocre stipendium. Cetera de meo statu perscribam, cum ad me scripseris, sed vide, ut idipsum etiam facias atque initum olim foedus serves. Vale, mi frater. Datæ Sleswigæ 15. Februarii anno 1549. Ignosce brevitati literarum. Nam sum hoc tempore occupatus aliis negotiis.

Georg Selmer, Husum, 11.april 1549.

Pistorius bedes sende de ting, G. S. har efterladt (i København), og forærer ham en bog mod Interim'et.

XXIX

Georgius Selmerus Husensis Joanni Pistorio Haffniæ degenti S.D.

Si vales, bene est. Ego, Deo sit gratia, valeo. Multa, quæ scriberem, habeo, sed non est mihi otium. In ipso enim puncto, cum hic discederet, mihi est significatum. Illa autem scribam, cum Laurentius ad vos se conferet, quod brevi, ut opinor, futurum est. Rogatum te etiam atque etiam volo, mi Johannes, ut res meas, quamprimum possis, mittas sive Ecklefordiam sive Flensburgum, et quidem ibi Petro Monninck habitanti in parochia S. Nicolai, et ipse numerabit nauatæ pro vectione. Si vero Ecklefordiam mittentur, ut tradantur meo avunculo consuli Dettlevo Mars, et alterutrum horum, cui miseris, admoveas, ut quamprimum possit, meo patri mittat. Hæc si diligenter executus fueris, facies mihi (ut ipse facile conjicere potes) rem longe gratissimam, nam rebus meis magnopere indigeo. Solvas dimidium dalerum pro lecto, alterum mittam cum Laurentio. Librum contra Interim scriptum tibi do. Salutes M. Johannem Pomeranum. Valet omnes feliciter in Christo. Datæ Husii 11. Aprilis anno 49.

29

Antonius Maillet, Nyborg, 29.november 1549.

Har endnu ikke fået udrettet noget m. h. t. trykning af Bibelen, men håber på hjælp fra kansleren i Det tyske Cancelli. A.M. er hos (den franske) gesandt Carl Danzæus (Charles de Danzey) og sender hilsen til bogtrykker Ludwig Dietz.

XXVIII

Antonius Maillet Galhus honesto doctoque adolescenti Johanni Pistorio, studioso Haffniæ, amico suo carissimo, S.D.

Carissime domine Johannes, nolui omittere, quin tibi verbulum scriberem, quamvis nihil adhuc effecerim pro negotio Bibliorum. Sed expectatur indies Dominus Cancellarius Germanicus in hac re nos adiuturus. Interim maneo cum Domino Legato Carolo Danzæo. Si quid ergo potero pro tua humanitate, scribas. Libenter enim faciam, quantum in me erit. Unum vellem, ut digneris salutare dominum Ludovicum Dietz typographum, amicum nostrum carissimum, meo nomine et me apud eum excusare, quod non ei valedixerim, cum discessi Haffnia. Volebam quidem fecisse, sed impeditus fui; non ægre ferat. Spero nos aliquando simul consolaturus, Domino volente, qui vos omnes conservet. Rogo, invenias rationem, cum poteris, quo hæc meæ literæ, quas cum his invenies, reddantur Lubecæ. Vale. Neoburgi 29. Novembris anno 1549.

30

Johannes Holmann, Wittenberg, 13.marts 1550.

Om et forsvundet fortroligt brev, som Knoppert havde fået med. Frygt for, at universitetet i Wittenberg opløses. J.H. tænker på i så fald at gå til Magdeburg, hvorhen Melanchthon formodentlig også vil begive sig. - Hans midler er også udtømt.

Joannes Holmannus suo Joanni Artopoeo fratri amantissimo S.D.

Salutem in Christo. Quantum ex proximis tuis literis et sermone contubernalis tui, qui eas mihi tradidit, intelligo, nihil a me jam diu literarum accepisti, quæ res non leviter animum meum affecit, maxime cum novissime quædam scripserim, quæ si divulgarentur, ægerrime ferrem, cum illa tuæ fidei tantum commissa sunt. Sed spero eas tandem ad tuas manus perventuras, si diligenter inquisiveris apud D. Doctorem Albertum Knopperum, amicum meum veterem, cui Rostochii traditas audio ab hospite meo ibidem. Nunc eadem illa scribere partim pudet, partim piget. Conterraneus autem tuus de omnibus meis rebus te certiore faciet. Talis est academiæ nostræ status, ut quotidie rumores et apparatus belli pertimescere cogamur et hujus sanctissimæ scholæ dissipationem, quam ut Deus clementer avertat, cum toto pectore oro. Ea enim si evenerit, quid mihi faciendum sit dubito. Constitui autem, si acciderit, Magdeburgum proficisci atque ibi eventum belli expectare, potissimum cum non leves suspiciones me credere faciant D. Præceptorem Philippum eo etiam secessurum. Sed quid facturum sim, faciam quamprimum ut scias. Nulla apud nostrates condicio mihi patet, velle tamen in hisce tumultibus locum esse, quo tuto et sine magno sumptu refugerem. Nam meæ facultates hisce annis ita exhaustæ sunt, ut vix respirare aliquamdiu me confidam. Incertitudo omnium mearum rerum facit, quod tam brevis in scribendo sum; ubi quippiam certi constituerem, quamprimum ad te perscribam. Tu si potes, consilio, ope, fide me juvato, quod te facturum non dubito. Vale, mi frater, et hoc tibi persuade nullam quantumvis duram et acerbam rem amorem tui unquam debilitaturam nedum dissoluturam. Datæ Vitebergæ 13. Martii, die tristissimi festi, quod Judæi Jejuniæ Esther vocant, qui dies destinatus erat ab Assvero rege occisioni omnium Judæorum, sed quemadmodum Deus excitato Mardocheo eam tristitiam in summam lætitiæ convertit, sic et nos speramus eum tandem has nebulas, quibus misera ecclesia involvitur, clementer depulsurum. Iterum vale. Anno 1550.

31

Henrik Elebeke fra Lüneburg, Wittenberg, 14. marts 1550.

Om et par bekendte. Han glæder sig over, at Pistorius er kommet tilbage til København efter en vellykket rejse til Strassburg, og spørger, om han har truffet Butzer, og om denne vil komme til København. Han vil gerne vide noget om andre lærde mænd, Pistorius har truffet, og om han også har været i Basel.

XXXI

Henricus Elebeke Lunæburgensis Joanni Artopoeo Husensi, adolescenti pietate et eruditione insigni, S.D.

Mitto tibi, suavissime Johannes, orationem de legibus et scripsissem tibi libenter pluribus, sed propter angustiam temporis et plurima negotia, quibus hoc tempore fere obrutus sum, non potui. Deduximus D. Casparem Becker conterraneum nostrum, qui instituit iter in Italianam. Ideo feci temporis jacturam, quam cogor resarcire. Quamprimum tabellarii copia mihi fuerit, scribam copiosius et diligentius. Te rogo, ut tibi persuadeas et statuas me eum esse, qui dudum et semper tibi fui, meque omnia sedulo acturum in tuis rebus, quæ tibi commoda et grata fore intellexero. Stanislaus peregre abfuit, alioquin

misissem tibi tuas pagellas, quas hic apud ipsum reliquisti; quamprimum reversus fuerit et tabellarii copia nobis erit, mittam eas. Quod iter Argentinense tibi prosperum contigit et salvus et incolumis Haffniæ redieris, ob hoc ex animo lætor. Cum ad nos rescribes, scribe, quæso, et significa nobis, an D. Bucerum Argentinæ vel alibi inveneris, et quid futurum sit, an Haffniam sit venturus. Non dubito, quin in illo itinere tuo, et quidem imprimis Argentinæ, præstantissimos et doctissimos viros videris et audiveris; cupio, ut de hoc nobis aliquid referas, item an et tum Basileæ etiam fueris. Rescribe, quamprimum poteris. Vale felicissime, et omnes mihi familiaritate ibi devinctos saluta officiosissime. Datæ Witebergæ 14. die Martii, quo die Julius Cæsar dictator a 60 conjuratis, de quibus ipse optime fuerat meritus, in senatu viginti tribus vulneribus confessus est. Anno 50.

32

Georg Selmer, Husum, 1. juni 1550.

Selmer har været sammen med Holmann. Om et par forsvundne breve, bl.a. et, som Knoppert havde fået med (cf. 30). Breve, som Erasmus Heinsenius (Heithmann) fra Haderslev havde fået med til Pistorius. Værten i Lüneburg har fået Pistorius' kårde tilbage. Eleverne der har det elendigt, bortset fra Magnus;¹ Selmer har bedt Caspar¹ tage sig af dem. Om Selmers husgeråd, som han vil have sendt (cf. 29). Dr. Christiern (Morsing) vil P. Aurifaber give, hvad der tilkommer ham, Pistorius bedes ordne sagen med Jacob.

XXXII

Georgius Selmerus Husensis Johanni Pistorio Haffniæ degenti S.D.

Si omnia ex animi sententia et voto tibi cederent, maximo perfunderer gaudio. Nam ex animo te amo tibi que bene esse cupio. Certiorem te facio me D. Holmannum convenisse eique, quæ mihi mandaveras, significasse. Ille vero literis tuis visis et lectis dixit gemens mihi et aliis, qui tum temporis illi aderant: Utinam contingeret mihi videre meum fratrem, cujus hæ sunt literæ; vere dico fratrem, nam hic te me liberavit et e periculo mortis eripuit, quod fortasse non faceret germanus frater, ut se ita pro alio exponeret periculo, sicut hic fecit. Plura tibi referrem, si una essemus, quæ nunc consulto omitto, præsertim etiam cum non sit mihi multum otii. Statim Holmannus me ad coenam invitavit. Ego primum renui, sed noluit accipere meam excusationem, verum institit et rogavit, ut propter te non denegarem. Ibi me certe laute et magnifice tractavit. Indicavi etiam illi te sæpe scripsisse, sed nihil literarum recepisse. Ad hoc sic mihi respondit, se tantum unam a te accepisse epistolam, quam illi tradidit Jodocus bibliopola, seque tibi rescripsisse et literas Rostochium hospiti suo misisse, qui easdem tradidit D. D. Alberto Knoppero. Vult igitur, ut Knopperum convenias et literas ab ipso postules. Nam non vellet ab omnibus aut ab alio quam te eas legi, in quibus literis, ut ajebat, de statu et conditione sua quidque in animo haberet, tibi scripserat. Stanislaus discesserat Witeberga cum pueris suæ fidei commissis. Expectabant autem reditum ejus quotidie. Literas D. Holmanni et Elebeken tradidit tibi (ut existimo) Erasmus Heinsenius Hadersleviensis. M. Nicolaus chirurgus non Heliopoli, sed Leontii habitat. Verum gladium tuum hospes noster Lunæburgi accepit vel, quod verius est, extorsit ab illo importunis suis (ut mihi rettulit) efflagitationibus;

quando illi scripseris, mittet illum tibi. Puerorum statum offendi ibi talem, ut mihi admodum doleat; sunt quidem diligentes, sed deserti amicis excepto Magno.¹ Nomine illorum D.Casparem¹ adii ipsique rem omnem aperui et insuper rogavi, ut illorum curam haberet. Sed de hac re satis. Scripsi tibi apud Petrum Soërth nostrum conterraneum de supellectile mea mihi mittenda, sed nondum eam accepi. Rogatum igitur te volo, mi Johannes, etiam atque etiam, sicuti et tum rogavi, ut res meas huc mittas cum primo navigio, sive id Flensburgum sive Ekelenfordiam vel etiam Kiloniam tendat, et si Flensburgum miseris, scribas Petro Monnick aurigæ, ut curet vehi ad parentes meos; hic idem dabit nautæ pretium pro vectura; si vero Ekelenfordiam, Detlevo Mars cognato meo, itidem et is faciet; sin autem Kiloniam miseris, scribes una fratri meo Dettlevo, qui ibi est famulus scribæ arcis. Hæc ut diligenter cures, maximopere te oro; ego tibi vicissim, ubicunque potero, inserviam libenter et sedulo. Rescribas etiam, si vacat, quis nunc sit rerum tuarum status, nam ex matre tua intellexi te non amplius capere cibum in coenobio. D.D.Christierno satisfaciet Petrus Aurifaber. Jacobo ut tu satisfacias rogo. Physica ut mihi mittas et musicam meam quæso. De aliis alias plura, cum plus otii nactus fuero. Vale donec mundi æthera (ut Palingenius noster ait) suspendat uterque polus. Datæ Husii raptim ex nostro musæo anno 1550 Dominica Trinitatis.

¹ Magnus er vist Christian 3.s næst yngste søn og Caspar vist Caspar Hoyer, som siges at være opdraget sammen med kongens yngre sønner. De to var jævnaldrende og på dette tidspunkt 10 år gamle.

33

Georg Selmer, Husum, 17.juli 1550.

Anbefaling af en ung mand, som kommer til København for at studere, med bøn om, at Pistorius vil være ham behjælpelig ved immatrikulationen og med at finde en passende bolig, samt give ham gode råd angående forelæsninger. Endnu en gang noget om de ting, Selmer har bedt Pistorius sende; de ønskes nu sendt med Johannes Aurifabers ting.

XXXIII

Georgius Selmerus Joanni Artopoeo Haffniæ incumbenti literis S.D.

Etsi meas ad te dederim literas modo apud nuntium, qui hunc adolescentem ad vos ducit, tamen et ipsum sine mea qualicunque commendatiuncula ad te venire nolui, et quidem ob id rogatus, et etiam commotus ejus probitate et modestia necnon diligentia, quæ semper in ipso, dum nostram scholam frequentavit, animadverti et deprehendi. Rogatum igitur te volo etiam atque etiam, mi Johannes, ut tibi hunc adolescentem commendatum habeas eique, ubi tua indiguerit opera et consilio, non deesse velis, ut intelligat hanc meam commendatiunculam pondus apud te habuisse. Poteris illum juvare et prodesse illi, primum ut ante omnia deponatur et in album studiosorum suscipiatur. Deinde ut commodam habitationem nancisci possit, de quo multos, qui primum advenire solent, laborare scio. Deinde postea etiam, quas audire debeat lectiones. Hac in re te mihi gratificaturum non diffido, cum mea semper diligenter curaveris. Scripsi in alio epistolio de omnibus rebus, de quibus voluisti et me rogasti ut scriberem. Res meas volo ut mittas cum rebus Johannis Aurifabri, quem intellexi venturum domum, modo non miseris. Sed si miseris, quæso, significes

mihi, quo miseris. Salutes meo nomine omnes mihi familiariter notos.
Vale. Data Husii 17. Julii anno Christi 1550.

34

Johannes Holmann, Wittenberg, 6. september 1550.

J.H. afviser Pistorius' bebrejdelser for, at han ikke har skrevet til ham i lange tider. Ved at læse, hvad Pistorius har skrevet til ham om Semnia, gribes han af en af Muserne indgydt entusiasme og skriver græske vers. Endoxe er ikke blevet gift eller forlovet, men J.H. har ikke kunnet aflevere en hilsen til hende, da han ikke har kunnet få hende at se. Der nævnes flere, men de har alle fået dæknavne; en af dem frygter ikke nogen mere end sine gamle elever. En lang rede-gørelse for, hvad en rapsodi efter J. H.s mening er. Han spørger, om Pistorius vil blive hos kongen. Hilsener, bl.a. til Caspar Cimber.

XXXIIII

Joannes Holmannus suo Joanni Artopoeo amico et fratri carissimo S.D.
Quo animo tandem me literas tuas lecturum fuisse putas, si vel paululum de veteri erga te amore remissem, cum in iis ita inhumaniter ἀκρατῶς καὶ πικρῶς (non occurrunt enim vocabula, quibus accusationis vehementiam satis superque explicem), nihil tale meritis, in quo accusor, excipiar? Profecto, mi frater, si hæc reprehensio (nolo enim eam convicia appellare, cum fratris sit) ab alio profecta esset, sit is qualiscunque sit, videret me nihil illi inferiorem fore acerbitate stili. Accusas me non solum negligentia in scribendo, sed etiam perfidia in desertione et renuntiatione amicitia, quam tu aestimas ex literarum intermissione. Me quidem, quod ad priorem accusationis tuæ partem attinet, satis excusat conscientia mea; in posteriori etiam me contrarium sentire κορυφαίων τῶν σοφῶν iudicium facit. Ita enim hanc rem accipe, me post eas literas, in quibus de statu academiae vestrae certior factus sum, binas remisisse, ad quas ne litera quidem responsum est. Illud autem nequiquam in deteriore partem interpretatus sum neque ex eo de amore nostro dubitare coepi, sed vel tabellionum infidelitatem accusavi, quod maximum apud nos, hoc tempore studiorum potissimum, pondus excusandi habet; nihil etiam culpa in rigorem hiemis contuli, nautas propter congelatum mare ad nos navigare non posse iudicans. Nihil autem unquam sinistre suspicatus sum, verum amorem nostrum jucundissima recordatione, quod quidem in officio meo esse putavi, fovi et alui. Vide igitur, mi frater, utrum accusandus sit: egone, qui nihil, quantum in me fuit, omisi, quo amicitiam nostram conservarem, vel tu, qui contra verae amicitiae leges de fratris tui animo nequaquam dextre iudicasti. Certe si iustitiam in iudicando exclusis affectibus adhibueris, procul dubio tuo calculo me absolves. Quare, mi frater, omnium meorum carissime, obnixè non solum te oro, sed etiam obtestor, ne posthac de amore tui falsas opiniones animo concipias, sed cogites, apud quoscunque et ubicunque locorum fuero, me nullum alium Euryalum electurum esse et amorem nostrum nequaquam crebris missionibus vel intermissionibus literarum aestimaturum esse, quod ut tu quoque, mortalium exoptatissime, facias, amicitiam nostram postulare cogita. Sed venio jam ad alteram partem tuarum literarum, ubi de Lunæburgensium statu certior fieri cupis, atque ordiar ἀπὸ τῆς τῶν παρθένων σεμνοτάτης, τῆς Σεμνέλας, de qua tu quoque priore loco scribis, quem locum ubo legi, ita per Musas insolito quodam entusiasmo correptus sum, ut non potuerim me inhibere, quin de ea sic luderem (eas enim extemporales ineptias in sinum tuum more solito evomere non erubesco), ποιητικῶν τῆν μανίαν literis tuis interim inspirantibus:

ὦ Σεμνεῖα, κόρη κραδίας μου, χάρματα ἤδη,
 χαῖρε, σεληναίας ναιετάουσα πόλιν.*
 Ζητοῖς ἂν τάχα πασάμενος παρὰ σου κοιλανδρος,
 ὃν ψυχὴν ἐκάλεις πολλάκι ἠδὲ βλον;
 Τί πράττη, μακρὸν ναίων ἀπάνευθε τοκῆων
 καὶ σοῦ καὶ πάντων ὧν ἐφίλησε φίλων;
 Εἰ δ' ἄγ' ὅλον σοι θυμὸν ἐμὸν πολυκηδέ' ἐνίπω,
 πάντα σὺ λεξόμεν' εἰς οὔατα ἐντίθεσο.
 Εὐδαίμων ἐν πᾶσιν ἔην, ὅτι γὰρ παροῦσα
 τὴν Δημήτηρ' ἔχει εὐνοέουσαν ἀεί.
 Ἐν ταύτῃ χώρῃ καὶ ναιετάουσιν θέαιναι
 τερπόμεναι θυμοὺς μελιχλίων ἐπέων,
 ἀλλ' ὅτι σεμνῆς σου ἀπορῶ, Σεμνεῖα, με λυπεῖ,
 ἐστὶν ἐμῆνο μόνον σιληρότερον θανάτου.
 Πηνελόκα ἠριγένεια φανεῖ ῥοδοδάκτυλος ἠὼς
 εὐνοέουσα ἡμῖν, καὶ φάος Ἥελίου;
 ὡς σὲ φίλην ὄρω καὶ χεῖλεα χεῖλεσι μίξω,
 φράσομεν ἀλλήλων ῥήματα θελεξίνοα.
 Ἐξει καιρὸς ἐκεῖνος, ἐμοῦ ὡ παρθένος ἔλπις,
 τῶν πάντων ἔσται κεῖνο ἐμὸν γλύκιον.

*Lüneburg

Vide, mi frater, audaciam meam, qui tibi meis nugis molestus esse non vereor. Id tamen ob id facio, ne quippiam falso de amore tui immittum credas; deinde etiam stultitiam meam considera, qui neque παθῶν ὁ νήπιος ἔγνω, neque τὸν πανδαμάτορα θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων cohibere et intra carcerem includere possum. Quæ tibi de Polyphemo narrata sunt, ne credas. Cum apud eos essem, graviter mator τῆς κόρης mihi conquesta est se neque minis, neque blanditiis animum filiæ posse flectere, ut consentiret in nuptias, coepitque simul aliquot procos enumerare, inter quos etiam ὁ στρατιώτης ἀλαζῶν Bassuthe, qui nunc secundas nuptias quaerit. Ibi ego: Quo tandem animo eam esse judicas, amatne coelibatum? Nihil, inquit illa, certi habeo, quod respondeam ad illa, nisi id unum, quod jam dixi, eam nullis rationibus ad in-eundum conjugium posse propelli, qua re patri alioqui moroso stomachum vehementer movit. Quomodo autem me stultum illis verbis affectum putas? Persuaderemne puella, quod mater rogabat, ut parentibus in re pia et honesta morem gereret, vel meis affectibus obsecundarem, deliberare coepi. Tandem vicit illud Euripidis: τὰ χρῆστ' ἐπιστάμεθα καὶ γινώσκομεν, οὐκ ἐκπονοῦμεν δέ. Sed de his satis. Vellem nos aliquando una esse, ut tuto de multis rebus conferre possemus. Endoxe tua nondum nupsit neque viro desponsata est. Eam cum libenter tuo nomine salutassem, nunquam data est mihi occasio eam adeundi. Fuit enim in ædibus Struven ita seclusa et abdita, ut nec copia videndi eam mihi data sit. Valet etiam adhuc Callima. Sed in quam narrationem me deducis, cum de Bathelio nostro scribere jubes? Ille nullos nunc magis timet quam veteres suos discipulos. Mirum, mi homo, quomodo fugerit me viso. Sed ridiculum est omnia scribere. Spero nobis aliquando fore opportunitatem de omnibus non sine magna utriusque voluptate colloquendi, de qua si quam spem concepisti, mihi significativa. Quod ad explicationem dictionis ῥάψωδίας attinet, libenter quidem morem gererem, si mihi libri mei, quos Rostochii habeo, essent ad manum, quos tanquam mutos magistros (ut ille vocare solitus est) consulerem. Nihilominus tamen sententiam meam perscribam, quæ solis fere conjecturis constat. Tu, si placet, ea fruiere. Existimas rapsodias denominatas ἀπὸ τοῦ ῥάβδου, sed de more canendi dubitas. Qui a virga deducunt, sine dubio respiciunt ad id, vel quod virga quadam

ad mensuram usi sunt, juxta quam ejusmodi carmina in pagis ad victum sibi quærendum cantarunt, vel quod poëta talium carminum lauri ramum tenuerunt. Habet enim laurus, ut Proclus, Hesiodi commentator, testatur, vim quandam vaticinandi. Hinc et Hesiodus, ut in fabulis est, gustata lauro a Musis data repente poëta factus est. Item Lycophron vatem δαφνηράγον vocat. Sibylla quoque apud Tibullum canit: Vera cano sic usque sacras innoxia laurus vescar etc. Verum non puto hanc dictionem deduci a virga, sed potius ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν, quod consuere seu consarcinare significat. Unde ῥάφδοι dicti sunt, qui aliorum poëtarum versus dispersos undique collegerunt et in publicis conventibus accinuerunt. Ita quoque Homericum poëma fuit divulgum et dispersum, quod Pisistratus undique conquisivit, et postea ab Aristarcho et Zenodoto in ordinem redactum est, de quo lex ab Atheniensibus lata est, ut in quinquennali conventu Attico præ ceteris scriptis recitaretur, ut constat ex oratione Lycurgi contra Leocratem, cujus verba asscribam: Βούλομαι δ' ὑμῶν καὶ τὸν Ὅμηρον παραχέσθαι ἐπαινῶν, οὕτω γὰρ ὑπέλαβον ἡμῶν οἱ πατέρες σπουδαῖον εἶναι ποιητὴν, ὥστε νόμον ἔθεν τὸ καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαφιδεῖσθαι τὰ ἔπη etc. Sed omnia hæc fortassis non πρὸς ἔπος. Volui tamen potius garrulitate peccare, quam nihil de his scribere, ne me insolentiæ arguere possis. Rogo, mi Joannes, frater amantissime, ut de omnibus tuis rebus quamprimum certior fiam, num apud Regem mansurus sis etc. Ego quid de me fiet, omnino incertus sum; ubi certi quidpiam statuero, faciam ut scias. Hæc temere et sine ordine congesta rogo ut eo animo et fronte, qua debes, accipias. Vale, mi Euryale, et nostrum amorem indes confirma. Saluta Casparem Cimbrum ex me honorificentissime et alios, si qui sunt, cum quibus mihi olim familiaritas fuit. Datæ Witebergæ 6. Septembris anno 50.

35

Georg Selmer, Husum, 24. oktober 1550.

G.S. har fået sine ting, som dog er næsten helt ødelagte ved den kæltræng af en skippers skibbrud på grund af uagtsomhed. Han tænker på at tage til Wittenberg eller et andet sted. Hilsen til Niels Hemmingsen. Pistorius skal passe på sit helbred og afstå fra saltede og halvrådne fisk, som der er masser af på bordet i coenobiet.

XXXV

Georgius Selmerus Joanni Pistorio Haffniæ agenti S.D.

Si athleticè vales, mi frater, oppido quam gauderem. Miraris, certo scio, cur proxime apud nostrum Johannem meas ad te non dederim literas, sed scito id mea non commissum negligentia. Nam mihi non constabat de ejus discessu, id quod contestabitur. Nunc vero te certiorum facio me res meas nactum, sed ita, proh dolor, quod fere mihi non possint esse usui. Scatebant enim vermibus ex salsa illa aqua, qua tunna fuerat impleta, cum nebulo ille naufragium faceret. Nebulo dico, nam ipsius factum negligentia audio. Habeo autem agoque tibi gratias, quod ipsi satisfeceris pro vectura, et quod exposuisti et illi numerasti, nunc tibi remitto. Sentiunt mei eum jure teneri, ut damnum meum mihi resarciat. Tuum expectavi adventum, et quidem non ego solum, sed et omnes tui, verum, quantum intelligo, frustramur spe. Rogatum te volo, mi frater, si fieri potes, ut nos ante Paschæ festum invisas. Animus enim mihi est hinc discedendi proficiscendique aut Witebergam aut alio, quo Deus voluerit. Cuperem igitur te videre tecumque loqui antequam abeam. Rogo, ut meis verbis salutes

M. Nicolaum Hemmingium, præceptorem meum optime de me meritum. Plura nunc non scribam, alias, ut spero, affatim nugabor tecum. Vale tuamque diligenter cura valetudinem, quod facies, si, ut opinor, a salsis et putridis piscibus, quibus vestrum coenobium et mensa ibidem abundant, pro more abstinueris. Datæ Husii 24. Octobris anno 1550.

36

Johannes Holmann, Stade, 13. marts 1551.

J. H. har gjort sine erfaringer ved hoffet; livet der er i modstrid med hans principper; han hader luksus og de smigrende snyltere, som indtager de fornemste pladser. Efter at han er kommet hjem, har han fået tilbudt flere embeder i kirken (på lærerembeder er der mangel), han har prædiket for en stor forsamling og er også blevet ordineret.

XXXVI

Joannes Holmannus Johanni Artopoeo, fratri et Euryalo suo summo amore semper colendo, S.D.

Literæ tuæ undiquaque amorem, quo me semper complexus es et adhuc complecteris, ostendunt, cum ex omni parte sollicitudinem salutis et valetudinis meæ declarent. Pro dignitate autem iis literis hoc tempore respondere non possum, quia multis et magnis negotiis, quibus magis obrutus quam occupatus sum, totus distrahor. Hactenus aulam expertus sum. Quia autem ea vita e diametro cum meis moribus pugnat et quia luxum ceteraque ejus generis vitia ex animo odi et quia *τραπεζοκόδοι κόλακες* (ut Homerus noster eos vocat) ibi primas tenent et regnant, aliud genus vitæ aggrédiendum duxi. Nunc autem quia in patriam veni, theologicæ condiciones (nam scholasticarum magna hic caritas est) aliquot mihi oblatae sunt. Incertus autem sum, quamnam suscepturus sim. Eo die, quo tuæ literæ mihi redditæ sunt (qui fuit dies dicatus Divo Gregorio), in magna hominum frequentia in patria contionem habui. Rogo, mi frater et Euryale exoptatissime, ut quamprimum ubi in patriam veneris, recta Stadam ad me iter instituas, ubi te de omnibus rebus certiozem faciam. Jam propter theologicas occupationes non licet plura scribere. Jam animo quodammodo præsagio, quanta lætitia utriusque nostrum conveniemus. Vale, mi dilectissime frater, et fratrem redama. Ad munus ecclesiasticum ordinatus sum die 6. Martii. Datæ Stadis 13. Martii anno 51.

37

Widnesbyrd til Johannes Pistorius ved hans afgang fra Københavns universitet, 4. april 1551.

XXXVII

Formula testimonii, quod Magnificus Dominus Rector Academiæ Hafniensis Joanni Pistorio dedit, cum ex ea discederet.

Rector Academiæ Hafniensis M. Nicolaus Hemmingius lectori salutem.

Discessurus hinc honestus et egregius juvenis Johannes Pistorius Husensis petiit a nobis suæ vitæ, conversationis et studiorum testimonium sibi perhiberi. Tametsi autem optimum testimonium vitæ ipsa virtus ac innocentia morum existit, tamen in his mundi tumultibus et ecclesiæ calamitatibus prudenter judicavit testimonio eorum, apud quos vixisset, opus esse, ut apud parum notos vel prorsus ignotos haberet, quo suum nomen et honestam famam tueri posset. Hoc testi-

monium honestissimo juveni petenti pro nostra erga bonarum artium studiosos benevolentia et humanitate libenter tribuimus. Postquam itaque sub hujus scholæ professoribus aliquamdiu literis diligentissime incubuit, prædictus Johannes Pistorius propter singularem pietatem, diligentiam et modestiam omnibus nobis adeo carus extitit, ut eum merito apud omnes pios ac doctos nostra dignum commendatione judicarem, quem in studiis diligentissimum, piis exercitiis intentum et honestis moribus præditum, semper et ubique deprehendimus, de quo nunquam ulla vel privata vel publica querela hic orta est. Proinde cum summe ad rempublicam spectare compertum sit, ut fecunda ac felicia ingenia ad gloriam Dei et salutis humanæ instructionem humaniter foveat, adjuvet et excipiat, hunc Johannem Pistorium omnibus bonis viris benigne promovendum et adjuvandum commendamus. Etsi autem minime diffidimus, quin singulari doctrina, pietate et probitate animos bonorum omnium sibi conciliare ipsemet studeat, tamen optamus; ut majoribus ac cumulatiores beneficiis eum propter nostram quoque commendationem boni omnes prosequantur. Dignus enim est hic Johannes, qui ad gloriam et utilitatem reipublicæ ab omnibus ac singulis foveatur. Nos etiam vicissim omnem animi gratitudinem ac benevolentiam pollicemur omnibus his, apud quos hæc nostra commendatio aliquid ad fovendum hunc honestissimum juvenem effecerit. Et ne quis de fide harum literarum dubitet, obsignavimus eas sigillo Rectoris.

Hafniæ 4. die Aprilis anno Domini 1551.

38

Ludolph Priggius, Leipzig, 20. april 1551.

Undskyldning for ikke at have svaret før. L. P. omtaler Pistorius' godhed mod ham, Paul Noviomagus' omsorg for og kongens hensigter med ham; han tilbyder Pistorius og hans elever sin hjælp og forsikrer, at han er villig til at tjene kongen i nærheden af sin hjemstavn (Hamburg). Desuden nævnes (Johannes) Machabæus, Capitaneus, Knoppert og Bernhard Fris, som L. P. skylder meget, endvidere Jordan og Johannes Jendrici. Pistorius vil ikke fortryde, at han er taget til Wittenberg, da den uforlignelige Melanchthon er kommet tilbage; desuden omtales den uværdige behandling, Epinus, Westphal, Flacius og andre har givet Melanchthon. L. P. beder om nyt fra Danmark.

XXXVIII

M. Ludolphus Priggius insigni pietate et doctrina Domino Joanni Artopoeo Husensi, amico suo carissimo, Vitebergæ.

Salutem in Christo. Cum ad me dederis amantissime scriptas literas, Joannes optime, quid censes esse causæ, cur non responderim maturius, cum quidem non parum tua interesset, ut in deliberatione de mutanda schola meum tibi consilium quam celerrime significarem? Quod si apud te fuit amicus noster Joannes Jendrici Lunæburgensis, qui nuper hinc ad academiam Francofordianam profectus est, non dubito, quin ex eo causam silentii mei acceperis. Sed tamen quam tu causam esse arbitrare? Mihi credas velim, Joannes carissime, nisi veritus fuisset, ne literæ meæ in aliorum manus venirent, propterea quod domum, in qua Vitebergæ habitares, ignorabam, quodque mihi nemo se obtulit, cui tu notus esses, jam pridem tuis literis mihi gratissimis respondissem. Jam ego te ipsum in hac re volo esse judicem, ut tu ipse judices, cum mihi ad te scribendum fuerit de re maxima (etenim secundum Deum nihil mihi antiquius est optimi Regis benevolentia), debuerimne tali argumento epistolam cuilibet ignoto homini committere, cui significare

non poteram, quibus in adibus tu habitares, aut credere, quod diligenter esset de te inquisiturus. Scripsi superiore hieme ad M. Jordanum et scripsi de rebus, in quibus aliquid erat momenti. Sed intelligo ipsum non accepisse meas literas, quas tamen meo fratri miseram transmittendas in Daniam. Quam ob rem, carissime Joannes, æqui bonique facito meum silentium et ignosce timiditati meæ, præsertim cum tibi quoque procul dubio ingratum futurum fuerit, si ejusmodi meæ literæ in aliorum manus pervenissent. Dispeream, si quid mihi jam diu accidit epistola tua gratius, qua ita diligenter, ita copiose de magnis rebus ad me pertinentibus certiore me fecisti, ex qua item pristinam tuam erga me benevolentiam magna cum voluptate cognovi, imprimis vero illud optimi ac doctissimi viri M. Pauli Noviomagi erga me studium, denique Serenissimi ac Potentissimi Regis erga me voluntatem ac desiderium. De me vero, sic tibi persuadeas me (ut uno verbo dicam) totum esse tuum meque, si quid tibi ac generosis discipulis tuis queam gratificari, summa id voluntate facturum. Nam etiam Joannes Jendrici tua quædam in me officia mihi commemoravit, quæ antea me latuerant. Serenissimam Regiam Majestatem (ut debeo) secundum Deum colo eique in locis patriæ meæ vicinioribus in perpetuum servire nunquam recusavi nec recusabo, qua de re prolixius ad te scribam, postquam significaveris mihi, qua in domo habites Vitebergæ, idque ut facias valde te oro. Reverendum virum M. Paulum amo ac veneror ex animo propter singularia ejus in me merita summamque ejus prudentiam et eruditionem ac mores optimos gravitate ac fide præstantes. Quid scribam de viris clarissimis D. Doctore Machabæo, Capitaneo, Knoppero, patronis meis? Nihil est, in quo illis commodare non velim, si possim. Ceterum D. Doctori Bernhardo Frisio, summo viro sapientia et ingenio excellenti, tantum me debere profiteor, quantum referenda gratia assequi nunquam possum. Hæc scribo, ut intelligas ob id, quo hactenus sum usus, silentium nihil decessisse meo neque in te, neque in quenquam alium amori, benevolentia et observantia, cujus rei mihi conscientia mea testis est. Quod consilio meo de mutanda schola hactenus caruisti, in eo, ut opinor, nihil fecisti damni. Neque enim pænitere te arbitror, quod Vitebergæ substiteris, cum vobis D. Philippus redditus est, cui certe nihil reperies simile, quocumque te contuleris. Summæ felicitatis loco habeas, quod tibi contigerit eum docentem audire. Est et manebit singulare electum et salutare organum Dei, tametsi indignis modis ab Epino, Westphalo, Illyrico et aliis multis tractatus sit. Sed si quid aliud institues, fac ut sciam. Nulla in re aut tibi, aut generosis discipulis tuis deero, quos ut amanter ex me salutes peto. Si quid ex Dania novi habes, communicato. Simul velim scribas, num isthic certorum hominum tibi potestas sit, per quos literas mittere in Daniam tuto possimus. Quoties autem literas in Daniam miseris ad communes amicos, toties illis meo nomine salutem ascribere ne graveris. Neminem enim fere illic novi amicum tuum, qui non sit idem meus. Πάντα φίλων κοινά. Vale felicissime. Data Lipsiæ postridie Dominicæ Jubilate anno 1552.

39

Johannes Pistorius til en ven.

Hvem vennen er, siger brevet ganske vist ikke, men da han ikke blot tituleres Honestas Tua, men også kaldes Dominus Præceptor, har man vist lov til at gætte på Niels Hemmingsen. Af brevet fremgår, at det er skrevet fra Wittenberg, men datum og årstal mangler. At det imidlertid er skrevet i begyndelsen af 1552, senest i begyndelsen af

marts, fremgår af, at Melanchthon (som i slutningen af 1551 havde fået pålæg om at rejse til Trient med sin Confessio Saxonica) endnu opholdt sig i Nürnberg (hvorfra han i marts 1552 kom tilbage til Wittenberg). Pistorius fortæller i sit brev om Moritz' troppers hærgen, plyndringer og grusomheder.

345

Amico cuidam Joh. Pistorius S.P.D.

S. Propter tabellarii festinationem paucis casum quendam ut horrendum, ita evidentissimum divinæ providentiæ argumentum exhibentem Honestati Tuæ significare volui. Aliquot milia equitum, quibus Mauritius iste civitatem Magdeburgum obsederat, re inter Mauritium et civitatem composita ex obsidione in Turingiam ducti sunt hac spe, ut Erfordiam occuparent, quod ubi non successit, converterunt se ad Mulhusiam, civitatem imperialem, quam etiam obtinuerunt et miserrime expilarunt. Inde milites excurrunt in vicinos pagos omnem, similiter ut in civitate ipsa fecissent, exercentes nequitiam et crudelitatem. Demum duodecim ex illis veniunt in ædes cujusdam rustici, qui filiam virginem mediocriter formosam habuit; hanc duodecim ordine vitiant et nefario corrumpunt, patrem deinde virginis vinciunt ac cellarium et penum aperiunt omniaque cibaria et vina depromunt, diripiunt, sese ingurgitant et bacchanalia turpiter agunt; ita tandem somno victi quasi exanimis omnes juxta focum prostrati jacent. Interea rusticus ille solvitur, versans animo quomodo se et filiæ contumeliam aliaque incommoda illata ulciscatur. Videt itaque milites vino somnoque sepultos humi ad focum procumbentes, hic se armat et omnes 12 trucidat. Dehinc rusticus capitur et in vincula publica conjicitur. Et huc Witebergam ad nostros jurisconsultos res delata est, ut ipsi de ea cæde sententiam pronuntient, an rusticus plectendus sit. Quid vero pronuntiaturi sint, ignoramus adhuc. Consideremus hic inter alia recte et vere ethnicum illum Solonem dixisse: Poena solet semper fata nefanda sequi. Hæc tibi, reverendissime Domine Præceptor, significare volui. Præceptor noster Philippus iter Tridentem ingressus est, ut in concilio compareat, Imperatore hoc volente et mandante; comitem habet Erasmus Sarcerium, verum moratur adhuc Noribergæ. Ajunt enim Noribergenses non consulere nec admittere, ut Tridentem eat. Fertur et Mauritium vocatum esse ab Honestissimo Imperatore.

40

Georg Selmer, Wittenberg, 10.juli 1552.

Pistorius er i Frankfurt an der Oder. Nye magistre i Wittenberg. Af studenterne er nogle taget til Rostock. G.S.s forældre vil have ham hjem, før han bliver smittet af pesten, og han bliver der heller ikke mere end et par dage. Peter (Thuringk, Düring) fra Flensborg er død. Melanchthon med nogle andre professorer har taget ophold i Torgau.

XXXIX

Georgius Selmerus Joanni Artopoeo Husensi, Francofordiæ ad Oderam agentis amico suo singulari, S. D.

Gratiam et pacem per Dominum nostrum Jesum Christum. Certiorem te facio me tuas literas a matre huc missas et 4 libros, quos attulerunt nuntii, tradidisse domino Gregorio plene Pomerano contubernali meo, quos si nolisset accipere, ipse me contulisset ad vos. Nemo enim nostrorum hic relictus est, cui eos tradere possem. Libros hos ipsa

hora, cum abiret, primum imposuit, cum cista jam esset ponderata et in currum collocata, alioquin dedissem apud illum meas ad te literas. Rogaveram illum aliquoties antea, ut eos susciperet perferendos, verum agebat non vacare locum eis. Nunc quia auriga remansit, volui has ad te literas mittere. Conterraneus noster Tadaeus discessit, habuit inter magistrandos quartum locum, Henricus Hermens Luneburgensis 6., Jacobus Moller Hamburgensis 3., Bohemus ille rufa barba primum, Constans Rodenborch Hamburgensis 6., Gregorius hic noster 16. Johannes Hamer hinc discessit et profectus est cum Henrico Gaggio et Johanne Tast Rostochium. Tast vero tuos libros duos illos parvos a nuntio acceperat et agre voluit eos mihi tradere. Cum enim hac de re convenirem et dicerem te mihi Francofordia scripsisse et indicasse de libris et jussisse, ut a nuntio eos requirerem et tibi mitterem, responditsibi etiam missos esse libros. Institi et petii, ut daret mihi copiam videndi eos, quod mihi primum contigit, cum eos aurigæ tradidisset cum aliis suis rebus avehendis Rostochium, sed cum eos viderem, affirmabam esse tuos; ita extorsi eos ab ipso et cogebam etiam ei grossum numerare. Credo ipsum ne obolum quidem pro eis nuntio dedisse. Parentes mei scripserunt, ut domum reverterer quamprimum possem, cum adhuc integra essem valetudine, antequam pestis contagio quoque corripere. Referunt etiam patrem meum graviter ægrotare ex lapsu; veretur mater eum nunquam recuperaturum pristinas vires, quod me ita afficit, ut præ dolore nesciam quid inceptem. Miserunt mihi etiam 12 taleros, quibus comparavi mihi aliquot libros, et id ipsum facerem hortati sunt parentes. Die 8. Julii vesperi mortuus est hic Petrus Flensburgensis, cum adornaret proficisci Rostochium, verum in coelestem academiam profectus est. Sepultus est 9. die Julii mane ante 4. horas, cum aperirentur portæ, nulli studiosorum hic adhuc manentium id constanti,¹ ne nobis quidem ipsius conterraneis; Nicolaus Flensburgensis ipsi adfuit, dum ægrotaret. Nihil præterea habeo, quod scribam. Puto vobis innotuisse D. Præceptorem cum nonnullis aliis ex professoribus Torgam concessisse. Non est opus, ut mihi huc literas remittas, nam, volente Deo, ultra dies 3 aut 4 non manebo hic. Gratum mihi feceris, si aliquando tuis me inviseres literis easque aut Luneburgum aut Rostochium mitteres, ut sic postea in patria mihi traderentur, quæ me de statu tuarum rerum deque novitatibus, quæ hisce in terris contingent, certiores facerent. Vale, amicorum sincerissime, et saluta tuos nobiles² meo nomine. Data Vitebergæ die 10. Julii anno 52.

¹ Sic! men meningen er klar nok. ² Hardenbergerne.

41

Johannes Pistorius til Andreas Barsbøl i Wittenberg, Frankfurt a/O,
9. august 1552.

A. B. var i følge et brev til Erik Hardenberg blevet opbragt over, hvad Pistorius havde skrevet til Johannes Georgius om ham i forbindelse med nogle i Wittenberg efterladte bøger, som han skulde have sendt ham til Frankfurt. Pistorius forsvarer sig. Han nævner også Johannes Hoynus (Hans Madsen Højne fra Ribe).

344

D. Andreae Barsbullio Dano studioso Witebergensis.

S.D. Ex literis tuis nuper ad D. Ericum Hardenbergium missis intellexi bilem tibi motam ob verba quædam, quæ in literis meis ad D. Johan-

nem Georgium datis legeras. Equidem ut verba illa mea esse haud eo inficias, ita porro miror, quomodo ea transscribere potueris, cum illi itineri, ut scribis, accincti et jam portam egredientes literas nostras acceperint. Sed valeat hoc. Aperte satis indicas in literis tuis, quod in me non parum sis commotus, quamvis D.Ericus, sed tamen oblique, etiam petatur. Verum, mi d. Andrea, quid si hic candorem in te requireremus? Probes, quæso, me te infidelem, perfidum et profugum insimulasse. Sin autem infidelitatis te nobis suspectum persentiisses, quid rectius et pio ingenuoque homini (qualem te non solum tum, cum Witebergæ una essemus, sed etiam postea semper censeo) convenientius fuisset, quam ut te suspicione quamprimum exolvisses et non ita locum iræ dedisses neque verba nostra (animo minime maligno scripta) tam acerbe accepisses et exagitasses? Sed quæ nobis suspicionem attulerint et ad scribenda illa impulerint, primum indicabo, postea rursus ad literas tuas redibo. Non dubito, mi Andrea, quin adhuc in memoria habeas, quam serio et constanter nobis Witeberga discedentibus dixeris et promiseris te cum primo nos subsecuturum auriga et libros nostros, quos ibi apud compactorem reliquimus, allaturum. Expectavimus igitur te, donec is, qui nos huc advexit, Witeberga huc rediisset, sed non venisti, nec ipse auriga vel verbulum nobis de te referre potuit. Dixit quidem fuisse Danos nonnullos, qui cum ipso huc proficisci constituerant et omnia sua suppellectilia collegerant, sed hospitem, apud quem habitabant, noluisse ipsos dimittere, quod non satisfacissent ei pro habitatione. Verum quinam ex Danis iidem fuissent, nec ipse certo nobis indicare, nec nos conjectare potuimus. Venerunt postea huc Witenberga alii aurigæ tres vel quatuor et una quamplurimi studiosi tibi et nobis haud incogniti, sed nemo illorum nobis vel libros vel literas de te attulit. Quod cum valde miraremur omnes, scripsi ad d. Georgium Selmerum, conterraneum meum, petens, ut te admoneret de hoc negotio, quo vel ad minimum nobis rescriberes, quid de libris nostris actum esset, an eos a compactore accepisses nec ne, et num aliquid aliud desideraretur. Hic Georgius nobis rescripsit te fere ab eo tempore, quo nos Witebergam reliquimus, ibi non visum. Commiseram autem et ipsi hujus rei curam, ut si tu animum huc proficiscendi mutaturus esses, ipse te una juvaret et modum inveniret, quo libri nobis ad manus venirent. Quod cum Georgio in memoriam revocavi, rescripsit nobis, quod ipse, si ibi libros habere potuisset, eos nobis allaturus fuisset. (Verum id ideo non scribo, quasi idem a te fieri expectassemus vel requisivissemus, minime omnium; nullis nobis officiis obstrictus es, nisi caritatis etc.). Deinde ipsius Georgii contubernalis huc ad nos venit et mihi libros attulit, qui per tabellarium e patria Witenbergam missi erant. Hic jam vide, mi Andrea, uter nostrum sit accusandus, et rem recta perpende via. In tanta aurigarum copia ne verbum nobis scripsisti, ut scivissemus te Witebergæ esse vel in quo alio loco, et quid de negotio, quod in te suscepas, actum esset. Suspicionem ne hic conciperemus negligenter te negotium nostrum curasse? Certe iniquus es, si id nobis interdiceres. Cogitavimus quoque, quod vel Rostochium vel Jenam vel alio concessisses. Libros autem te Witebergæ reliquisse minime dubitavimus, sed cum nobis non significasses, cui tradidisses vel apud quem eos reliquisses, id nos maxime tersit. In summa, mi d. Andrea, si uno saltem verbulo nobis, quid actum et quid nobis expectandum fuisset, significasses, quievissemus. Sed jam nonnihil ad tuas literas. Scribis te a compactore libros redemisse. Habemus tibi gratiam, mi Andrea, et si nulla in re id a te meriti sumus, merebimur in posterum data occa-

sione. Pergis, quod cum auriga non justo pretio tua supellectilia vehere vellet et audires quoque pestem et hic incipere grassari, te animi propositum mutasse, nec interea potuisse habere, qui libros ad nos perferret. Mi Andrea, hic cum auriga vel verbum nobis scripsisses! Georgius ibi adfuit; illum consuluisses vel apud illum potius libros deposuisses, quam apud Johannem Hoynum. Sed non miror, quod nec scribere, nec per alium quenquam eos mittere potueris, cum in argentifodinis esses. Porro scribis te non tam stolidum, ut quoquam cum alterius libris aufugias, ideo te non fuisse inquirendum ut profugum. Profecto, mi Andrea, facis nobis injuriam. Quod ad Johannem Georgii scripsi, in hoc non te, sed libros nostros inquisivi. Quid ad me, si ultra Sauromatas et glaciale oceanum, ut ille ait, fugisses? Cum Georgius scripsisset te non amplius ibi morari, quid potuimus cogitare aliud, quam incertum esse ubi vel a quo libros nostros reposceremus, et ut id ipsum sciremus ad Johannem scripsi, non te inquirendi gratia. Non decet ita cavillari. Tandem quicquid in hac re fecisti, mi Andrea, pro eo summa tibi a nobis habetur gratia; offerimus nos ad simile in te studium. Et ut hoc adjiciam, ne mireris, quod ego in hac causa tantum laboraverim. Nam partem librorum illorum mihi vendito, quod etiamsi non esset, tamen mihi faciendum fuit, quicquid feci, si modo fidelis pædagogii officio fungi velim apud hos nobiles adolescentes Hardenbergios. Sed, optime Andrea, vivamus ut Christianos decet, similtates et contentiones fugiamus. Natura tua est ἐριστική, eam tu refrena, nec de asini umbra aut lana caprina litiges. Deus novit, quam libenter ut cum omnibus, ita et tecum concorditer vivam. Bene vale. Francoforti ad Viadrum die 9. Augusti anno 1552.

Tuus Johannes Pistorius.

42

Johannes Pistorius til Cornelius ab Hamsfort,
Wittenberg, 13. januar 1553.

Pesten i Wittenberg havde året forud tvunget Pistorius og hans adelige elever til at forlade Wittenberg; de var taget til Frankfurt a/O omkring Skt. Hansdag (1552) for at høre den fremragende mediciner og teolog Jodocus Willichius, men omkring Mikkelsdag begyndte pesten også at rase der, og Pistorius fik malaria, som om efteråret var epidemisk. Al elendighed kommer af Guds vrede over synden. Willichius' behandling har ikke hjulpet ham, og Willichius selv blev kaldt til Halle; Pistorius og hans elever tog så tilbage til Wittenberg. Willichius døde kort efter i Lebus. I Wittenberg har Pistorius ikke konsulteret nogen læge, da Fendius og andre professorer endnu ikke var vendt tilbage, og tilmed vilde han hellere have Hamsforts råd end alle andres. Han roser Hamsforts dygtighed og resultater og beder nu om råd for sig selv. Han har det dog nogenlunde og ønsker intet mere, end at høre godt fra Hamsfort og hans familie, som han beder for og sender nytårsønsker til. Andreas Osiander, 'dette afskum og Djævelens mest stinkende kloak', er død i Königsberg den 19. september. Moritz siges at pønse på en ny krig.

346

Clarissimo viro, virtute et eruditione præstanti D. D. Cornelio ab
Hammesfort, Medico Illustrissimi Regis Daniæ.

Salutem per Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum. Clarissime
D. Doctor, verissime et rectissime tragicus ille dixit: ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς

οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν εἴδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκίαν, video nos homines nihil aliud esse quam simulacra, quicumque vivimus, et inanem umbram. Quanta enim miseria et infirmitas sit humanæ naturæ, ut passim sacræ literæ monstrant, ita maxime omnes hic, et imprimis bonarum artium studiosi, anno superiore vidimus et experti sumus. Vix locum invenimus, in quo vel a pestifera lue vel a belli furoribus et terriculamentis tuti et securi studiis nostris vacare potuimus. Propter pestem grassantem omnes circa festum Johannis hinc migrare coacti sumus, et aliis alio se conferentibus ego cum meis nobilibus Francofortium ad Viadrum me contuli, ut ibi sub D.D. Jodoco Willichio, medico et etiam theologo eximio, nonnihil proficeremus in studiis. Nec principio nos spes nostra fefellit. Tantus enim vir fuit Willichius et tanta cum diligentia et dexteritate docebat, ut neminem pœnitere posset, quod Francofortium se contulisset. Verum non longe post, videlicet circa Divi Michaëlis festum, et ibi pestis grassari coepit, et ego in febrem quartanam incidi, cum antea, scilicet in vere, tertiana laborassem, quæ, quod non rite curata esset et ego quoque per ætatem plus justo calidis bilemque gignentibus cibus uterer, in quartanam intermittentem per flavæ bilis adustionem transiit. Et fuit fere ibi Francoforti hæc quartana in autumno morbus epidemius, cum antea in vere ibi plurimi causo, hoc est tertiana ardente continua, ægrotassent. Talis fuit nostra fortuna superiori anno, sed sola ecclesia Dei tantarum calamitatum fontem et causas videt et intelligit, videlicet peccatum, quod naturæ ingenitum est et quotidie quoque committitur, et cernit quoque talibus ærumnis affici et onerari humanam naturam, ut vere intelligat Deum irasci peccatis et nolle, ut ipsa secura sit, sed assidue poenitentiam agat et in ea proficiat. Ideo etiam non male dixit Sophocles ethnicus: οὐν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κἀδύρεται, omnes Deo volente vel rident vel lugent. Aliquamdiu autem Francofurti in quartana illa curanda consilio et opera D. D. Jodoci Willichii usus sum, sed non successit, et ipse Willichius quoque tum Hallam Saxonum vocabatur ad episcopum, Marchionis Joachimi Electoris filium. Nos vero propter pestis vehementiam Francofortio quoque, antequam Willichius rediret, discedere coacti sumus. Brevi post nostrum discessum Willichius reversus est et Lebusii apud episcopum Lebusianum mortuus est. Quamvis igitur quartana illa me adhuc teneat et quarto quoque die circa quartam horam vespertinam me corripiat et invadat ac plerumque circa octavam horam dimittat, tamen ex eo tempore, quo nunc huc Wittenbergam reversi sumus, neminem hic consului, cum quod medici nostri, et inter illos præcipuus Fendius, nondum ex dissipatione hujus scholæ redierint, tum quoque quod, eximie D. Doctor, Vestræ Præstantiæ consilium, cum hunc tabellarium in Daniam mittere constituissemus, quærere vulerim et etiam omnium aliorum, qui hic sunt, consiliis anteferam. Novi enim, quantum Præstantia Vestra in curandis morbis valeat et quam magnum a Deo successum et benedictionem hac in re habeat. Quapropter etiam atque etiam Præstantiam Vestram oro et obsecro, si quid habeat (habet autem, de eo non dubito), ut id mihi pro solita sua humanitate et favore impartiat, et quid mihi agendum sit, paucissimis verbis indicet. Promitto pro hoc et omnibus aliis vestris in me beneficiis perpetuam gratitudinem et observantiam. Rerum mearum status alioqui, laus sit omnipotenti et misericordi Deo, mediocris est, quare nunc nihil fere libentius et ex animo vicissim scire vellem, quam ut Præstantia Vestra, honestissima et multis præclaris virtutibus ornata conjunx et dulcissimi liberi valeant. Quamvis, ut semper in precationibus meis pro vobis omnibus Deum oro (cujus ipse mihi

testis sit), ita etiam spero vos omnes salvos et incolumes esse, quod ut omnino ita sit diuque duret ad gloriam divini nominis et vestram salutem misericordem Deum propter Jesum Christum iterum oro. Et ab eo quoque precor, ut totius hujus novi anni curriculum vobis omnibus prosperum et felix sit. Amen. Porro non dubito, eximie D. Doctor, quin Præstantia Vestra audiverit portentum illud et foedissimam Diaboli cloacam Andreæ Osiandrum expirasse Regiomonte die 19. Septembris. Alioqui novi hic hoc tempore nihil est. Ajunt Mauritium novum bellum meditari. Dominus noster Jesus Christus conservet miseram ecclesiam suam, conterat autem et dispergat eos, qui bella volunt, sanguinem humanum sitiunt et malis gaudent. Amen. Bene et feliciter valeat Præstantia Vestra cum honestissima conjuge et liberis carissimis. Datæ Wittenbergæ anno 1553 die 13. Januarii.

Præstantiæ Vestræ studiosissimus
Johannes Pistorius Husensis.

Anm. I marginen er der ved begyndelsen af dette brev tilføjet: Præcedet illa ad Andreæ Barsbillium Francofordi data, som vist ikke er andet end en påmindelse til afskriveren om, at brevet til Andreas Barsbøl skal gå forud for det til Cornelius ab Hamsfort.

43

Johannes Pistorius til Paul Noviomagus, Wittenberg, 13. januar 1553.

Pistorius udtrykker sin taknemmelighed over for Noviomagus og hans familie for alt det gode, de har gjort ham. Som tak sender han 'Lærerens' (Melanchthons) afhandling om 'Midleren', som han har skrevet efter det mundtlige foredrag. Han omtaler overflytningen til Frankfurt a/O som ovenfor i 42, derefter Stancarus, som var fordrevet fra Königsberg 'på grund af Osianders ondsindethed og tyranni', men i Frankfurt fandt en ny modstander i Musculus, som modarbejdede en ansættelse af Stancarus ved universitetet og mistænkte ham for i visse ting at holde med Osiander. Det første sammenstød mellem de to ved en privat samtale; Stancarus holder for, at Kristus har lidt som menneske og er vor mellemmand ifølge sin menneskelige natur, Musculus holder på, at han har lidt og er vor mellemmand som gudmennesket. Musculus opslår teser til en disputats om de to naturers personalunion i Kristus og om Midleren, men indbyder ikke Stancarus til den. Ved en disputats nogle dage senere er Stancarus uindbudt til stede, og der opstår en ordveksling om, at han ikke var blevet indbudt til den første disputats. Stancarus opstiller sine betingelser for en ny disputats, som Musculus går ind på, men sagen forhales og overgives til kurfyrsten. Det er ikke kommet til nogen afgørelse; Musculus har skrevet til Melanchthon om sagen og opregnet Stancarus' efter Musculus' mening fejlagtige påstande. Melanchthon er imod Stancarus. Georg Major er kommet tilbage fra Eisleben og må høre om, hvor mange dukater han har modtaget i Eisleben, og hvorledes han har forfalsket læren om retfærdiggørelsen. Om Luthers enkes død 'denne vinter' (20. december 1552) og om Andreas Osianders død (med fejlagtig dato; A.O. døde 17. oktober 1552).

348

Reverendo viro pietate, virtute et eruditione præstanti D. Magistro Paulo Noviomago, Serenissimi Regis Daniæ contionatori, Domino suo perpetua fide et observantia colendo.

Gratia et pax per Dominum nostrum Jesum Christum sit cum omnibus vobis. Amen. Eximie Domine Magister, Mæcenas et patrone semper ob-

servande, superiore æstate cum certum in Daniam nuntium nactus eram, literas qualescunque Præstantiæ Vestræ misi, et non dubito, quin ei traditæ sint. Etsi autem nihil, quod alicujus esset momenti, in se continebant, animi tamen mei erga Præstantiam Vestram et totam ejus familiam gratitudinem et observantiam pro innumeris vestris beneficiis debitam non obscurum, ut arbitror, fecere indicium. Nec fere alia me jam causa, cum denuo commodi tabellarii copia facta est, ad scribendum impellit. Ut enim, cum adhuc in Dania eram, Præstantia Vestra mihi semper summe favit et ad altiora promovere studuit, ideoque ego vicissim (quod Deum testor) non alio erga Præstantiam Vestram quam animo filiali, hoc est prorsus ab ea pendente et in totum ei dedito, gratificari ei et obsequi ex corde gestiente affectus eram et semper in id intentus eram, ne animi vestri erga me benevolentiam ullo modo a me abalienarem, ita et adhuc non minor mihi de hoc sollicitudo et cura est. Quare non raro in precationibus meis ad Deum Præstantiæ Vestræ et familiæ ejus mentionem facio, ut nimirum Deus Præstantiam Vestram diu salvam et incolumem conservet et Spiritu suo Sancto donet et regat, ut in doctrina fidei Christianæ omni tempore recte sapiat et sentiat eamque incontaminatam custodiat in tot hujus temporis de vera doctrina dissidiis et controversiis. Amen. Ad hæc cogito et assidue mecum meditor, quo pacto re ipsa Præstantiæ Vestræ gratificari et ostendere possem nihil mihi Præstantiæ Vestræ favore et benevolentia carius et antiquius esse. Et cum id mihi (cui vel mediocres facultates desunt) scriptis et literariis munusculis qualibuscunque præstandum sit, mitto hic Præstantiæ Vestræ tractatum Domini Præceptoris nostri de Mediatore, quem ex ore dictantis excepi et bona fide transscripsi. Quare autem id fecerim, brevibus Præstantiæ Vestræ indicare volo. Superiore æstate, cum hinc nobis propter pestem grassantem discedendum esset, ego me cum meis nobilibus Francofurtium ad Viadrum contuli, ut ibi doctissimum virum Jodocum Willichium audiremus docentem. Eo cum venissemus, advenerat quoque quidam Franciscus Stancharus nomine Italus, patria Mantuanus, vir sane apprime doctus et sacræ theologiæ doctor, cujus professorem Regiomonti in Borussia egerat, unde propter malevolentiam ac tyrannidem Osiandri, quem aliquoties in publicis disputationibus confutaverat, ejectus erat. Venit igitur Francofurtium, ac conducta ibi domo cum uxore et liberis domi se perpetuo fere continens aliquamdiu tacite et quiete ibi vixit. Ceterum est et ibi alius quidam Andreas Musculus vocatus, doctor theologiæ et professor in academia, nec non pastor in civitate. Hic metuens ne Stancharus in academia locum consequeretur (quod D. Hieronymus Schurffius cupiebat et conabatur Stancharo addictissimus) et ipse postea forte existimationem et auctoritatem suam amitteret (est enim homo mire κενόδοξος), quærit quid in Stancharo calumniatur et arrodatur ac maculum ipsi aspergeret. Simulans igitur candorem ac benevolentiam aliquando Stancharum invisit, et ultro citroque de variis habitis sermonibus inter se etiam de Osiandri erroribus conferunt. Hic inter alia Stancharus, qui certe vir gravis et severus est, non arundo, quæ vente agitatur, aut talis (quales jam multi), qui temere in verba magistri juraret (ut Horatius inquit), Musculum in hunc fere modum admonet: Mi Muscule, si hæc schola aut Princeps synodo congregata quicquam contra Osiandrum scribere voluerit, moneo et obsecro vos, ut id prudenter et circumspecte faciatis. Nam omnes fere, qui hactenus contra Osiandrum scripserunt, non reprehendunt eum in his, in quibus est reprehendendus, ex quo Osiander eorum scripta irridet, contemnit et indies redditur pertinacior. Hæc admonitio Musculo non placuit, primo quasi ipse et alii Francoforti

tam rudes essent, ut errores Osiandri non agnoscerent. Deinde ex ea suspicionem concipit Stancharum in aliquibus vel Osiandro consentire, vel non cum ipsis sentire. Nihilominus ulterius progrediuntur et in sermonem incidunt de passione Christi. Hic Stancarus ait Christum esse passum in humana natura. Contra Musculus id falsum esse, sed Christum et in divina et humana natura passum. Longius veniunt et de Mediatore colloquuntur. Stancarus ait Christum secundum humanam naturam esse nostram mediatorem, Musculus autem et hoc damnat et dicit Christum secundum divinam et humanam naturam esse mediatorem. Et hic jam Musculus exultat triumphatque jam se cepisse, quod venabatur. Stancharus ait: Muscule, expecta, fortassis non satis me intelligis. Ideo, si placet, ex professo, non superficialiter, plenius et clarius de his agemus. Sed nihil amplius audire voluit Musculus, se jam satis habere ex ipso dictitans. Ideo nunc in publico lectorio, nunc in contionibus suis Stancharum perstringit, in eum debacchatur et hæreseos damnat. Tandem etiam publicam disputationem meditatur et proponit. Stancarus bonos viros ad ipsum mittit, orat ut inter se colloquantur et conferant, nec temere contentiones et rixas in ecclesia moveat, orat quoque, ne se ita traducat et diffamet, neque hæreseos damnet, antequam convicerit; quod si nihil illorum velit, se disputationem non subterfugiturum. Quare cum Musculus nihil aliud quam disputare cuperet, procedit ad disputandum et themata de unione personali duarum naturarum in Christo et de Mediatore excussa affigit. Sed Stancaro nec mittit themata, nec ad disputationem eum invitat, quod fieri oportuisset, cum disputatio potissimum contra Stancharum instituta et directa esset, et Stancarus ut hospes ibi ageret, nec universitatis membrum esset. Disputat tamen Musculus, et quidem bis, una vice de illa propositionum parte, quæ erat de unione personali duarum naturarum in Christo, altera vice de illis, quæ erant de mediatore Deo et homine Jesu Christo. Priori disputationi Stancarus non interfuit. Post aliquot dies cum altera disputatio esset habenda, ad eam Stancarus, etsi non invitatus, accessit et in ordine doctorum prima subsellia occupantium locum capessit. Cum Dominus Respondens perorasset (ut moris est), Musculus Stancaro primo loco disputandi vel opponendi partes offert. Ibi tum Stancarus musculum sic allocutus est: Miror, ω Muscule, quo animo sis affectus, quod cum me pro adversario tuo et pro hæretico damnato publice de suggestu proclamaveris, et tamen jam disputandi locum mihi offeras, cum quidem nec disputationis tuæ themata mihi miseris, nec unico saltem verbo me ad disputationem tuam invitaveris. Respondet Musculus se misisse ipsi per Bedellum themata disputationis. Pedellus ibi publice interrogatus idipsum affirmat et ait se themata puero Stancari tradidisse. Adest puer Stancari ac id factum esse pernegat. Quid dicis? ajebat; nunquam te in ædibus nostris vidi. Hic coram toto coetu scholastico Musculus cum suo Bedello mendacii convictus obmutuit et erubuit. Sed Stancarus pergit ac ait: Quum mihi, ω Muscule, disputandi locum offeras, scito me non detrectare tecum disputare, ut aliquid certi de his summis rebus fidei nostræ constituatur et gloriatio sit in veritate. (Ibi Musculus interloquebatur vultu non decente theologum inquiring: non in me, sed in Satana.) Sed verba in cassum non fundam. Ideo hisce condicionibus tecum disputabo (et e sinu charta prolata 4or condiciones legit, quas ego postea ex autographo Stancari descripsi, nam id petiit, ut aliquot nostrum se accederent ac eas describerent, ne forte ab adversario ipsi imponeretur etc.). Hæc legit: Ut aliquid certi in hac tanta causa fidei decernatur, his condicionibus tecum, ω Muscule, sum disputaturus: Prima, si coram

professoribus omnibus academiae et magistris civium fiet disputatio. 2. Si fuerint delecti iudices, qui plenariam potestatem iudicandi et animadvertendi in victum (si retractare suam sententiam noluerit) habuerint. 3. Ut ego solus cum te solo congrediar. 4. Ut sint vel notarii vel alii quatuor, qui argumenta utriusque nostrum excipiant.

Musculus condiciones accipit, sed quia statim iudices, notarii etc. constitui non possent et rem prius ad Principem deferre conveniebat, disputatio tunc non processit. Postea igitur causa ad Marchionem Electorem delata est, et uterque Stancarus et Musculus Berlinum vocati sunt, ubi in consessu senatus Marchionis et praecipuorum in Marchia verbi ministrorum de duobus supra indicatis articulis sententiam suam dixerunt. Sed quia visi sunt in utramque partem probabilia dicere, ideo nulli victoria adjudicata est, sed conclusum, ut controversia publica disputatione et quidem juxta condiciones, quas Musculus a Stancaro acceperat, dirimeretur. Haec autem, quae sequuntur, Stancarum ibi coram Marchione Electore confessum esse et velle defendere Musculus huc ad Dominum Praeceptorem perscripsit, ex cujus literis haec sunt excerpta:

Prima propositio: Christus est mediator noster secundum humanam naturam tantum. 2. Nos sumus justii non essentiali justitia Dei, sed justitia hominis Christi creata. 3. Executio justitiae divinae est tantum secundum humanitatem facta. 4. Qui aliter sentiunt, sunt omnibus gentibus deteriores; nam gentes faciunt suos deos immortales, illi vero faciunt suum Deum mortalem contra rationem et sensum communem. 5. Qui dicunt Christum esse mediatorem, passum, mortuum, resurrexisse, ascendisse in coelum, sedere ad dextram Patris et intercedere pro nobis secundum utramque naturam, ii loquuntur contra Scripturam, sanctos Patres, contra doctores scholasticos. Nam neque Scriptura sic loquitur, nec ullus hominum unquam sic locutus est, et sunt Manichaei, Valentiniani etc.

Haec, reverende D. Magister, acta sunt, cum adhuc Francoforti essemus, sed postea inde propter pestem et ibi grassantem illinc discessimus. Quare ignoramus quo pacto res transacta sit. In posteriore articulo non arbitror Musculum errare, et ut in hoc scripto de eadem re et propter hanc controversiam facto, quod Praestantiae Vestrae mitto, videre licet, Dominus Praeceptor Stancaro est contrarius. Ideoque vereor Stancarum hic consistere posse. Sed de his satis. Porro, reverende D. Magister, Praestantia Vestra sciat Doctorem Georgium Majorem Islebia huc reversum, et quam male audiat cum ob [avaritiam]¹ (habuit enim Islebiae quotannis aliquot centenos aureos, vix audeo dicere quod, quidam septem, quidam plures dicunt), tum ob adulteratam a se doctrinam justificationis. Sed illa parum decet me scribere, alios Praestantiae Vestrae narrare de his velim; ego hic manum de tabula, ne quid nimis etc. Hac hieme 20. Decembris vidua D. Lutheri pia memoriae ex hac vita migravit. Et, quod fortassis Praestantiam Vestram haud latet, 19. Septembris Andreas Osiander ad Plutonia concessit regna. Dii, talem terris avertite pestem. Unicus et verus Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, in his et regnorum confusionibus et omnimoda ingeniorum petulantia conservet et regat Spiritu suo Sancto ecclesiam suam afflictissimam. De his, cum nuntium nactus essem, ad Praestantiam Vestram scribere libuit, et quidem festinanter. Quare si quid minus concinne et eleganter scriptum est, id Praestantia Vestra pro solita sua humanitate in meliorem interpretabitur partem. Rogo, ut conjugem vestram honestissimam meo nomine salutetis. Deus adsit vobis omnibus. Amen. Datae Wittenbergae 13. Januarii anno 1553.

Praestantiae Vestrae studiosissimus Johannes Pistorius Husensis.

¹ Det i håndskriftet udeladte ord kan næppe være noget andet.

Cornelius ab Hamsfort, Nyborg, 23.februar 1553.

Svar på brev fra Pistorius (se ovenfor 42). Et virkeligt godt råd kan ikke gives, når lægen ikke er til stede; ellers skader medicinen mere end den gavner. Der nævnes det meget virksomme theriak, som dog ikke må gives i utide, og Pistorius rådes til at opsøge dr. Fendius. Han bedes skaffe Hamsfort en medicinsk bog. (Brevsamlingen har to noget forskellige afskrifter af brevet. Nedenfor gengives nr. XL med varianterne i nr. 347 i en fodnote.)

XL

^aCornelius ab Hammesfort, Medicinæ Doctor, et Regiæ Majestatis Daniæ Medicus, ^ahonesto et studioso juveni ^bJoanni Pistorio S.D. ^b

Intellexi, carissime domine Johannes, ex tuis ^clitteris per præsentem ad me datis ^cte autumno superiori in febre ^dquartanam incidisse eaque etiamnum laborare, quæ febris tametsi ^ecommuniter cum reliquis intermittentibus minus periculosa judicatur, tamen tibi consulo, ut diligentem ejus rationem habeas, cum sis temperamento corporis sicciore, quod facile ad tabem hæc febris longa perducit. Porro, quod Galenus de quartana dicit, eam minime periculosam, videtur longum paroxysmorum intervallum respicere, quod vires restaurat et medicamentorum oportunitatem exhibitionem permittit. Ego libenter tuæ petitioni hic satisfacerem, et tibi meum consilium communicarem, si id ^fcitra periculum tuæ vitæ fieri posset. Ego Dei beneficio in plurimis quartanam curavi, sed eisdem adfui, tempora morborum observans, quod ^gin omni febre cum maxime sit necessarium, tum id in quartana diligentissime est notandum, alioqui fit, ut medicina ex simplici quartana duplicem faciat, et longe magis noceat, ^hquam prosit, ⁱquando intempestive exhibetur. Corpus tuum est purgandum, scio quo medicamento, nescio interim, dum hic tibi absum, quando materia morbi est concocta et educationi apta. Item theriaca est præsens remedium adversus quartanam, sed intempestive ^kdata multis in hac febre nocuit. Consilium ergo meum est, ut Doctorem Fendium, virum pium et doctum medicum, istic consulas; ipso ^lpro suo ^mcandore etiam gratis tibi libenter inserviet. Bene vale, et diligenter stude. Data in ⁿNieborch 23. Februarii anno 1553. ⁿ ^o

Varianter i nr. 347:

a-a-; b-b Johanni Pistorio Husensi, amico amando, S.P.D.
c-c 2 3 4 5 6 l d ÷ e etsi f hoc g + cum h nocet
i prodest k minus in tempore l ipse m + solito
n-n Nieborch anno 53 die 23. Februarii. Cornelius ab Hamsfort.
o + Extare solet libellus, cui titulus Pillularum Panthaleonis; de eo ut inquiras et mihi emas, te rogo. Pretium cum fænore tibi remittam. Iterum vale.

Ludolph Priggus, Leipzig, 26.april 1553.

Priggus har været borte fra universitetet på grund af pesten. Ønsker at høre nyt fra Danmark. Han har skrevet til magister Paul (Noviomagus?) og skriver derefter om mellemværendet mellem Flacius og Georg Major angående gode gerningers nødvendighed eller ikke-nødvendighed til frelse og citerer Skriften og Luther. Han omtaler bagvaskelser af Major, som f. eks. ved Flacius i hans skrift 'Wider den Evange-

listen D. Geitz Major', nævner også Epinus, men tvivler ikke på, at menighederne i Danmark holder med menigheden i Wittenberg.

XLI

M. Ludolphus Prighius

eximia pietate et doctrina domino Joanni Artopoeo amico carissimo S.D.

Salutem in Christo Jesu. Quod jam diu nihil ad te literarum dedi, fecit meus ex hac academia discessus pestis grassantis gratia. Interea tamen memoria tui nequaquam animo meo excidit, Artopoee carissime. Nunc igitur denuo tibi propinquior factus, oblato præsertim hoc honestissimo juvene D. Jacobo communi utriusque nostrum amico, non putavi mihi committendum esse, ut is meis literis vacuus ad te rediret. Scribo autem brevius, nunc quidem non satis otiosus, et maxime ob hanc causam scribo, ut, si quid habes, quod me scire voles, cures literas tradi M. Sebastiano Röslero habitanti Lipsiæ in collegio novo. Accipio superioribus nundinis hujus anni mense Januario allatas fuisse Lipsiam ex Dania literas ad me pertinentes, quæ tamen mihi non sunt redditæ; a quo autem scriptæ et missæ sint, non habeo compertum, neque tibi fortasse constat. Tu velim mecum communices, si quid habes novi ex Dania. Scripsi M. Paulo ante semestre illique meum animum declaravi de accipienda condicione, sed dubito, utrum illi redditæ sint meæ literæ, an non. Principem Augustum ajunt proficisci una cum conjuge sua ad Serenissimum nostrum Regem.

Schisma calumniis Illyrici excitatum quo evasurum sit, non video, me quidem certe afficit dolore. Quid enim pulchrius, quid unicuique nostrum etiam privatim utilius ecclesiæ matris nostræ tranquillitate? Quid perniciosius quam in ecclesiam invehi hoc ambiguum dogma: Bona opera ad salutem non sunt necessaria, præsertim si nulla addatur explicatio? Nam Illyricus D. Majoris verba citat truncata ac mutila. Nusquam enim memini me legere apud D. Majorem hæc nuda verba in sensu ambiguo: Bona opera ad salutem necessaria sunt; sed in hanc sententiam loqui ipsum scio: Ad salutis conservationem in iis, qui sola fide jam sunt justificati, bona opera necessario requiruntur. Sic apud Paulum legimus: Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem. Utrumque haud dubie necessaria. Item: Salvatur mulier per filiorum generationem, si manserit in fide. Item: Si actiones carnis mortificaveritis Spiritu, vivetis. Item Christus: Qui perseveraverit in finem usque, salvus erit. Item: Nisi justitia vestra abundaverit etc. Non enim tantum de imputatione loquitur. Sic Lutherus in colloquio cum Philippo anno 1536 concedit et affirmat justitiam bonorum operum ita necessariam esse ad salutem, non quod salutem mereatur, sed quod fidei salutem merenti adsit seu corem sit ut calor igni aut splendor in sole. Neque aliter D. D. Alesius hic nuper in publica disputatione et in commentario suo in epistolam ad Romanos cap. 10 locutus est, piis et doctis viris approbantibus. Sed, ut non ignoras, diaphoristæ calumniari et conviciari D. D. Majorem non desinent, ut nuper Illyricus in suo scripto, cui titulum fecit satis scurriliter Wider den Evangelisten D. Geitz Major, impudentissime atque impiissime asserit, latronem dextrum in cruce non habuisse bona opera. Nec Epinum revocasse audio suum dogma de passione Christi apud inferos post passionem in cruce. Cum itaque tam misere dilaceretur ecclesia, oro te, si quid isthic forte rescivisti de compositione horum dissidiorum, id mihi significes. Ecclesias in inclito Daniæ regno Vitebergensi ecclesiæ conjunctas esse non dubito. Sed video me prolixiorum esse quam volebam. Vale felicissime ac saluta

officiose omnes Academiae Hafniensis alumnos imprimisque discipulos tuos adolescentes nobiles. Lipsiæ 26. Aprilis anno 53.

46

Johannes Pistorius til Cornelius ab Hamsfort, Wittenberg, 27. juni 1553.

Pistorius' fjerdedagsfeber med fare for svindsot. Den af Hamsfort ønskede bog har han ikke kunnet opdrive, men sender Hovedsummen af den sande Lære ved Melanchthon. Han skal nok med flid passe sit studium, så vidt kræfterne tillader det, og Hamsfort med andre skal ikke komme til at fortryde, at de har hjulpet ham.

351

Clarissimo viro virtute et eruditione præstanti D. D. Cornelio ab Hammesfort, Illustrissimi Regis Daniæ Christiani Medico, Mæcenati ac Domino suo.

Redditæ sunt mihi ante aliquot dies Præstantiæ Vestræ literæ perquam amantissime et humanissime scriptæ, quibus quam sim exhilaratus verbis exprimere satis nequeo. Gratias autem Præstantiæ Vestræ ago quam possum maximas, cum quod non gravata sit ad me rescribere, tum quod fideliter in morbo meo mihi consuluerit. Sic autem jam sese quartana mea habet: circa Quadragesimam me reliquit, sed nuper circa Pentecoste rediit, et quamvis nunc non habeam tam vehementes paroxysmos quam antea, sentio tamen debilitationem et virium extenuationem non exiguam. Nondum quenquam hic consului præter Dominum Præceptorem Philippum; is suasit, ut locum mutarem et peregrinarer aliquantulum. Sed id mea condicio minime fert. Et D. D. Fendium, ut Præstantia Vestra in literis suis consulit, adissem, sed ipse jam aliquandiu domo abfuit et admodum nuper est reversus. Consulam igitur illum et quidem quamprimum. Si non esset periculum a phthisi vel tabe, ut Præstantia Vestra scribit, expectarem adhuc aliquantulum. Nam paroxysmi, ut dixi, non sunt nunc adeo graves, et vereor, ne medicamentis vires magis prosternantur seu debilitentur. Legi enim aliquoties in libris medicis melancholiam omnium humorum difficillime medicamentis expurgari. Nihil magis cuperem, quam ut liceret mihi esse apud Præstantiam Vestram. Commendo autem omnia Deo, mediis interim usus, quæ hic nobis ipsius bonitas ministraverit. Præstantia Vestra scribit de libello, cui est titulus Pillularum Panthaleonis. Jam autem Deus novit, quam diligenter hic apud omnes bibliopolas de hoc libello inquisiverim. Et Lipziæ quoque per quendam studiosum hinc eo proficiscentem de eo curavi inquiri, verum nusquam nec hic Witebergæ, nec illic Lipziæ haberi potuit. Unus quidam tantum est hic ex bibliopolis, qui mihi respondit habuisse se libellum illum ante triennium, ni fallor, et impressum fuisse Lugduni. Rogo igitur, ut Præstantia Vestra me excusatum habeat. Certe si scirem aliqua alia esse, quæ Præstantiæ Vestræ placerent, ex animo ea vobis transmitterem. Mitto tamen exiguas hasce chartas continentes summam veræ doctrinæ a Domino Præceptore Philippo magna cura et diligentia conscriptam et publice hic ipso præsidente disputatam, et declamationem, quam quoque scripsit. Hæc, eximie D. Doctor, ut Præstantia Vestra boni consulat etiam atque etiam oro. Alias, volente Deo, meliora mittam. Quod vero Præstantia Vestra in literis suis postremo loco me monet et hortatur, ut diligenter studeam, id quam mihi gratum et acceptum fuerit, vix dici potest. Promitto igitur Præstantiæ Vestræ tantum me conaturum et facturum, quantum vires meæ ferent, et utinam tantæ mihi vires essent, quanta voluntas adest; efficerem certe, ut Præstantiam Vestram et alios nunquam pæniteret operæ et impensæ in me collatæ.

Faciam tamen, Deo auxiliante et vitam concedente, ne videar inutile pondus terræ aut fruges consumere natus, ut ille inquit. Studium meum præcipuum est theologia, in qua ut tantum proficiam, ut ecclesiæ Dei sive in patria, sive alibi, quocunque me Deus vocaverit, aliquando inserviam et utile Dei organum sim, ipsum, qui æternus Pater Domini nostri Jesu Christi, indies toto pectore oro. Ac ipsi Præstantiam Vestram una cum honestissima conjuge et liberis commendo. Datæ Witebergæ 27. Junii anno 1553.

Præstantiæ Vestræ studiosissimus
Johannes Pistorius Husensis.

47

Johannes Pistorius til senator Matthias Knutzen i Kiel,
Wittenberg, 27. juni 1553.

Tak for al godhed mod Pistorius' moder og ham selv og for et to år gammelt tilbud om at hjælpe ham til en stilling; han havde den gang forpligtet sig over for Ejler Hardenberg og dennes sønner, men håber dog, at når han engang kommer hjem, Knutzen da vil være ham behjælpelig med at få et embede i kirken. Han beder om, at evangeliets lys må vedblive at skinne i hans fædreland o. s. v. Universitetets tilstand er god, Melanchthon har det godt, der er flere studenter end i fjor, da så mange studenter havde forladt Wittenberg på grund af pesten. Der er rygter om krig, men han håber, Wittenberg er uden for fare. Han sender Melanchthons disputats (den samme som nævnt i nr. 46) og beder Knutzen give sin søn Laurentius det signerede eksemplar.

352

Virtute et eruditione præstanti viro Domino Matthiæ Knutzen senatori
Kiloniæ, Mæcenati suo observando.

S. D. Quod hactenus, et præsertim dum hic Witebergæ vitam egi, ubi non raro tabellariorum eo ad vos proficiscentium copia datur, nihil ad te, vir præstantissime, literarum dederim, in meliorem partem ut accipias oro. Nam etsi agnoscam et fatear me jure propter hoc reprehendi posse, habeo tamen, quo me aliquo modo excusare possum. Sæpius quidem mecum constitui, ut Præstantiæ Tuæ scriberem, sed partim pudore sive verecundia, ut qui non ausus fuerim literis meis inconditis tibi obstrepere, partim angustia temporis, quæd plerumque tum, cum nuntium nactus essem, plures mihi literæ in Daniam scribendæ essent, et tabellarii festinatione quoque institutum relinquere coactus sum. Et quidem hoc ipso tempore parum admodum otii ad scribendum mihi relictum est. Attamen ne Præstantia Tua aliquid de me sinistre suspicaretur, volui, ut potui, facere et qualescunque potius quam nullas Præstantiæ Tuæ literas mittere. Primo igitur, præstantissime vir, habeo et ago tibi gratias quam maximas cum pro innumeris beneficiis, quæ et matri meæ viduæ et mihi ab ineunte ætate præstitisti, tum pro illo quoque beneficio, quod cum ante biennium, cum Haffnia in patriam redissem, Præstantia Tua per sororem Catharinam Borchardi operam et diligentiam suam obtulit ultro in procuranda condicione, si quam acceptare vellem. Satis enim ex eo liquido benevolentiam erga me tuam colligere et æstimare potui. Verum ut tum nobili et generoso viro Hilario Hardenberg me obstrinxeram et curam filiorum ipsius in me susceperam, ita adhuc in eodem versor munere et labore, nec certo scio, quam brevi ab ipso dimittar. Studeo interim inter alia, quantum per Dei gratiam mihi licet, præcipue theologiæ, et hunc in finem studia mea dirigo, ut suo tempore Deo auxiliante in docendo verbo Dei

47

ecclesiæ in patria mea vel alibi inserviam. Quare cum, ut antea dixi, Præstantia Tua ante biennium operam suam mihi sponte obtulit, ita spero, si quando in patriam rediero, idem sit factura et pro sua humanitate et benevolentia, quæ et studia liberalia et me persequitur, mihi opitulatura, si petiero, ut condicionem aliquam ecclesiasticam adipiscar. Precor autem æternum et misericordem Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut quemadmodum veram lucem evangelii et cognitionem filii sui in dulcissima patria nostra accendit, ita et propter misericordiam suam eam ibidem conservet nec extinguere sinat ac omnium corda, et docentium et discentium, Spiritu Sancto suo illuminet et regat, quo unum in ipso sint ac pie sancteque vivant fructus poenitentia dignos proferentes, idque ad Dei gloriam, ad vitandas poenas temporales et æternas et ad tranquillitatem et commodum humanæ societatis. Amen. Optimus hoc tempore academix hujus, laus sit Deo, est status. Parens et præceptor noster D.Philippus Melanthon læta et commoda est valetudine, et plures fere huc studiosi redierunt quam anno superiore, cum propter pestem dissipatio scholæ hujus accidit, hic fuerunt. Ideo miror, cur Henricus Haggius quoque Rostochio huc non revertatur. Bellorum rumores hic quidem nonnulli sunt, speramus tamen nos fore extra periculum. Mitto hic Præstantiæ Tuæ aliquot chartas, quas ut humaniter et benigne a me accipiat vehementer peto, nec tam ipsas chartas quam animum mittentis eas respiciat. Disputatio, quæ hic est, a Domino Præceptore Philippo magna cum cura et diligentia conscripta est continetque summam veræ doctrinæ ecclesiæ Dei; reliqua qualia qualia sunt, non tamen contemnenda arbitror. Rogo, ut Præstantia Tua Laurentio Knuttzen filio exemplar nomine ipsius signatum tradere et omnia bona et felicia cum ipsi, tum Paulo meo nomine precari velit. Gratia et auxilium Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen. Datæ Witebergæ 27.Junii anno 53.

Præstantiæ Tuæ studiosissimus Johannes Pistorius Husensis.

48

Johannes Pistorius til Paul Noviomagus, Wittenberg, 27.juni 1553.

Pistorius' helbred er nogenlunde, og han håber på bedring. Om fjerdedagsfeberen (som ovenfor i nr. 46), universitetets forhold (som i nr.47). Melancthon forelæser om Romerbrevet, fortolker den nikænske trosbekendelse, holder kateketiske øvelser og har begyndt på en fortolkning af Malakias og Salomons Ordsprog; han gendriver daglig Osianders og Stancaruss' meninger og vildfarelser, og der gives et par eksempler på hans gensvar til Stancarus (cf.43). En fantast, Theodor Thamer, er af landgreven i Hessen blevet sendt til Melancthon for at blive belært af ham. Thamers fantastiske påstande opregnes med Melancthons svar. Manden var stædig og pralede med, at han med sin lære vilde drage gennem Tyskland som en triumfator. Rygter om uro i Frankrig på grund af Calvins tale om prædestination. Alt er djævelsk raseri mod den stakkels kirke; derfor må vi våge og holde fast ved den sande lære. Teologer, bl. a. Menius, er sendt til Østpreussen for at bilægge de stridigheder, Osiander har givet anledning til. Markgreven af Nürnberg er kommet til Thüringen, men er ikke nået længere end til Erfurt; nu er han i nærheden af Braunschweig, efter sigende for at samle tropper. Der siges også, at den danske konge er på kejserens side, hvilket Pistorius dog er utilbøjelig til at tro, men man frygter meget for, 'at der spilles om Moritz' skind'. I Wittenberg nærer man f. t. ingen frygt, men man forudser, hvad der kan ske i Leipzig og i Dresden. Skulde universitetet i Wittenberg atter adspredes, vil Pistorius med sine elever tage til Danmark.

Reverendo viro pietate, virtute et eruditione præstanti D. Magistro Paulo Noviomago, Serenissimi Regis Daniæ Christiani contionatori, Domino suo perpetua fide et observantia colendo.

S.D. Nuper, cum præsens hic tabellarius hinc in Daniam proficisceretur, literas ad Præstantiam Tuam perferendas ipsi dedi, quas, cum huc reverteretur, se uxori tuæ, quod tum domo abfuisses, tradidisse ajebat. Quare non dubito, quin Præstantia Tua literas eas et illa, quæ eis adjuncta fuere, acceperit. Nunc autem, cum denuo ad vos proficisci instituisset, etsi (cum quod iter admodum maturaret, tum quoque quod plures mihi literæ scribendæ essent in Daniam) admodum parum otii mihi relictum sit, nolui tamen committere, ut sine meis literis ad Præstantiam Tuam rediret. Cupio enim hoc qualicumque officio Præstantiæ Tuæ ostendere, quanti ejus favorem et benevolentiam faciam, atque quod beneficia, quæ in me multoties contulit, in recenti habeam memoria habiturusque sim, quoad vixero. Valetudine sum mediocri et expecto a misericordi Deo, ut aliquando melior fiat, et ut pro sua bonitate longius vitæ curriculum mihi concedat, quo cum veram de Deo doctrinam, ut coepi, plenius addiscere possim, tum in agnitione Dei, fide et aliis piis exercitiis confirmatior reddar, ac postremo ut aliis laboribus meis inservire ac prodesse queam. Luctatus sum jam aliquandiu cum quartana et adhuc luctor; exitum Deus novit et in manibus suis habet. Ideo cum Ulysse Sophocleo dico: Γένητο μεντ' πᾶν θεοῦ τεχνωμένου. Status hujus academïæ optimus est. Superiore anno circa hoc tempus propter pestem grassantem hinc discedere coacti fuimus, sed jam plures huc redierunt studiosi, quam tunc temporis hic fuerunt ante dissipationem. Profecto non credideram tantam multitudinem tam cito huc redituram. D. Præceptor Philippus bona et læta est valetudine, gratia sit Deo. Enarrat publice epistolam Divi Pauli ad Romanos, quæ brevi, ut speramus, edetur. Item ante paucos menses incepit explicationem Symboli Nicæni, dictat quoque per questiones Catechismum et nuper inchoavit interpretari Malachiam prophetam et Proverbia Salomonis. Hæc sunt, quæ in theologia prælegit, ac nunquam tam solide ac tanta cum cura docuit, atque jam facit. Videt enim, ut omnes in se unum quasi impetu quodam ferantur ac tum vitam, tum imprimis dicta et verba sua observare et quærere quod cavillentur. Osiandri opiniones et errores quotidie refutat, ut et Stanchari, de quo nuper Præstantiæ Tuæ scripsi, cujus perniciosissimus error est, quod humanam naturam in Christo tantum esse redemptricem asserat, λόγῳ interim nihil agente, sitque non aliter redemptor quam Pater et Spiritus Sanctus, et quod humana natura in Christo, quæ justa et sancta fuit, sit humiliata, non Filius Dei. Quasi vero Filius Dei non fuisset deprecator, redemptor, collegisset sibi ecclesiam, missus fuisset, antequam carnem induit. Misit verbum et sanavit eos. Ita autem inter cetera argumentatur: Opera Trinitatis ad extra sunt communia tribus personis et indivisa; redemptio est opus ad extra; ergo est commune tribus personis, et Filius nihil peculiariter agit. Dominus Præceptor respondet ad majorem: Opera Trinitatis ad extra sunt communia, videlicet servata proprietate cujusque personæ. Proprietas Spiritus Sancti est lætificare et sanctificare corda immediate, tamen et Pater et Filius id quoque suo modo faciunt. Item argumentatur: Nemo est mediator sui ipsius; si Christus esset mediator secundum divinam naturam, esset mediator sui ipsius. Ad majorem respondet Dominus Præceptor: Nemo est mediator sui ipsius, scilicet eodem respectu, et distinguendum est inter personam missam et mittentem; ut enim est persona missa, est mediator.

Porro et nuper phantasta quidam missus a Lantgravio Hessiæ huc advenit, ut cum Domino Præceptore conferret et ab ipso erudiretur. Et adjunxerat ei Lantgravio gravem et præstantem aliquem virum nobilem, qui auditor et inspector esset colloqui et actorum hujus hominis. Nomen ei est Theobaldus Thammerus. Cum autem huc venisset, Dominus Præceptor convocavit in suas ædes aliquot ex doctis, ut quid adferret audirent. Dixit igitur primum nos non intelligere Christum, nec secundum humanitatem, quam aiebat esse das alte fleischliche gewissen in uns unde dienet zum bauch, nec secundum divinitatem, quam vocabat das geistliche gewissen in uns. 2. Deum magis esse ex creaturis cognoscendum quam ex verbo suo, et quod ipse Deum melius ex Aristotele quam ex scriptis Lutheri cognoscat. Item quod vellet et posset articulos fidei probare ex Aristotele. 3. Evangelium esse novam legem. 4. Opera tantum esse faciendâ propter proximum. 5. Quod Christus esset missus et passus doctrinæ causa, ut nobis exemplum daret. 6. Gentes Christum nosse, quod hoc argumento nitebatur: Sapientia Dei nota est hominibus; Christus est sapientia Dei; ergo est notus gentibus. Et sensit, ubicunque sunt, qui qualemcunque legis habent notitiam et aliquo modo disciplinam præstant, ibi esse ecclesiam. Verum ad argumentum Dominus Præceptor sic respondebat: Nego consequentiam, et ratio est, Quia est fallacia, ambiguitas, amphibolia. Major enim de sapientia legis ingenita, quæ est notitia in Deo, loquitur, minor vero de sapientia personali genita. Item et sic nugatus est: Lex est sapientia Dei; Christus est sapientia Dei; ergo Christus est lex. Respondit Dominus Præceptor: In secunda figura ex affirmativis nihil sequitur. Quamvis autem hæc et alia, quæ protulit, futilia et inepta fuere, tamen miser iste adeo pertinax et obstinatus fuit, ut nullius refutationes et instructionem admittere vel audire voluerit. Imo jactabat se dicens se cum sua ista doctrina triumphatorem iturum per totam Germaniam. Quare cum Dominus Præceptor videret se operam ludere et nihil cum illo proficere, eo quod principia negaret, hoc est sacram scripturam rejiceret et Aristotelem ei præferret, dimisit eum a se et scripsit Landtgravio, quid de ipso sentiret. Ad hæc rumor ad nos pervenit D. Calvinum curiosis et spinosis aliquot questionibus de prædestinatione et de aliis quibusdam, multos, præsertim in Gallia, turbare, quod an ita sit revera nescio, et semel tantum de eo hic audivi. In summa aperte videmus diabolorum rabiem et furores adversus ærumnosam Dei ecclesiam. Vigilandum igitur nobis erit et vera doctrina ardenti et avido pectore cognoscenda, quod ut faciamus misericors Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, Spiritu suo Sancto corda nostra illuminet et regat. Amen. Ante duos menses theologi senioris Electoris Saxonæ, inter quos et D. Menius fuit, hac profecti sunt in Borussiam composituri controversias et turbas per Osiandrum ibi excitatas, et adhuc ibi morantur. Quid autem profecerint, nobis nondum constat. Rumores quidam hic sunt bellorum, sed incerti. Omium animi hærent dubitantes, contra quem hic apparatus bellicus tendat. Ante dies 14 Marchio Norinbergensis relictis episcopis, ut Pebergensi et Herbipolensi, cum quibus bellum gerit, venit in Thuringiam et non longius quam ad Erfurtium progressus est. Istinc rursus discedens jam moratur prope Braunsuwigam. Multi dicunt ipsum collecturum majores copias, utpote exercitum, quem Comes Christophorus ab Altenburg habere dicitur. Dicunt etiam et Regem Daniæ Cæsarianum esse et milites suos in Cæsaris castris habere, quod ut credam vix adducor. Nam valde metuimus, ne de Mauriti corio (ut dicitur) ludatur. Nondum tamen dissipationem hujus scholæ admodum metuimus. Nulla enim vel admodum exigua hic sunt præsidia bellica.

Lipsiæ autem et Dresdæ urbibus quantum fieri potest, omnibus modis prospicitur. Si autem denuo dissipatio hujus academiæ evenerit, recipiam me cum nobiles meis ad vos in Daniam. Hæc sunt, eximie Domine Magister, quæ hoc tempore ad Præstantiam Tuam scribere volui, quæ ut in meliorem partem accipiat etiam atque etiam oro. Conjugem tuam honestissimam et liberos optime valere ex animo a Domino precor. Gratia Domini nostri Jesu Christi adsit vobis. Amen. Data Witebergæ 27. Junii anno 53.

Præstantiæ Tuæ studiosissimus
Joh. Pistorius.

49

Johannes Pistorius, Erik og Stygge Hardenberg til deres vært Johannes Reinner, (Wittenberg), 16. juli 1553.

Det har efter lægens råd for Pistorius' helbreds skyld været nødvendigt at skifte pension og få en anden kost, der var i det hidtidige pensionat også for stor trangsel ved bordet, men Reinner og hans hustru får tak for alt godt, især under Pistorius' sygdom.

356

Integerrimo et optimo viro Domino Johanni Reynnero, hospiti nostro bene merito.

S. Optime Domine Johannes, carissime hospes, necessitas nos cogit mensam mutare, nam ex præscripto medici me vivere et aliquandiu ab omnibus vulgaribus et crassioris succi cibis abstinere oportet, quod cum in vestra (ut nunc quidem est) mensa minime mihi continget, et conjugem vestram, ut hactenus (certe invitus) feci, diutius gravare nolo. Et ut ut, cum per Dei gratiam, uti spero, melius habuero, ad mensam redire vellemus, tamen haud minimum inde fore cum mihi tum aliis incommodum cogito, videlicet quod plures quam conveniret in mensa essemus, unde et compressius sedendum et, ne nostra cibi portio nobis præriperetur, festinantius cibo non masticato seu comminuto edendum nobis esset, quod valetudini admodum est nocivum. Hisce et fortassis aliis etiam de causis, mi Domine hospes, mensam mutare cogimur, cogimur inquam, nam inviti id facimus, et proposueramus nobis in vestra mensa manere, quamdiu hic Witenbergæ ageremus. Sed jam aliter evenit. Agimus igitur tuæ humanitati et honestæ conjugii tuæ gratias pro multis beneficiis nobis et præsertim mihi hoc tempore morbi mei præstitis. Pollicemur vobis vicissim studium et operam nostram quacunque in re ea indigueritis et nos præstare poterimus. Dominus vos custodiat. Ex musæo nostro 16. Julii anno 1553.

Johannes Pistorius,
Ericus et Stygo Hardenberg fratres.

50

Paul Noviomagus, Kolding, 18. juli 1553.

Svar på nr. 48. Noviomagus mener, at Stancarus og Osianer begge går for vidt i deres påstande om de to naturer i Kristus og deres betydning for retfærdiggørelsen. Kristus er een (guddommelig-menneskelig) person. Familieanliggender. Noviomagus er endnu ved hoffet, men led og ked af besværet, som han dog finder sig i, fordi han af Gud er sat på den plads; han har fået Henrik Buscoducensis (fra Hertogenbosch) til medhjælper. (Håndskriftets nr. 349 er en anden afskrift med de herunder i en fodnote opførte varianter.

^aM. Paulus Noviomagus, aulæ contionator,^a doctrina et pietate insigni
adolescenti Joanni^o Pistorio Husensi, Vitebergæ^c literis incumbenti
suo carissimo amico, ^dS.D.^d

S. per Christum. Multis de causis tuæ literæ mihi, mi doctissime^e
Johannes, pergratæ fuerunt, tum quod te studiosum veritatis, tum
quod nec te immemorem amicitie nostræ antiquæ demonstrabant. Ex toto
corde tibi eam mentem contigisse a Deo gaudeo, quæ sanam doctrinam
amplectitur et eam contra omnes nostrorum temporum errores puram con-
servare studet. Apparet hoc te summe conari^f ex literis tuis, quibus
refutationem Præceptoris nostri de omnibus nobis bene meriti adversus
Stanchari^g et Osiandri opiniones inseruisti. Uterque in extremis
peccat, meo iudicio, hic divinæ naturæ humana exclusa nimium tribu-
endo, alter humanam exclusa divina in justificatione hominis nimium
extollendo. Quare recte a Præceptore nostro uterque in viam revoca-
tur; in uno tertio, ut ita loquar, videlicet in una persona, quæ et
salvator, redemptor, justitia nostra et Deus noster appellatur, in
hac persona maneamus et non subtiliter propter nostrarum conscientiarum
tranquillitatem cum Diabolo et illius mancipiis disputemus,
juxta quam naturam nos redemit, justificavit et salvavit. Sed est,^h
dicamus nos hoc mysterium non satis intelligere, me vel nos credere
Christum Jesum unam illam personam, in qua conjunctæ sunt duæ naturæ,
nos redimisse. Hæc crasse scribo, quia in ea simplicitate fidei,
ifidei inquam,ⁱ me permansurum confido. Nec obligor, ut Diabolo hæc
secreta explicem. Possem quidem hic multa dicere, ut video alios,
maxime Præceptorem nostrum carissimum, multa pie, sancte et sapienter
de hoc mysterio dicere, tamen nondum sic, quanquam bene omnia dicat,
Diaboli cavillationibus et astutiis satisfaciet. Quare in hanc dis-
putationem cum Diabolo descendere nec volo, nec consultum iudico.
Maneo in Christo, in semine Abrahamæ, qui est Christus promissus, unicus
benedictor, et constantissime teneo neutram naturam in justificatione
nostri otiosam fuisse. Non temere talem personam a Deo Patre propo-
sitam esse confido, hoc certo statuo. Conquiesco igitur in una per-
sona Christi. Dominus det suam benedictionem, ut in illa moriamur.
Amen. Adderem pauca de nostrarum rerum statu, nisi in prioribus pro-
lixior fuisset, tamen tribus aut quatuor verbis cognosces omnia.
Omnes nos bene valemus; uxor interea mihi bis peperit, masculum, qui
adhuc superstes est, et femellam,^k quæ in Christo obiit^l. Habeo ita^m
adhuc duas proles, Dorotheam meam et Samuelem. Sum adhuc in aula,
laborum, si fieri posset, pene pertæsus. At cum ^{na}Deo in hanc pro-
vinciamⁿ pervenerim, sufferre omnes labores facilius possum. Accepi
coadjutorem virum insigniter doctum, quem semper mihi collegam optavi,
M.^o Henricum Buscoducensem, qui me sublevat multis laboribus. Mi
Johannes, si in ulla aliqua re tibi inservire possem, habebis me
promptissimum, saltem indicato. His vale in Christo Jesu Domino,^p cui
ego te et omnia studia tua commendo. Amen. Datæ^q Coldingæ raptim
18. Julii anno 1553.^r

Variantes i nr. 349:

a-a ÷	b Johanni	c Wittenbergæ	d-d ÷	e dilectissime
f curare	g Stanchari	h esto	i-i ÷	k foemellam
l obdormivit	m ÷	n-n 3 4 5 1 2	o Magistrum	p + nostro
q Datum	r + Tuus Paulus Noviomagus, aulæ contionator.			

Johannes Pistorius til Albert Meyer, Wittenberg, 20. juli 1553.

Om pesten i Wittenberg (1552) og opholdet i Frankfurt a/O, Jodocus Willichius, den store retslærde Hieronymus Schurff, Stancarus og Musculus, nogle dødsfald, bl.a. Andreas Osianders og Luthers enkes død (som i 43), også om fjerdedagsfeberen. De nævnte stridigheder opfordrer til flittigere studium af Den hellige Skrift og årvågenhed. Det påtales, at nogle præster anvender mere flid på studiet af profane og hedenske skrifter end på Skriften og kristelige bøger. De, der samtidig vil være teologer og filosoffer, driver en dårlig teologi, når de over filosofien forsømmer en ordentlig prædikenforberedelse.

350

Pietate et eruditione eximio viro D. Magistro Alberto Meyer
Rindesburgensi, amico suo integerrimo.

S. D. Superiore æstate hinc ad te, mi D. Magister Alberte, literas misi, et quamvis tuas interea vicissim semper desideravi et expectavi, tamen satis mihi fuerit, si meas acceperis. Nam, ut conjicio, propter tabellariorum inopiam vix rescribere potuisti, et ego non longo tempore postea, cum eas literas ad te dedissem, hinc profectus sum propter pestem hic grassantem adeo, ut, sicuti forte audivisti, tristis hujus scholæ dissipatio facta sit. Jam vero Dei gratia grassari pestis desiit, et quotidie rursus hic congregamur. Profectus autem sum tunc hinc Francofortium ad Viadrum, ubi eo tempore, ut videbatur, nullum vel a peste, vel a bellis periculum fuit. Potissime vero ut eo proficisceremur nos invitavit fama et celebritas D. Jodoci Willichii, qui ibi hactenus, ut forte audivisti, vixit. Offendimus etiam ibi ter maximum illum jurisperitum D. D. Hieronymum Schurffium et præterea alium quendam nomine Franciscus Stancarus, Mantuanus patria, doctor theologiæ, vir magnæ doctrinæ et tantus Hebræus, ut vix sciam aliquem illi æquiparandum. Fuit professor Scripturæ in academia Regiomontana Borussiæ, e qua ejectus exulat, quia acrius Osiandro ibidem se opposuerat et semel atque iterum ad palinodiam adegerat. Sed de eo fortassis postea plura; ad Willichium redibo. In hoc viro, mi D. M. Alberte, quanta fuerit doctrina verbis satis exprimere nequeo; medicus fuit et theologus præstantissimus. In artibus dicendi omnes, quos ego audivi, longe superavit. Nam omnia, quæ docebat, juxta methodum et locos dialecticos tractavit et hoc modo tanta et tam multa eruit et in medium produxit, ut omnes mirarentur; ita fecit de crepitu ventris, de prunis, malo medico et aliis multis. Fuit vir tantæ observationis et tam studiosus proprietatis, ut incredibile sit. Nec mathematicum ignarus fuit, quod scripta ejus testantur. Hippocratem semper et ordinarie, præter alias lectiones, quas in gratiam studiosorum varias et sæpe in se suscipiebat, ibi enarravit. Aliquando ex ipso in publica lectione audivi: Studiosi, Galenum quilibet beanus legere potest, sed Hippocratem non itidem. Nam singula Hippocratis verba vim suam et aliquid reconditi in se habent. Galenus sæpenumero quatuor foliis tractat, quæ Hippocratis decem lineis. Obiit autem hac hieme paulo post diem Martini. Obiit etiam anno superiore D. Sebastianus Munsterus Basileæ, item D. Casparus Hedio, doctor theologiæ, minister verbi Argentinæ. Obiit quoque homo male feriat, pestis ecclesiæ et gloriæ Christi Andreas Osiander die 19. Septembris, item uxor et vidua D. D. Lutheri sanctæ memoriæ hac hieme 20. Decembris mortua est. Porro, mi D. M. Alberte, rerum nearum

status adhuc mediocris est, nisi quod aliquando jam quartana febris
luctatus sim et etiamnum lucter, ἀλλὰ οὖν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελῶ καὶ
ὠδύρεται. Nunc autem nihil magis a te vicissim peto, quam ut cum hoc
tabellario mihi rescribas, quo in loco res tuæ sint positæ, an ibi
Rindesburgi sis in ministerio, vel ubi locorum vitam transigas. De
Stancaro plura me scripturum supra promisi. Sic igitur accipe. Cum
Regiomonte (ut dixi) propter vitæ periculum, quod a Principe calumniis
Osiandri seducto imminere ipsi, se subduxisset, venit Francofortium
ad Viadrum, ut ibi latitaret. Est autem Francoforti doctor quidam
theologiæ et summus ibidem in civitate pastor Andreas Musculus voca-
tus, homo inflatus et arrogans, qui solus ibi dominium obtinere vult
et esse fac totum, cum interim vix mediocriter in literis et discipli-
nis humanioribus sit versatus neque Græce nec Hebraice doctus. Hic
adveniente Stancaro cum et antea et tum ibi quotidie magis de ipsius
eruditione, gravitate et constantia in defendenda religione (nam in
Italia, Ungaria et Polonia propter evangelii confessionem captivus
fuit) fama increbresceret et multa dicerentur, valde metuit ne Stan-
carus ibi in academia locum consequeretur, unde forte sua auctoritas
obscurari et imminui posset. Quærit igitur omni conatu ut habeat, quod
in Stancaro calumniatur. Aggreditur Stancarum simulans benevolentiam
et candorem, astutam vapidam cælans sub pectore vulpem, ut Persius
inquit. Conferunt inter se, Stancarus ignarus et [non] cogitans an quem
in herba latere. Musculus de Osiandro quærit, Stancarus candide ipsi
Osiandri errores indicat et aperit et insuper eum orat, ut, si vel
universitas Francofortiana vel synodus ministrorum verbi sub Marchi-
one Brandeburgensi cogere, ut contra Osiandrum scriberent, id pie,
prudenter et circumspecte ac magna cum diligentia facerent, quo Osi-
andrum in iis taxarent, in quibus esset taxandus. Nam multos hactenus
contra Osiandrum scripsisse, sed vix ullum eum recte tetigisse. Hæc
Stancari admonitio fuit parasceue sequentium, et Musculus ea incen-
sus est magis eoque animo eam accepit, quasi Stancarus putaret tales
et tam rudes ibi esse theologos, qui ita essent admonendi. Nihilominus
plura a Stancaro quærit. Tandem incidunt in sermonem de Christi pas-
sione. Hic Stancarus ait Christum in humana natura passum; contra vero
Musculus id erroneum esse, sed Christum et in divina et humana natura
passum. Ulterius progrediuntur; Stancarus inter alia dicit Christum
secundum humanam naturam esse mediatores nostrum; contra Musculus,
quod sit secundum divinam et humanam naturam mediator. Hic turbæ ex-
oriuntur; Musculus, ut qui quod venabatur cepisset, Stancarum hære-
ticum incusat et proclamat privatim et publice. Inde veniunt ad dis-
putationem publicam; quæ autem ibi audiverim et viderim, longum esset
narrare, nec cum nos istinc discessimus res fuit composita. Metuo
sane, ne Stancarus in altero illo, videlicet de mediatore, consistat.
Nam et D. Præceptor Philippus ipsi contrariatur (ut ita loquar) et
hic publice hac de re, videlicet quod Christus Deus et homo, et non
homo tantum, sit noster mediator, tractatum nobis dictavit, quem de-
scripsissem et tibi una misissem, nisi temporis angustia obstitisset.
Hæc vero nunc, mi d. M. Alberte, scribere volui, ut hisce et simili-
bus controversiis admoneamur de diligentiore et vigilantiore sacrarum
literarum studio. Novi enim nonnullos contionatores, qui apud alios
gloriari solent se plus operæ et diligentiam profanis et ethnicis quam
sacris et divinis scriptis et auctoribus impendere, quorum sane in-
gratitudo, stultitia et vanitas meretur, ut Deus permittat tales
pestes, controversias et hæreses exoriri. Minime contemno aut odio
prosequor ullo profanas literas, sed illum, qui sese ministerio Evan-
gelii dedit, debere plus vacare profanis quam sacris libris

legendis nequaquam laudo. Quare, mi d. M. Alberte, si sic res tuæ sese habent, quod ad ministerium evangelii accesseris, rogo et obsecro te propter gloriam Dei, ecclesiæ et tuam ipsius salutem, ut in eo sis totus. Non desunt exempla, quam infeliciter theologizent (ut sic dicam), qui ex æquo simul et theologi et philosophi esse volunt. Iterum dico me philosophiæ non detrahere quicquam nec studium ejus improbare, sed ministrum verbi magis addictum esse philosophiæ quam theologiæ et sic cogitare: facile in una aut duabus horis tantum studebo, ut pro una hora in suggestu mihi sufficiat, id minime decere sentio et magnam ingenii vanitatem esse. Hæc libere ad te, mi Alberte, ut ad amicum meum integerrimum scribo et obnixè te oro, ut mihi rescribas, quo ita coeptam inter nos amicitiam colamus foveamusque, cujus, volente Deo, suo tempore, cum me Deus in patriam incolumem reduxerit, fructus pleniore capiemus. Interim bene et feliciter vale in Christo Jesu, et nomine meo diligenter et officiose saluta parentes tuos et alios mihi ibi notos. Datæ Witebergæ anno 1553 die Julii 20.

Johannes Pistorius totus tuus.

52

Johannes Pistorius til Caspar Mule, Wittenberg, 3. august 1553.

Tak for hilsen og for tjenester i København. Optagethed af mange ting, krig og sygdom, flytningen til Frankfurt a/O og tilbage igen har forhindret Pistorius i at opfylde et løfte om at skrive, som han havde givet Mule i Haderslev. Mule havde ønsket en komedie til brug ved undervisningen af sine elever, men der findes kun få af den slags, og de, der findes, synes uegnede, da de handler om kærlighedsaffærer og andre latterlige ting. Endelig har Pistorius alligevel fundet noget passende til formålet.

357

Virtute et eruditione præstanti viro Domino Casparo Mule, juniorum Principum, filiorum Regis Daniæ, pædagogo, amico suo singulari.

S. D. Cum nuper tabellarius Witenbergensis a vobis ex Dania huc reversus esset, tuo, doctissime et humanissime d. Caspare, me nomine salutavit, quod quam mihi gratum fuerit quantaque a me animi lætitia exceptum sit, certe paucis verbis indicare tibi nequeo. Cognovi enim ex eo te mei adhuc memorem nec amicitia inter nos coeptæ in tot negotiorum et curarum undis, quibus quotidie non tantum obrueris, sed pæne submergeris, oblitum. Lætarerne igitur et mihi gratularer? Nihil bonorum (quorum in numero, mi Caspare, etiam cum mihi de facie tantum notus esses, te habui et nunc maxime omnium habeo) benevolentia et amicitia mihi antiquius est, nihil, quod candido et sincero amico (qualem te cum ex multis humanitatis officiis Haffniæ mihi præstitis, cum ex hoc, quod, ut dixi, me jam per tabellarium salutari volueris, cognovi) anteponam, quodque ipsius nomine non sim facturus. Quapropter, optime d. Caspare, quod ab eo tempore, quo Hadersleviæ te ultimo conveni huc Witenbergam profecturus, nihil literarum ad te dederim (cum tamen tibi id a me tumc temporis petenti me facturum sedulo promiserim), in meliorem partem ut accipias etiam atque etiam oro. Non enim factum est, ita me Deus amet, quod vel tui promissique mei immemor vel amicitia parum studiosus fuerim, sed quod plerumque occupatior fuerim et præcipue, quando nuntium nacti essemus, plures eodem tempore literæ in Daniam ad nobilem meorum cognatos scribendæ essent. Ad hæc superiore æstate variis casibus seu fortuna ictibus

expositi fuimus. Nam quanti hic fuerint bellorum terrores et morborum, præcipue vero contagiosæ luis, pericula, haud tibi incognitum arbitror. Quibus etiam de causis omnes Witebergam relinquere coacti sumus. Et ego me cum meis nobilibus Francofurtum ad Viadrum contuli. Verum non longo post, tempore cum omnia, quæ ad studia pertinent, ita ut decet ordinassemus, et isthinc propter pestem ibi grassari incipientem discedendum fuit. Ita, mi optime Caspar, evenit hactenus, ut parum vel commoditatis vel otii ad scribendum mihi fuerit. Quare iterum mirum in modum Tuam Humanitatem oro, ut bene interpreteris meum silentium nec existimes, quod quia minus quam tu cupiveris et me decuerit scripserim, ideo quoque minus dilexerim. Sed comperta mihi est tua humanitas, candor et benevolentia, idcirco longiore in hac causa excusatione non utar. Rettulit mihi quoque tabellarius ille, optime Caspar, quod cupiveris comoediam aliquam, quam (nisi conjectando aberrem) discipulis tuis ediscendam et agendam proponere posses, tibi mitti. In hoc, mi Caspar, quam libenter et ex animo tibi gratificari voluerim, Christus καρδιογνώστης novit. Sed cum admodum pauca talia scripta hic extent, et quæ adhuc hic extant, parum idonea mihi visa sint, eo quod de amoribus et aliis rebus ludicris tractarent, tandem tamen incidi in hanc comoediam doctam et festivam, quam omnino tibi mittendam duxi. Utinam tibi placeat et usui esse possit. Tu hac (si placet) utere et fruere. Argumentum videtur utile, et præsertim in aula. Et si scirem hic præterea aliquid esse, quo delectariet affici posses, certe ex animo tibi mitterem. His bene et feliciter vale, et tui amantem redama. Vitebergæ 3. Augusti anno 1553.
Tuus Johannes Pistorius,
tui studiosissimus.

53

Georg Selmer, Itzehoe, 14. september 1553.

Efter at G. S. var kommet hjem fra Wittenberg, var det ikke lykkedes ham at få et embede i kirken eller i skolen, men han var blevet huslærer for Johannes Rottmanns børn i Itzehoe. Han vil dog helst tilbage til universitetet, men hans forældre vil ikke give ham lov til det. Da han er i tvivl om, om han uden at overtræde Guds bud kan gå imod sine forældres ønske, beder han om Pistorius' råd.

XLIII

Georgius Selmerus pio et docto juveni Joanni Pistorio
Vitebergæ degenti S. D.

Te meas, amantissime d. Johannes, expectasse literas, non minori desiderio atque ego tuas, non ignoro. Semel ad te cum matris tuæ literis Francofurtensi civi, qui Husii pannum venalem habebat, et meas dedi; eæ num tibi traditæ sint, me latet. Postea nullus mihi oblatus est tabellarius, alioquin non fuisset passus eum sine meis ad te ire literis. Quod autem apud Henricum Gevers nihil ad te literarum dedderim, non factum est vel tui oblivione vel mea negligentia, verum propter clandestinam ejus protectionem et abitum, et eandem ob causam te quoque me tuis apud ipsum non salutasse literis haud obscure ex illius verbis colligo, sed utrumque hac in re locorum distantia ab invicem et tabellariorum penuria utrumque nostrum excusat. De vocatione, in qua hoc tempore sum, non esse opus ut te certiosem faciam existimo, cum M. Gevers (ut mihi rettulit) tibi dixerit, quoniam hic munere fungar etc. Qua autem occasione huc venerim (credo enim me fato in hanc incidisse condicionem), non gravabor his tibi literis

exponere. Decreveram, cum Viteberga in patriam me conferrem, per reliquam æstatis partem et hiëmem apud parentes agere, privatis incumbens studiis, expectareque ibi vocationem ecclesiasticam. Idipsum indico D. Volcquardo nostro, Sleswigæ verbi Dei præconi, quem in via ad parentes me conferens conveni. Ipse vero non admodum diu post Itzehoam profectus est; eo cum pervenisset, colloquens cum ejus loci præposito, quasivit ab ipso præpositus, ane sciret adolescentem pium et doctum, ebrietati non deditum etc., qui ludimoderatoris officio ibi fungi posset. Ibi D. Volcquardus (etsi dixeram ei me nolle ullam condicionem ante Parcatos festum suscipere) statim mei mentionem fecit meamque transactam vitam hactenus inculpatam prædicat. Mandat igitur ei D. Præpositus, ut me ad se vocaret. Rediens domum id facit, subindicans simul quam lautum esset stipendium et quod haberem ibi ansam et occasionem in studiis, si placeret, progredi et me exercendi. Ego hæc audiens eo me confero, sed cum eo venissem, alius erat susceptus, quem commendaverat D. Præposito M. Dionysius Schuneman Lubecensis, ipsius gener. Eunti autem mihi Itzehoam dat D. Volcquardus literas tradendas conjugi Johannis Rottmanni, apud quem nunc ago, quibus me ei commendans suadet, ut me ad se in ædes recipiant. Illa igitur cognoscens me non suscipi quærit ex me, quid animi habeam, cum condicionem illam scholasticam obtinere nequeam, velimne ipsorum liberos privatim instituere; se velle mihi satis præmii dare velleque cum marito agere, ut major natu filius, qui tunc temporis Hamburgi ludum frequentabat, domum revocaretur. Petit igitur illo die (quo mihi proposueram istinc discedere), ut ibi maneam; se velle in diversorio pro me satisfacere, nam se illo ipso tempore hac de re cum marito non posse agere, quod convivas haberet. Ego vero respondi me plane constituisse istinc discedere, nam si diutius ibi manerem, D. Præpositum fortassis de me suspicaturum, quod denegatam condicionem admodum ambirem et ideo me laboraturum apud ipsius maritum D. Rottmannum, cum multum apud D. Præpositum valeat, ut ipse pro me intercedat, sic alteri illi renuntiaretur, quam de me suspicionem nollem illum concipere. Petit igitur, ne aliam condicionem suscipiam, antequam mihi rescripserit, id quod me facturum recipio. Ita istinc abeo, et post meum discessum agit et instat apud maritum de me in ædes suas recipiendo, qui me literis suis revocat, ad se recipit et filios suos erudiendos committit. Ita huc veni et hic mansurus sum usque ad festum Pascatos, an adhuc diutius, nondum decrevi. Cupio vehementer ad academiam reverti, sed parentes mihi obstant et concedere nolunt. Ego tamen an illis in hoc morem geram, incertus sum. Et si modo alicunde aliquot nummos corradere possem, nemo me detineret ire. Puto me ea in re non violare præceptum Dei, sed te peto, ut mihi consilium tuum communices. Id, quod ex M. Gevers audivi, videlicet te nonnihilo convaluisse et Vitebergæ mansurum usque ad festum Pascatos, matri tuæ scripsi. Salutes, quæso, meis verbis nobiles tuos discipulos Ericum et Stygonem Hardenbergios. Vale, et quoties poteris, ad me scribito. Datæ Itzehoæ die 14. Septembris anno 53.

54

Paul Noviomagus, Kolding, 29. november 1553.

Tak for et lille, men vægtigt skrift af Melanchthon om striden mellem Stancarus og Musculus. Ønske om, at Melanchthon også vilde offentliggøre sin bedømmelse af Majors skrift om de gode gerningers nødvendighed til frelse, som er anstødeligt for mange og misbruges af papisterne. Tiden er til bekendelse, ikke til spytslikkeri. (Der er i

håndskriftets nr. 354 en anden afskrift, varianterne i hvilken anføres nedenfor i en fodnote.)

XLIIII

^aM. Paulus Noviomagus aulæ contionator^a magnæ pietatis et eruditio-
nis adolescenti Johanni Pistorio Husensi ^bVitebergæ S.D.^b

S. per Christum. Habeo gratiam, mi carissime domine Johannes, quod semper me tuis literis invises et libris optimis donas. Accepi optimum scriptum Domini nostri Præceptoris Philippi, parvum quidem quantitate, at maximum qualitate. Continet res gravissimas et iis controversiis utilissimas, quæ per^c Stancharum et Musculum agitantur. Utinam Dominus Philippus sui voti compos fieret! Bonus vir quæsivit, quæ sunt ad pacem Jerusalem, at vereor in Stancharo esse spiritum contradictionis; non facile acquiescet igitur. Tamen si jam ulterius processerit Stancharus, seipsum confundet. Utinam Dominus Philippus etiam suum iudicium de scripto Majoris (cujus argumentum est De necessitate operum ad salutem) ederet; hoc admodum prædesset. Multis est ille liber Majoris offencilum, Papistis ansam^d gloriandi adversus nos, et ut magis in opinione sua de meritis operum persistent, illo scripto abutentur.^e Scio commode interpretari fortassis posse, at cum ambiguitas periculum parit, fugienda est. Tempora nostra sunt confessionis, non adulationis. Dominus reducat in viam omnes infirmos et lapsos. Amen.^f Uxor mea parat tibi camisiu; accipies suo tempore. His vale in Christo Jesu. Datum Coldingæ 29. Novembris anno 1553.^g

Varianter i nr. 354:

a-a + ^{b-b} Witenbergæ bonis literis incumbenti, suo dilecto fratri
in Christo. ^c inter ^d (rigtigt) ansa ^e abutuntur ^f ÷
^g Tuus Paulus Noviomagus.

55

Cornelius ab Hamsfort, Kolding, 29. november 1553.

Hamsfort sender et pulver til brug mod Pistorius' fjerdedagsfeber og en daler med tak for tilsendt bog. Han har i Husum talt med Pistorius' mor og søstre, som har det godt, og beder om at få tilsendt noget scordeum. (En anden afskrift af dette brev findes i håndskriftets nr. 355 med de nedenfor opførte varianter.)

XLV

^aCornelius ab Hammesfort, medicinæ doctor, ^a Joanni^b Pistorio Husensi
^cVitebergæ agenti S.D.^c

^dQuod morbus tuus^e redierit, mihi valde displicet. Spero tamen nihil periculi esse. Mitto tibi per præsentem tabellarium pulverum, quo utor communiter adversus quartanam, qui etiam^f multis^g profuit. Uteris eo hoc modo: accipe hujus pulveris l quintin et bibe cum vino Rhenano duas horas ante paroxysmum, ^hdecumbe in lecto et tegas^h te, ut sudes, si potesⁱ. Item habeo tibi^k gratias pro libello misso; remitto loco gratiarum actionis unum talerum. Bene vale, diligenter pro me et meis ad^l Deum ora. Ego brevi ^mHusii collocutus sum cum matre et sororibus tuis, quæ adhuc bene valent.^m ⁿ Datæ Coldingæ 29. Novembris anno 53.^q

Varianter i nr. 355:

a-a + ^b Honesto juveni Johanni ^{c-c} amico suo amando ^d +S.
^e + quemadmodum scribis ^f ÷ ^g + prodest et ^{h-h} et tege

i poteris k ÷ l ÷ m-m In Husum colloquutus sum tuæ matri
 et sorori domi suæ bene valentibus. ⁿ + Int Speck, silvula acud
 vos, nascitur quædam herba nomine scordei, quæ vocatur scordeum,
 herba magni usus, habet odorem allii, nascitur copiosissime in dicto
 loco, int Speck, et in locis aquosis. Poteris eam discere a studioso
 aliquo medicinæ aut a famulo pharmacopolii. Velim mihi bonam copiam
 hujus herbæ cures colligi et saltem folia decerpta ad me per præsen-
 tem transmittere. Item cura semina colligi. Bene vale. ^o ÷
 p-p ÷ ^q + Cornelius ab Hammesfort.

56

Melanchthons vidnesbyrd til Johannes Pistorius,
 (Wittenberg) 25.marts 1554.

I de over tre år, Pistorius har opholdt sig ved universitetet, har han ført en rosværdig vandel og med flid passet sit studium. Han har anlæg for videnskabeligt arbejde, skriver korrekt latin både i prosa og på vers, har lært hebraisk og græsk, elementær filosofi og den 'dejlige' astronomi, sat sig ind i kirkens lære gennem tiderne og holder trofast ved evangeliets renhed. Sin lærdom og flid har han også vist ved at undervise andre. Til anbefalingen føjes, at han er faderløs.

XLVI

Formula Testimonii, quod reverendus et clarissimus vir D. Philippus
 Melanthon Joanni Pistorio dedit, cum ex Academia Vitebergensi in
 Daniam cum nobilibus suis discipulis Hardenbergiis revocaretur
 anno 54.

S.D. omnibus lecturis has literas. Virtute nihil amabilius est, quare sua cuique virtus præcipua commendatio est. Sed tamen utile est juniores ad eos, quibus nondum noti sunt, adferre testimonia, ut aditum ad eos habeant. Et virtus est auditores subire judicia præceptorum et velle eis probari. Cum igitur hic Johannes Pistorius, natus in Cimbrica Chersoneso in oppido Husen, amplius triennio in Academia nostra cum magna laude integritatis et modestiæ in moribus et diligentæ in doctrinarum studiis versatus sit, justum fuit discedenti dare testimonium. Comperi naturam ejus capacem esse omnium honestarum disciplinarum, nam et in Latina lingua recte scribit solutam orationem et carmen. Et ut fontes doctrinæ ecclesiæ cognosceret, didicit Ebræam et Græcam linguam. Ad hæc studia addidit initia philosophiæ et dulcissimæ doctrinæ de motibus coelestibus, quæ etiam ostendit multa illustria testimonia de Deo impressa rerum naturæ. Et quia domestica disciplina ad agnitionem Dei adsuefactus est et Deum vera pietate colit, studiose didicit ecclesiæ doctrinam et inquisivit omnium temporum controversias de dogmatibus et fideliter amplectitur evangelii puritatem, quam et nostra Academia cum Catholica Dei Ecclesia uno spiritu et una voce profitetur. Et animi pietatem hic Johannes Pistorius vera invocatione Dei et honesta morum gubernatione declarat. Specimen etiam præbuit hic eruditionis et industriæ in docendis aliis. Quare cum sperem eum usû fore ecclesiæ Dei, oro omnes honestos viros, ut ei alicubi tribuant locum docendi vel in templis vel in scholis, quod qui facient, intelligent se ecclesiæ in hoc viro provehendo ad docendum profuisse. Eo etiam majore benevolentia eum complectantur, quia orphanus est, memores dulcissimæ promissionis divinæ: Esto orphano pater, tunc magis diliget te Deus, quam diligit te mater tua. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, ut hunc

Johannem Pistorium gubernet et faciat eum $\sigma\kappa\epsilon\upsilon\sigma$ $\acute{\alpha}\lambda\acute{\epsilon}\theta\omicron\upsilon\varsigma$ et organum salutare ecclesie et sue anime.

Datus anno 1554 die 25. Martii, quo ante annos 1555 Filius Dei in Virgine conceptus est et ante annos 1520 in cruce victima fuit, et quo ante annos 5516 Adam conditum esse aliqui scripserunt.

Philippus Melanthon
manu propria.

57

Georg Selmer, Keitum på Sild, 10. juni 1554.

(Brevet er, som flere følgende breve op til maj 1555, adresseret til Wittenberg. Pistorius var imidlertid, efter i 1554 (se ovenstående vidnesbyrd) at have forladt Wittenberg, med sine elever taget til Strassburg, Paris og andre universiteter.)

Skønt klimaset er godt og befolkningen ikke værst, behager Sild ikke Selmer, da man om vinteren ikke kan komme fra øen og alle levnedsmidler må skaffes udefra, undtagen fisk, som han ikke er en ynder af. Han vil gerne have nogle bøger fra Wittenberg, bl. a. et tysk Ny Testamente med stort tryk og en god latinsk Bibel. Han bor ikke i sit sogn, men hos Peter Aurifaber i Keitum, da han ikke har lyst til egen husholdning.

XLVII

Georgius Selmerus Johanni Pistorio Vitebergæ degenti S.D.

Amor erga te meus ad scribendum tibi me impellit, etiamsi scribendi argumento destituar, eam potissimum ob causam, quod binis meis Itzehoë datis literis non responderis. Sane cum sciam te Vitebergam rediisse, satis mirari nequeo, quod nullas ad me miseris literas, cum facile efficere potueris, ut aut Lunæburgum aut Hamburgum aut etiam Lubecam perferrentur et inde ad me venirent, id quod ego feci sperans te meum secuturum institutum. Quod statum rerum mearum concernit, non opus, ut pluribus tecum agam, cum de eo omnia matri tuæ indicaverim, quæ dixit se singula ad te scripturam, quod si factum est, bene, si secus, non usque adeo multum in eo situm aut neglectum est. Syldia insula (in qua nunc vitam ago) etiamsi, quantum ego judicare possum, saluberrimi sit aëris et incolæ ejus non sint homines mali, et præcipue mei parochiani, qui sunt Westerlandenses, tamen mihi non arripet hac potissimum de causa, quod non liceat hinc hieme excedere quodque ea, quæ ad victum requiruntur, aliunde advehere oporteat exceptis piscibus, sed ego bonus non sum ichthyophagus. Malo enim unum frustrum carnis quam decem frustra piscis. Certiorem me facias rogo de statu rerum tuarum deque aliis novis, item quinam ex nostris conterraneis ibi adhuc tecum sint et literis invigilent. Vellem enim mihi aliquot inde libros mitti. Tu si brevi discesseris, significes mihi rogo, ane alius quispiam nostrorum ibi sit, cujus ea in re opera uti possem. Cuperem etiam, ut tu mihi ibi emeris Novum Testamentum Germanicum non vulgaris formæ, sed majusculæ, et quamprimum Husiam id mitteres; pretium bona fide tibi remittetur. Vellem etiam mihi a te emi Biblia Latina, si bonum exemplar, cum quoad translationem, tum quoad stilum sive characteres, haberi posset, quam rem tuo commendo judicio. Si brevi, ut tui omnes et simul ego speramus et exoptamus, in patriam veneris, age, quæso, fac ut nos pastores rusticos, qui ad Garamantes fere ablegati sumus, visites. Sedemus hic tanquam cavea inclusi. Non cohabito meis parochianis, sed domino

Petro Aurifabro cumque ipso cibum capio. Mihi enim familiam alere non est animus. Parochiæ nostræ vix dimidio distant ab invicem miliari. Bene et feliciter vale. Saluta ibi omnes et singulos, qui me norunt. Datæ Keythum in Syldia anno Domini 1554 die Dominica ante Viti.

58

Johannes Holmann, Stade, 25.juli 1554.

Holmann har været og er stadig syg. Pistorius ønskes til lykke med at kunne blive så længe ved universitetet i Wittenberg, som overgår alle andre tyske universiteter. Holmann beder om at få tilsendt nogle foredrag samt en tale over Hieronymus Schurff (i anledning af dennes død) og eventuelt også græske hymner ved Camerarius.

XLVIII

Joannes Holmannus Joanni Pistorio Husensi agenti in academia Vittebergensi, amico et fratri suo perpetua fide colendo, S.D.

S. in Christo. Graviter jam aliquot septimanas gravi et medicis fere ignoto morbo laboravi et adhuc laboro, quæ causa est, quod hactenus tuis literis (quæ dici non potest quam fuerint mihi gratæ) nihil respondi, nec jam quippiam respondere præ gravitate morbi potuissem, nisi singularis et plus quam fraternus amor in te coëgisset et quasi vires qualescunque scribendi suppeditasset. Huc accessit, quod hic Johannes Hinzius, quem ego sæpe meis rebus et amicissimum et fidelissimum expertus sum, mihi significavit se recta Vittenbergam iter facturum, quare commode ei meas literas posse tradi putavi. Sed tamen in his tecum agere non possum de omnibus rebus, de quibus libenter vellem. Facit hoc morbus, ut tu ipse facile conjectare potes. Quare, si Deus æternus, Pater Domini nostri Jesu Christi, me pristinæ sanitati restituerit, dabo operam, ut primo quoque tempore statum omnium mearum rerum scias. Tu certe felicissimus es, cui datur tam diu hærere in academia, quæ et frequentia doctorum hominum omnium professionum et sedulitate in promovendis discentium studiis facile reliquas Germaniæ academias superat. Utinam autem, ubi hoc curriculum studiorum absolveris, detur nobis quod reliquum est vitæ una esse et in eodem loco ecclesiæ Christi nostris laboribus servire. Ἀλλὰ ταῦτα θεοῦ ἐν γούνασι κεύτα. Ago tibi gratias pro tuis muneribus ad me missis, quæ fuerunt mihi gratiora, quam si vel aurum vel argentum misisses. Rogo, mi frater, ut mihi coëmas orationes, quæ seorsim solent edi, quemadmodum nuper audio apud vos editam orationem de D. Hieronymo Schurffio, et si Camerarius hymnos Græcos edet, qui solent vendi ante fores templi, eos hymnos et orationes ad me mittas; pecuniam cum gratitudinis significatione quamprimum remittam. Vale, mi frater exoptatissime, et fac ut sæpius scribas. Commendo me tuis precibus. Saluta Osnaburgium. Datæ Stadis anno Christi 1554 die Jacobi.

59

Johannes Rischmann, Husum, 25.december 1554.

Stor travlhed i juletiden. Tak for meddelelser fra Pistorius, bl.a. om Stancarus, Osiander og Major. Clemens' skrift; Luther vilde, hvis han endnu var her på jorden, være blevet opbragt over, hvad man nu tillægger den døde. Det er Satans værk. Gud afværge det forsøg, kannikerne i Hamburg, helt glemmende Luthers lære, gør, og 'give os fromme fyrster, som kan gøre deres bestræbelser til intet'. 'Vi

holder fast ved den lære, vi har modtaget af din fader og Hermann Tast.' (Varianterne i en anden afskrift, håndskriftets nr. LX, anføres nedenfor under teksten.)

XLIX

Johannes Rischmannus, ^acontionator Husensis, ^a ^bJohanni Pistorio Husensi, docto et pio adolescenti, amico suo semper colendo, ^b S.D.

Etsi sim hoc tempore propter ferias Natalis Christi occupatissimus, mi Domine Johannes, tamen non potui prætermittere, quin uno aut altero verbo ^c ad te perscriberem, ^c vel hoc potissimum nomine, ut Tua Humanitas cognosceret perlata esse, ^d quæ ad nos per præsentem tabellarium perferri curasti. ^d Ago autem ^e in primis ^e tibi gratias, quam possum maximas, quod memor nostri communicas nobis interdum, quæ hoc tempore cognitu necessaria maxime videntur. ^f Fecit hoc Tua Humanitas antea in descriptione disputationis et totius negotii Stanchari, ^f de qua re nihil nobis constabat antea, et sic ejus rei mansissemus in hunc diem ignari, nisi a te edocti fuissemus. Idem nunc quoque accidisset nobis de controversia illa et Osiandri et Majoris, si non transmisisses scriptum illud Clementis etc. Meretur tua diligentia laudem. Sed hoc ^g ingenue fateor, ^g si D. Lutherus ita in terris nunc, quemadmodum apud superos, versaretur, haberet Clemens ille, quisquis est, Lutherum inclementissimum minimeque propitium. Ostendunt omnia scripta Lutheri, quam infensus ille fuerit hujusmodi sententiis, quæ nunc illi mortuo adscribuntur. ^k Bene habet nunc Clemens, qui potest cum mortuis luctari; contra viventem fortassis vix mutire fuisset ausus. Ex his præludiis facile divinare licet, quid Satan his extremis ^l temporibus molitur in ecclesiam invehere. Et quidem nos nihil aliud meremur propter nostram ingratitude, quam ut hisce persuasibilibus sententiis pertrahamur in veteres errores, unde nos explicare nequeamus. Quid Hamburgi canonici obliti omnis doctrinæ Lutheri nunc conentur; audivisti fortassis ^m ex Hamburgensibus, ideoque nullam istius negotii mentionem apud te facio. ⁿ Deus avertat illorum conatus et excitet pios principes, qui illorum studia infringant, alioqui aut actum erit de religione, aut etiam republica ejus civitatis. Nos usitatam doctrinam et a patre tuo atque Hermanno Tastio tanquam per manus acceptam in nostris ecclesiis retinemus, nihil novi huc usque tentatum. Et faxit Deus, ut in eadem tranquillitate latius ^o apud nos verbum Dei propagetur, et bene actum nobiscum ^p sentiemus. Tu si quid præterea rerum novarum ad nos perscribere poteris, facito; facies nobis ea in re gratissimum obsequium. His Tua Humanitas bene valeat in Christo, qui tua studia ad ædificationem ecclesiæ et patriæ salutem fortunet. ^q Datæ Husii ipso die Natalis Christi anno 1555. ^r

Varianter i nr. LX:

a-a + b-b pio et docto adolescenti Johanni Becker Witebergæ com-
moranti c-c tibi rescriberem d-d ad nos per præsentem tabel-
larium quæ perferri huc voluisti e-e imprimis f-f Hoc Tua
Humanitas antea in descriptione disputationis et totius controversiæ
Stanchari fecit g + h + hic i-i libere dico k ascribuntur
^l postremis m + ibi n faciam o diutissime p + esse
q + Amen.

^r På grund af placeringen i brevsamlingen er årstallet 1555 opfattet som kirkeåret 1555, datoen altså svarende til juledag 1554.

Sigismund Koelreutter fra Annaberg, Leipzig, 27.marts 1555.

Koelreutter er glad for at have fået brev og har især nydt historien om Pomeranus og kold steg. Han fortæller om sine medicinske studier og meddeler, at hertug Heinrich af Braunschweig har været i Leipzig med stort følge, og at kurfyrst August af Sachsen har forbudt sine undersåtter at gå i krigstjeneste hos nogen anden, indtil Torgauer overenskomsten er udløbet. Martin Luther d. Y. er syg, såret af en anden student. Koelreutter beder om at få tilsendt, hvad der udkommer af nyt fra det medicinske fakultet i Wittenberg. Han forlader Leipzig og ved ikke, om han skal fortsætte der; måske går han til rytteriet eller til hoffet. Om et mellemværende mellem ham og 'Barbatus'.

LVI

Sigismundus Koelreutterus Annamontanus Johanni Pistorio Husensi,
amico et fratri suo, S.D.

Literas tuas jucundas et gratas, Johannes, amicorum omnium optime, Sole morante in 16 gr. Arietis accepi, ex quibus integram tuam valetudinem cognovi, quo nomine valde lætor. Deus omnipotens cum Filio unigenito et eo, qui ab illis procedit, omnibus in eum sperantibus largiatur ea, quæ ad vitam et ad bonarum artium studia sunt necessaria et congruentia. Eodem die, quo literas tuas accepi, scripsi ad te et literas eas una cum Bomberda ad te mittere volui, sed inanis fuit labor et opera, nam ad tuas nunc respondebo, et si non satis recte et expedite respondero, temporis angustia et adversa fortuna meæ asscribere velis peto. Nova, quæ in tuis continentur literis, animo hilari et læto legi et relegi, inter quæ mire mihi placuit historia de Pomerano et kalthgebratens. Quod autem ad nobilem Fridericum a Kanitz attinet, quid respondere debeam nescio. Casum enim nunquam audivi et percepi, sumque harum rerum imperitus. Ideo peritioribus et facultati juridicæ addictis hæc dijudicanda relinquo. D. Cameraarium ibi fuisse novi, sed illos (acta utraque portatores) cum illo fuisse nescivi. Illos autem coenam instituisse et solenniter eos tractasse intelligo ex tuis literis. Schlim enim Schlem quærit sibi similem. Sic etiam cum Barbato nostro fieri existimo, nec immerito. Suus enim dominus coenam illam satis care solvet. Processus cum Hamstedio Brunswicensi mihi placet; ipsum vel alium quemcunque fore mei vindicem non dubito. Deus puniet pessimum istum vel hic vel in posterum, si non egerit poenitentiam. Peucerum ibi prælegere Dioscoridem scribis; sine dubio singularia, erudita et notatu digna, prout ejus est eruditio, dabit, et cogito te esse ejus auditorem. Ideo quæ exceperis et annotaveris, postea a te consequi potero. Et hæc ad tuas literas. Nova, quæ scribere hoc tempore possum, nunc accipe. Dux Brunswicensis Henricus cum filio Lipsiam venit die 24. Martii inter 11. et 12. horam; in comitatu habuit equites circiter 80. Qua de causa huc venerit, ignoratur. Professores in facultate medica hic mihi imprimis placent. D.D.Murerus enarrat libros Galeni omnium præstantissimos de locis affectis, quem quoties prælegit audio. Doctor N. prælegit libros Galeni de naturalibus facultatibus. D. Rodth ob adversam valetudinem legere non potest; ei data est lectio librorum Galeni de arte curandi ad Glauconem. Doctor Sthet, chirurgi filius, qui valde amat serias, tractat chirurgiam Vigonis. Hæc de statu et lectionibus medicis. Excuditur hoc tempore hic et brevi in publicum prodibit liber de conservanda seu tuenda bona valetudine Antonii Nigri. Item excussum et publicatum est mandatum Augusti Saxonie

Electoris, quo prohibet ne ullus suorum subditorum se alii domino ad militiam obstringat ante exitum conventus Torgensis. Mandati exemplaria misit Elector 1164 nobilibus præcipuis, unicuique unum exemplar, præfectis et quæstoribus (amptleuthen oder schosseren) 60, item 84 civitatibus, 12 comitibus, 4 baronibus, 4 viduis nobilibus seu equitum auratorum, item 8, quibus commendatæ sunt ecclesiæ, sunt, ni fallor, episcopi. His, ut antea dixi, graviter et severe interdictum est, ne ante exitum conventus Torgensis alii domino ad militandum se obligent. Obambulavit vel potius vagatus est hic per aliquot dies Martinus Lutherus junior habens apud se studiosum quendam Witebergensem, sed mihi ignotum. Nunc autem Martinus graviter decumbit in ædibus hospitis Schirmeri, vulneratus ab alio quodam studioso Lipsensi. Porro, mi d. Johannes, summopere te oro, ut si quid novorum librorum, et quidem in medica facultate a medicis vestris, editum fuerit, ut emas et mihi huc transmittas; quicquid expenderis, bona fide et cum gratiarum actione remittam et solvam, ac ut uniuscujusque editionis tria mittas exemplaria. Adveniens enim huc offendi hic veterem meum amicum M. Mauritium N., studiosum medicinæ et solidæ eruditionis, cum quo etiam proxima die Dominica prodii herbatum, et simplicia non contemnenda invenimus. Is semper unum petit exemplar etc. Scias etiam, optime et carissime d. Johannes, me hoc tempore singulari et gravi casu obrui et gravari, ita ut post biduum mihi hinc sit discedendum, et incertum sit, an ante festum Paschæ huc sim rediturus. Nihilominus si quid novorum librorum ibi editorum mittes, curabis ut deferantur in ædes civis habitantis in platea, in qua auriga vester hospitium habere solet, cui nomen Paulus Hase, ubi nunc habitationem habeo et tandiu, donec certior fieri possim, an hic manere debeam diutius. Potest enim fieri, ut adhuc me equitem vel aulicum fieri necessitas cogat; adeo multis negotiis, imo adversitatibus, adobruor, quæ, ut ipse facile æstimare potes, animum meum diversimode trahunt et perturbant. Omnipotens Deus omnia pro sua benigna clementia dirigat. Amen. Sed quod ad Barbatum istum attinet, breviter scias me adhuc esse in ea sententia, quod nisi revocaverit, tutus et securus vivere non debeat, sive Noricus sit civis, sive Witebergensis patricius. Bona enim fama amissa quid reliquæ facultates prosunt? Malim omnia potius amittere quam bonam famam. Eam hactenus habui, defendi, defendo et defendam contra omnes istos vaniloquos et Tritones, quo titulo vere notari potest Barbatus iste fucus, ignavum pecus. Nam et nihil omnino studet, et ut nemo hominum sine spiratione vivere potest, sic etiam iste sine rixis et contentionibus esse non potest. Si tunc, ut volebam, revocasset, omnem ei condonassem culpam, sed ille usque in hunc (ut audio) diem non desistit me conviciando. Nuper quidam hic mihi dixit se ex alio audivisse me propterea Witeberga discedere coactum, quod Barbatus me talem esse probasset, qualem me, cum cantharo illum salutarem, appellasset. Nonne me hæc moverent? Et rursus dico, nisi publice revocaverit, quæ in me dixit, sentiet cum quo illi res et negotium sit etc. Saluta meo nomine d. Ericum, Schonebergios, Conradum et alios amicos. Bene vale. Lipsiæ 27. Martii anno 55.

Hans Laugesen fra Ribe, Hamburg, 3. april 1555.

H. L. er bekymret på grund af købmændenes vanskeligheder. De kimbriske byer ved havet udruster skibe til kongen, Ribe eet skib. Omkring 1. maj skal alle borgere bevæbnede holde sig hjemme, og af land-

befolkningen skal hver tiende mand være rustet til krigstjeneste.
 - Angående forsendelse af Jacob Reventlows ejendele til Danmark.
 - 'I morgen rejser vi hjem, en farefuld rejse på grund af røvere.'
 (I brevsamlingens nr. LXI findes en anden afskrift af samme brev med de nedenfor anførte varianter.)

L

M. Johannes Lagonis Ripensis^a Johanni Pistorio Husensi, Vitebergæ
^bbonis literis operam danti amico suo et fratri,^b S.D.

Etsi negotiorum mole hic in hac mercatorum nostrorum turba, optime d. Johannes, varie distractus est animus, adeo ut nec quid, nec unde scribere inceptem sciam, tamen ob amicitiae inter nos initum foedus (quod literis inter absentes^c corroborari et consolidari solet) ^dnon intermittere^d potui, quin aliquid ad te literarum darem, ^eesperans, quod^e solitus animi tui erga^f me candor has qualescunque literas in his turbis exaratas^g boni sit consulturus. Ex patria hoc novi hic^h habeo, quod civitates Cimbricae, quae litus maris accolunt, Regi praeparentⁱ naves bellicas, et ^kmea patria adornet jussu regio navem,^k quae capit ^let vehit^l centum lastas^m frumenti. Ad diemⁿ Philippi et Jacobi omnes nostri cives domi debent esse in armis; hostem non scimus, sed haec jussu^o Regiae Majestatis adornantur^p. Decimus quisque^q inter rusticos ^rmandato regio, cum indicatum fuerit, ad aciem cogitur esse instructus et expeditus.^r Oro autem Deum, ut bella et vastitates avertat a nostris regionibus, nec furoribus bellorum sinat turbare ecclesias et politias. ^sBona D.^s Jacobi Reventlow cum huc ^tmiseris, tunc cures ea tradi in aedes Johannis Wickrardt, civis et bibliopolae. Jacobus enim hic fuit et eum convenit, ut cum huc mitterentur, tum curaret ipse ea navigio avehi hinc in Daniam.^t Ego^u cum Flensburgum venero, scribam illi omnem rerum statum. Alia nunc^v non habeo, de quibus scribam, quare te his^x Domino Deo commendo. Salutes, rogo, D. Ericum Hardenberg meo nomine. Cras in patriam abitum paramus. Deum oro, ut iter nostrum, quod ^yest periculosum, ut hic dicitur, ob latrones, dirigat.^y Datae Hamburgi 3.^z Aprilis anno ^{aa}Christi 1555.^{aa}

Variantes i nr. LXI:

a + Domino b-b degenti amico et fratri suo c + sive disjunctos
 d-d 2 l e-e non diffidens, quin f in g effusas h ÷
 i adornant k-k patria mea Ripæ parat navem jussu regio l-l ÷
 m + (uti vocant) n+ D.D. = divorum o mandato p fiunt
 q + quoque r-r ut cum armis sit instructus et expeditus et eo,
 quo jubetur, se conferat, proclamatum est. s-s supellectilem Domini
 t-t per aurigam Witebergensem miseris, curabis ut aedes Johannis
 Wickradii veniat. Nam is D. Jacobo promisit se curaturum, ut navigio
 in Daniam vehatur. u +vero v ÷ x + mi d. Johannes y-y satis est
 difficile et periculosum ob praedatores et latrones mercatoribus
 nostris insidias struentes, dirigat. Amen. z + die aa-aa 55.

62

Sigismund Koelreutter fra Annaberg, Leipzig, 11.maj 1555.

Tak for fornøjeligt brev. På given foranledning giver S.K. sin ringe mening om tidens løse moral til kende og fortæller om en duel mellem en dansk adelsmand og Alexander Frank, hvorved denne har mistet to fingre, så han ikke mere kan dyrke musikken. Selv er han kommet til fornuft og vil passe sit medicinske studium. Han vil gerne have nogle historier, som Melanchthon ofte har fortalt.

Sigismundus Koelreutterus Annæmontanus Domino Johanni Pistorio,
amico suo singulari, S.D.

Joannes Rumelius et Georgius Puchleiter, amici et commensales mei optimi, die 7. Maji me accesserunt et literas tuas multa cum jucunditate irrigatas mihi tradiderunt, præterea quoque ea, quæ mihi scripsit amicus meus Jacobus Markenbeck cum tribus exemplaribus orationis de arte medica. Quantum autem me delectarunt tuæ literæ, animus tuus benignus et officiosissimus erga me et meos cognatos et consanguineos, non possum verbis satis aperire. Cupio et Deum oro, ut hanc nostram confoederationem ac fraterni amoris connectionem juvet, regat et conservet in omne ævum. Avertat autem et puniat quoque impostores et quorum saliva instar serpentum solet homines extinguere, hoc est, qui inter nos dissidium volunt. Scribis, optime domine Johannes, te dubitare, an sit vera historia, de qua nuper te certiore feci, nempe amatoria illa, ad quod breviter respondeo me omnia ex fide dignis hominibus audivisse. Si tamen illi mentiuntur, ego minime in hoc casu vera dicere possum. Recte autem dictum est amorem nihil aliud esse quam tristem ægramque et poenitentiam voluptatem, si sit inordinatus, ut nunc grassatur inter plerosque, vero pioque et ordinato amore raro videmus aliquos copulari. Et bene dixit ille: Ein nequam hat das leffeln erdacht, denn es hatt manche zur huren gemacht, quod dictum verum esse experientia comprobat. Post visum enim tactum, post tactum sequitur factum. Væ autem illis, qui inscribuntur catalogo scortatorum et adulterorum! Vivamus nos caste et ambulemus accurate, non ut fatui, ut Paulus præcipit. Nec videant oculi nostri vanitatem. Sunt enim oculi duces et primi peccatores in amore, sicut dixit Diogenianus: ἐκ τοῦ εἰσορᾶν γὰρ γίνεταί ἄνθρωποις ἔρᾶν. Scribis præterea, optime d. Johannes, pugna et congressu hostili nobilis illius Dani et Alexandri Franci Alexandrum adeo graviter esse læsum et ipsum nunc ob duorum digitorum amissionem musicam, in qua hactenus excelsit, non posse exercere. In tali tales capiuntur flumine pisces. Volo autem, ut me ex catalogo talium furiosorum et noctu vagantium et grassantium expungas. Licet hic semel tantum ad ingenium redierim, Deo autem volente tuæ fraternæ et piæ admonitioni obtemperabo, nec posthac tale quippiam de me audies. Felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Literis potius incumbam et ea, ad quæ vocatus et ordinatus sum, exequar. Grata igitur mihi fuit tua admonitio et adhortatio. Intelligo ex ea te mihi ex animo bene velle. Ἀγαθὴ δὲ παραφασίς ἐστὶν ἑταίρου. Amici munus et officium est liberius admonere et alloqui errantem. Porro ignorare te nolo me ante paucos dies unum ex tutoribus meis, scilicet Hunnerkopffium, convenisse (alter enim in negotiis Principis Electoris aberat), qui multa et varia mihi proposuit, sed quæ eo tendebant, quo animum a studiis abalienaret et eo adduceret, ut eis renuntiarem; dixit magnos me facere sumptus, patrimonium meum insumi, et alia, quæ longum esset commemorare. Indicem seu catalogum expensorum et acceptorum mihi exhibuit, sed quod intendit, perficere non potuit. Studiis immorari constitutum mihi est, et gratia sit Deo et parentibus meis, quorum animæ requiescant in pace, quod tantum mihi supersit, unde honeste et commode vivere et studia persequi possum. Novarum rerum hic aut nihil aut parum est, hoc autem scias optimos hic extare libros medicos. Vellem, ut possem habere historias obiter a D. Præceptore Philippo recitatas, quas d. Valentinus a Schonberg, amicus meus singularis, acceptas a Georgio Puchleitero descripsit. Tu si poteris eas accipere, commodato

cum primo nuntio ut eas mihi huc mittas, vehementer oro; quamprimum eas descripsero, eas tibi remittam. Vale feliciter et me tibi tuisque commendatum habeto. Datæ Lipsiæ die 11. Maji anno 55.

63

Hermann og Caspar Hoyer, Lüneburg, 18. maj 1555.

De to brødre er kommet til Lüneburg og bor hos Lucas Lossius, som med flid tager sig af deres undervisning.

LII

Hermannus et Caspar Hoyer fratres Johanni Becker
agenti nunc Vitebergæ, amico perpetua observantia colendo, S. D.

Tabellarius Vitebergensis, qui solet in Daniam, patriam nostram, proficisci, hoc vesperi admodum sero nobis adfuit et indicavit, quod in itinere suo e Dania matrem et avum nostrum Husiæ convenisset, qui illi mandarunt, ut cum Lunæburgi ad nos veniret, illorum nomine nobis indicaret velle se omnino, ut ad te, vir doctissime et humanissime, scriberemus. Huic dilectissimæ matris nostræ voluntati et mandato obtemperantes non potuimus intermittere, quin tibi brevissimis hisce literis nostris significarem, quod die ab hinc octavo Lunæburgum venimus et commoramur apud doctissimum virum D. Lucam Lossium (sub cujus disciplina et tu olim quoque militasti), cui pater suppetabit sumptus, et ab eo magna cum diligentia instituimur. Hæc breviter ad te, humanissime vir, voluimus scribere, ut certiores te faceremus, quo in loco nunc agamus et quomodo res nostræ sese habeant. Alio tempore, cum plus nobis otii erit, pluribus ad te scribemus. Rogamus autem, ut Tua Humanitas dignari velit ad nos etiam dare literas, ut sciamus, quomodo ea valeat; id erit nobis gratissimum. Bene vale. Datæ Lunæburgi 18. die Maji anno Christi 1555.

64

Johannes Holmann, Stade, 27. maj 1555.

J.H. har været syg og døden nær, men har nu fået sin sundhed tilbage; han ønsker at høre om Pistorius' studieplan, om forelæsningerne ved universitetet og nyudkomne ting ved professorerne. Han vil gerne have en latinsk oversættelse af Euripides og Aristophanes' komedier.

LI

Joannes Holmannus eruditione et virtute præstanti d. Johanni Pistorio Husensi sacræ theologiæ operam navanti Vitebergæ, fratri et amico suo præ ceteris carissimo.

S. in Christo, redemptore nostro. Ardeo cupiditate incredibili, mi frater amantissime, ut sciam, quid rerum illic agas, an recte valeas, an omnia ex sententia feliciter cedant. Dederam Henzio nostro aliquid literarum ad te, quas non dubito bona fide perlatas, cum γραμματοφύρος ille nemini facile vel fidelitate vel diligentia cedat, præsertim in meis rebus curandis. Sed nihil a te responsi accepi, fortassis rebus gravioribus occupato. Exaraveram illas literas jam morti vicinus, cum alterum pedem in cymba (ut proverbio dicitur) Charontis haberem, cujus rei mihi Henzius noster testis est. Sed Deus optimus maximus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui me homuncione porro forsan uti volet ad propagationem gloriæ nominis sui, clementer me pristinæ sanitati restituit, cui laus et honor sit in ævum. Si non

tædet et fieri potest per studia tua, rogo etiam atque etiam, ut diligenter ordinem tuorum studiorum ad me perscribas, item lectiones ordinarias, quæ apud vos leguntur, et quidnam professores vestri proxime in lucem ex scriptis suis dederint. Harum rerum enim mentione et recordatione non aliter ac si præsens essem afficerer. Non dubito, quin versio Latina Euripidis apud vos prostet, nec non comoediæ Aristophanis una cum versione Justinopolitani. De his libris scripsi Henzio, in quibus inquirendis et emendis rogo, ut tuæ opera uti possit. Pecuniam primo quoque tempore apud certum tabellionem ad vos mittam. Habes epistolam vel potius epistolium confusaneum, quod, sicut pro amicitia nostra debes, in meliorem accipias partem. Nam hunc conterraneum meum non scivi prius ad vos iturum, priusquam jam curram conscensurus esset. Ubi rescripseris, longior in literis ero. Bene et feliciter vale. Christus, qui ascendit in altum, ut dona det hominibus, te tuaque studia promoveat in melius. Datæ raptim Stadii 27. Maji anno Domini 1555.

65

Paul Noviomagus, Kolding, 31. maj 1555.

P.N. har dårligt helbred, katarr, trangt bryst, frygter phthisis; hverken gedemælk eller medicin har hjulpet. Han er rede til at ombytte dette liv med evig herlighed og evigt liv. Hans hustrus nedkomst er nær forestående.

LIII

M. Paulus Noviomagus, aulæ contionator, honesto et studioso juveni Johanni Pistorio Husensi Vitebergæ in studiis versanti, suo carissimo fratri, S.D.

Salutem in Domino Jesu. Nolui, mi Johannes, committere, cum tam commodus oblatum esset mihi nuntius, quin meis vel saltem te salutarem literis et paucis meam valetudinem indicarem. Præterita hieme incidi in catharrum, qui me fere extinxit; adhuc nondum superavi reliquias hujus mali, pectoris manet adhuc magna angustia, corpus adeo est extenuatum, ut a phthysi mihi metuam. Usus sum lacto caprino, at parum juvit. Spes sanitatis meæ in Domino sita est. Ordinata medicina non sortitur apud me suum effectum. Talis est status meæ sanitatis; quid de me fiet sub initium hiemis, nescio. Domino commendo viam et vitam meam, cui si placuerit, paratus sum mundum deserere et in æternam per Christum gloriam et vitam transire. Amen. Uxor mea vicinissima est partui; Dominus det nobis felicem partum. Amen. Vale in Christo Jesu. Coldingæ 31. Maji anno 55.

66

Samuel Meiger, København, 4. juni 1555.

Broderen Albert vil ikke tilbage til København, men blive i Lindholm, til han bliver gammel; han har i fjor fået en søn. Samuel Meiger selv vil helst til Wittenberg, men har ikke kunnet få sine forældres tilladelse og bliver i København til påske. Midlertidig forvalter han embedet som præst for hollænderne på Amager efter sognepræstens død. Om krigsrygter, kongens krigsforberedelser og sørøvere ved Norges kyst, som siges at være franskmænd; en flåde er gået til søs for at jage dem på flugt. (Professor Hans) Svendsen er død (1554), Hans Mynster er kommet tilbage fra England (samme år) og forelæser om Aristoteles' Politik, (Johannes) Machabæus har det godt, Capitaneus

er syg, Peter Aurifaber er præst i Schwesing, hans broder Johannes er endnu i København.

LIX

Samuel Meigerius Rindesburgensis Johanni Pistorio, amico suo veteri et singulari, S.D.

Quanto me conspectus exoptatissimarum tuarum literarum, dulcissime d. Johannes, perfuderit gaudio, cum inde consistentem adhuc amici candidissimi valetudinem animique alacrem vigorem colligerem, dictu mirum, creditu haud ita facile est. Cum porro tabellarius iter ad vos dirigeret et maturaret modisque omnibus occupatissimum me inveniret, nolui tamen prorsus vacuum insulsissimis meis literis eundem dimittere, ne ansam darem rumpendæ a primis unguiculis inter parentes nostros, necnon et inter nos contractæ amicitia, omnemque censuræ acris suspicionem rejiciens, quum sis, quæ ex sincero animo proficiscuntur, etiamsi non omnibus modis absoluta sint, candido animo, ut amicum decet, suscepturus. Quomodo autem res meæ sese habeant, tibi declarari desideras, necnon fratris condiciones nonnullorumque aliorum amicorum statum ut tibi significem exoptas. Id cum sæpius antea fecissem, ni obstitisset certorum defectus, ideo id eo libentius nunc facio. Fratrem igitur M. Albertum Lintholmii in Risingmora adhuc commorari hucque ad nos redeundi tum spem, tum voluntatem omnem abjecisse scias, quippe qui eo in loco consenescere, ni Deus aliud quid in animo cum illo habeat, sibi proposuit, quem et uxor pulchro Johanne præterita ætate beavit. Ego vero nihil magis in votis habeo quam ad vos proficiscendi, verum patris consensum hactenus obtinere non potui. Sunt qui dissuadent, quod unde proveniat, me latet. Puto illos hanc mihi invidere felicitatem, ut clarissimum virum, lumen et decus hujus seculi D. Philippum Melanthonem videam et docentem audiam. Sed ad Pascha usque hic commorabor ac post modum juxta parentum (quibus parere pietas suadet) voluntatem officio vel condicione aliqua me mancipaturum scias. Interea pastore in Amacko apud Hollandos defuncto, sacræ illius ædis cura usque ad festum Paschæ mihi demandata est. De bellicis rumoribus, et quod Serenissimus Rex noster bellum paret, ac quo id vergat, tibi ut aliquid significem petis. Piratæ aliquot circa Norwegiæ litora incolis maximam intulerunt cladem, multos miserrime tractando bonaque diripiendo, aliquot pedibus mutilando. Hos rumor fert fuisse Gallos. In horum propulsionem classis navalis optime instructa et munita mare sese commisit, an vero piratas istos invenerit manusque conseruerint, ignoratur adhuc. Aliqui hac de re hæc referunt, alii aliud. Academia nostra in optimo adhuc est statu, nisi quod mathematicum professore nunc careat. Extremum enim diem Sueno vidit, ne te id lateat. M. Johannes Monasteriensis nuper ex Anglia huc rediit et denuo in professorem susceptus est atque nunc Politica Aristotelis nobis enarrat. D.D. Machabæus prosperrima adhuc utitur valetudine. D.D. Capitaneus medicus morbo laborat, sed spero nihil subesse periculi. D. Petrus Aurifaber agit contionatorem in Swesing prope tuam et ipsius patriam, nempe Husem. M. Johannes Aurifaber, frater ipsius, adhuc hic apud nos commoratur, brevi alicui functioni se addicturus. Novarum rerum præterea hic nihil est. Rogo autem, mi D. Johannes, ut has rudes et insulas meas literas boni consulas, ac ut veterem tuum amicum sæpius doctissimis tuis literis laccessas. Commendo te divinæ clementiæ et bonitatis protectioni. Raptim datæ Haffniæ anno a partu virgineo 1555 die 4. Junii.

Sigismund Koelreutter fra Annaberg, Leipzig, 13. juni 1555.

En grufuld historie om en præst, som i en skov har dræbt en fødende kvinde for at tilegne sig penge, som hun havde fundet og afleveret til ham, og om præstens grusomme straf. En mand har dræbt sin frugt-sommelige hustru. Nogle 'liktorer' er omkommet, måske forgivet på grund af deres vold over for studenternes tjenere. Om forelæsninger ved Wolfgang Meurer, som Koelreutter har valgt som sin lærer. Han formoder, at Pistorius med sine elever snart forlader Wittenberg(!), og vil gerne have noget at vide om Melanchthon, som i følge et rygte skulde være død af et sår, som 'denne polak' havde tilføjet ham.

LV

Sigismundus Koelreutterus Annæmontanus Domino Johanni Pistorio,
amico suo singulari, S.D.

Spero et semper exopto de te audire te integra et læta frui valetudine. Ego etsi utcunque bene valeam, affectiones tamen animi quædam me non modice exercent ac fatigant, sed spero Dominum his quoque aliquando daturum finem. Literas fratris mei tuis inclusas 11. die Junii accepi et quidem tum, cum a lectione locorum affectorum Galeni domum reverterer. Avide autem eas amplectebam. Omne enim rarum carum. Excusas in tuis literis intermissionem tam diuturnam, quam admitto et accipio, sed ea condicione, ut diligentia corrigas, si quid commissum aut omisum est. Ego quidem ante paucos dies ad te scripsi, sed an eas literas acceperis, dubito, cum nihil plane ad ea rescribas, quæ eis continebantur. Indicavi autem tibi tum, quæ impediunt et obstaculo sint, quominus ea loca, ut constitueram, non adeam. Soleo tibi plerumque nova, quæ vel hic accidunt vel adferuntur, communicare; id ut nunc etiam faciam, animus tuus erga me benevolus me impellit. Accipe igitur tragicum quoddam facinus, quod prope Aldeburgum contigisse ferunt. Eques quidam ibi in publica via per negligentiam amisit summam pecuniæ fasciola illigatam, quam forte præteriens femina quædam gravida invenit; ea autem anxia et mæsta nesciens, quid in ea re sit faciendum, vel potius quid cum pecunia sit agendum, cum eam bona conscientia retinere non posset, adit sacerdotem ejus loci, ubi habitabat, et illi indicat, quod pecuniam invenerit, et simul consilium ejus petit. Pastor (ut pecunia ad varia scelera hominum animos invitare solet) respondit et suadet, ut pecuniam ad se deferat, vultque ut id quamprimum faciat, ut si quis de pecunia illa interrogaret, eam ipsi restituere posset. Mulier annuit et se ita facturam promittit et simul vult et petit, si ante proximum conventum et cationem nemo venerit et inquirat de pecunia, ut ipse se suggestu denuntiet inventam esse pecuniam, quo ipsa etiam aliquid inde habeat, quod pecuniam invenerit. Mulier abit, pecuniam adfert et pastori tradit. Rursus autem ab ipso digrediens et domum festinans accidit (cum vicina esset partui), ut dolores partus eam comprehenderent in via in silvula, per quam ei eundum fuit; sedet igitur et quiescit sub arbore, donec forte fortuna veniret eques ille, qui pecuniam amiserat, qui eam alloquitur et interrogat, quid ibi agat, ane invenerit sacculum cum pecunia etc. Illa respondet se ægrotare et parturire, obnixè vero petere, ut equo properet in proximum pagum et evocet obstetricem et aliquot mulieres, quæ ipsi in partu adsint aut ipsam in pagum deferant, postea velle se ei indicium facere de pecunia. Eques quod mulier petit facit et in pagum, quam proxime et citissime potest, contendit. Sed quid fit? Dum eques abest, venit pastor iste ad

mulierem sub arbore inter cruciatus partus laborantem et stricto gladio eam adoritur et obruncat et caput, ne agnosci posset, secum aufert. Eques reversus e pago et horrendum hoc facinus conspicatus non solum obstupescit, sed et in silva, in quam pastor postea se abdidit et a via declinaverat, divagatur et tandem in pastorem incidit, alloquitur ipsum de cæde. Ille facinus a se remove et se purgare maximopere intendit, quid, inter alia inquires, mene talem esse existimas et tale quid posse perpetrare, qui hic in vicinia ministrum ecclesiæ ago et adeo horrenda et nefanda facinora verbo Dei reprehendo et prohibeo? Eques nullam excusationem admittit, sed instat et pallium ei detrahit, quo erepto videt lineam manticam sanguine infectam et interrogat, quidnam gestaret. Respondit se in civitate emisse caput vituli. Eques equo desiliit, manticam vel sacculum apprehendit et in ea videt caput mulieris interfectæ. Continuo pastori injicit manus et capistro (halffter vocant), quod apud ephippium habuit, eum vincit et secum in civitatem ducit, ubi incarceratur, et postea, ut dicitur, a Principe et jureconsultis lata est sententia, ut quotidie unum corporis membrum ipsi abscindatur, quod quanto cum cruciatu fiat, cogitare poteris. Sed patiatu facinorosus iste, quod meritis est; εἴνε πάθοι ἂ ἀῤῥέξει, δηκῆα ἰθεῖα γένοιτο, justa malis hæc admissio pro crimine poena est, si quæ fecerunt, eadem patiantur et ipsi. Hoc grave et abominabile factum te ignorare nolui, ut Deum unanimiter oremus cum Davide: Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ. Captivus hic etiam tenetur quidam, qui proximis diebus in suburbio gravidam suam uxorem interfecit. Lictores etiam quidam hic perierunt, prius ad insaniam redacti, quo casu adhuc ignoratur. Dicunt nonnulli, et fortassis vere, eos assumpsisse in potu medicamentum venenosum. Solent enim noctu studiosorum famulis cerevisiam et vinum, aut quicquid habuerint, vi eripere et evacuare, quemadmodum et mihi nuperrime accidit. Cum enim sitirem et famulum meum mitterem allaturum mihi cerevisiam, eripuerunt ei cantharum cum cerevisia et insuper eum in custodiam abriperunt et deduxerunt, cum quidem quiete et modeste in platea ambularet, sed absque laterna. D. Wolfgangus Meurerus, medicus expertissimus, jam explicat Problematum Aristotelis 30. lectionem, in qua agit de melancholicis, admodum diligenter; ego quæ ex prælectionibus ipsius excipio et colligo, cum finierit ad te mittam. Utilia et jucunda cognosces de variis melancholicorum generibus et quomodo respondeant effectui vini, et quomodo vinum varios mores in ebriis, et quidem melancholicis, operetur et efficiat, ex quibus didici causam quare et ego interdum ex vini potatione quodammodo fiam furiosus, ut accidit mihi ante triduum. Hæc sunt, mi D. Johannes, quæ ad te scribere volui. Sicuti autem proxime a te petii, ita et nunc iterum peto, ut historias a Domino Præceptore Philippo obiter recitatas mihi mittere non graveris; bona fide quamprimum eas tibi remittam. Si ipse eas non habes, accipias eas ab alio commodato. Item peto, ut me certiore facias, an adhuc ibi apud vos prostet et vendatur libellus, cui titulus: Vocabula rei nummarie et ponderum. Ante aliquot dies voluit et jussit D. D. Meurerus, ut ex medicorum libris colligerem historias; incepti et conor, quod opus si finiero, exemplar laboris mei ad te mittam. Porro scias incertum esse, quando et an Jhenam me conferam. Constitui me totum dare et addicere medicinæ studiumque illud persequi, si Deus vitam et valetudinem mihi clementer largitus fuerit, ideoque D. D. Meurerum mihi præceptorem hoc in studio elegi, ac illo doctiorem et fidiorem Jehnæ habere me posse mihi satis [non] constat. Quare cum discessero, Italiam petam. Tu si Witeberga cum nobili tuo D. Erico

discesseris, ut vos propediem facturos conjicio, fac ut sciam, quonam vos conferatis. Amicitiam inter nos initam ut firma et dioturna sit eamque mutuis literis alamus et conservemus, nihil est, quod magis velim, ubicunque locorum simus et degamus. Nuperrime ad Hunnerkopffium, tutorem meum, nuntium misi, quem cum fidelem existimarem, præter meam et omnium hic opinionem perfide egit et cum taleris 30 aufugit. Nunc alium nuntium mitto, qui quid effecturus et impetraturus sit, experiar etc. Vellem, ut casum sive historiam de Domino Philippo plenius et explicatius recensuisses, alii enim aliter de ea loquuntur et referunt. Allatum ad nos fuit ipsum vitam cum morte commutasse ex vulnere, quod Polonus iste ei inflixerat, quod cum ita non sit, ex animo lætor. Prolixitatem et garrulitatem meam æquo feras animo meque tibi commendatum habeto, et vide ne aliquid de nostra amicitia et familiaritate decedat aut nervus aliquis ejus incidatur. Datæ Lipsiæ die 13. Junii anno 1555.

Salutabis meo nomine Hardenbergium tuum, Schönbergios, Conradum, et dic Conrado, ut ad me et Natzmerum nobilem Pomeranum, qui mihi est commensalis, literas mittat. Bene et feliciter vale, mi D. Johannes.

^{a-a} Sic, opfattet som ἑρρήξε, δίκη...

68

Samme som 67, Leipzig, 3. juli 1555.

S.K. er syg, men har ikke søgt læge, bl.a. fordi hundedagene er nær; han vil have klimaforandring, men ikke tage hjem. Pistorius bedes sende et vedlagt vigtigt brev til broderen Wilhelm, som er i Danmark hos dr. Otto Krumpf.

LVII

Sigismundus Koelreutherus Annæmontanus suo Johanni Pistorio S.D.

Miraris fortassis, optime D. Johannes, quod tanto tempore nullas ad te dederim literas, verum causam breviter accipe. Scripseram literas easque aurigæ tradideram, sed is per oblivionem eas hic reliquit. Cum autem jam huc rediit, iterum scribo, sed brevius propter adversam valetudinem; nam ardentissima febris laboro. Medicum hactenus consulere nolui, partim quia sciam magnos sævosque morbos victus exquisita ratione curari et præservari, partim quia accedunt dies caniculares; sub cane autem et ante canem, dicit Hippocrates, difficiles sunt medicationes, partim etiam propter aphorismum, quem ponit Hippocrates, ubi dicit in morbis minus periclitari eos, quorum naturæ, ætati, anni ratione consuetudini congruit morbus, quam ubi nulli horum congruit, partim et postremo quia jam mutandus est ær, quotidie enim equum et nuntium e patria expecto. Patriam autem ipse non accedam. Scis enim, quid sæpe dixerim, me non nisi summa urgente necessitate patriam accessurum, et licet certe jam summa adsit necessitas, tamen promissis, etiam cum detrimento meo et aliorum, satisfaciam. Tam obstinato nunc hac in re sum animo. Tu nosti, quid me moveat. Novi hoc tempore nihil habeo, quod ad te scribam. Literas hic mitto tibi, optime Johannes, et licet sciam te alioqui satis et variis rebus occupatum, tamen peto, ut eas in Daniam ad fratrem meum Wilhelmum mittas idoue officium pro amicitia nostra mihi non gravate præstes. Amici enim officiis probantur. Et nihil magis cupio, quam ut ante festum Michaelis responsum habeam. Quare si vobis ibi nuntius est in Daniam, ne negligas, ut eas secum eo deferat. Continent enim alicujus momenti negotium, et multum mea interest, ut fratri tradantur. Scis esse

ipsum apud D. Otthonem Krumpffium, equitem auratum, quare si non fuerit in aula, quærat eum nuntius meis sumptibus etc. Si quid volueris rescribere, id fac cito. Cum rursus rediero Lipsiam (licet nondum discesserim, non modo singulis diebus, sed et horis equum expecto), faciam te certiore. Ex mutatione aëris spero magnum mihi eventurum commodum. His vale; propter adversam valetudinem non potui plura scribere. Data Lipsiæ anno 55 die 9. post festum Johannis Baptistæ. - Utinam ibi potuissem adfuisse feriis Johannis Pistorii! Jocus: Patientia jam crescit, quia morbus hanc requirit, sed ubi convaluero, tam patiens vix ero. Scis, quid velim. Paroxysmum unum habui per 20 horas die Jovis post festum Johannis; quid ibi senserim, aut quantus tunc fuerit calor febrilis, tu cogita; solet alias me affligere per 12-13-14 horas. Saluta omnes meos amicos et præcipue Dominum Ericum Hardenberg et Schönbergios reliquosque commensales, excepto uno Barbato isto, qui aliquando sentiet, quis et qualis sim.

69

Samme som 67 og 68, Chemnitz, 26. juli 1555.

S.K. ønsker at få tilsendt en god forsyning af scordium og fortæller om kejserens tilfangetagelse af en kaptajn Reckerod i kongelig fransk tjeneste. Pesten har begyndt i Zwickau og grasserer slemt i Böhmen. Der er rygter om, at tyrkerne med en stor hær er på vej til Italien. Broderen Wilhelm er kommet tilbage fra Danmark, men vender tilbage til sin herre, hvis fortræffelige hustru for nylig er død.

LVIII

Sigismundus Koelreutherus Annamontanus Johanni Pistorio Husensi,
amico suo omnibus modis colendo, S.D.

Si vales, bene est. Ego quidem, Deo sit gratia, mediocriter nunc valeo. Ad te nunc tertio scribo, suavissime domine Johannes, verum nondum ad primas responsum accepi. Iterum autem te rogo, quemadmodum et proxime feci, ut scordii aliquantulum mihi ibi colligere velis et huc Lipsiam transmittere cum hoc contubernali meo, qui hasce meas literas tibi offert. Affinis meus scordio opus habet, hic autem habere non potest. Apud vos autem ibi in proxima silva, cui nomen De Speck, uti scis, magna copia nascitur. Rogo, ut hac in re mihi gratificeris, vicissim tua causa facturum sum quid vis et quod potero. Si per alios scordium colliges et aliquid hoc nomine exposueris, id animo grato tibi restituum, tantummodo ut certo aliquid accipiam et copia tanta, quanta acquiri potest. Nova, quæ scribere hoc tempore possum, hæc sunt: D. D. Agricola, affinis meus, rettulit Reckerodium capitaneum Regis Galliæ ab Imperatore Carolo V. captum esse, item Zwickaviæ in aliquibus ædibus pestis contagiosa initium sumpsisse, nec non pestem valde grassari in Bohemia, ita ut etiam rustici ruri vel in agris ea correpti concidant et moriantur. Turcam cum ingenti exercitu in Italiam petere rumor est. His nunc, mi D. Johannes, bene et feliciter vale meque tuo amori commendatum, ut soles, habeto. Saluta Schönebergios Valentinum et Laurentium et Dominum Ericum tuum. Frater meus Wilhelmus ex Dania rediit, sed ad Dominum reversurus, cujus conjunx, femina omnibus matronalibus virtutibus locupletata et ornata, nuper obiit. Data Kemnitæ die Divæ Annæ anno 55.

Erik Hardenberg, Höenberg, 27.marts 1557.

E.H. har af sin fader fået ordre til skyndsomst at komme hjem; grunden kender han ikke, men det er på foranledning af hertug Frederik og Corfitz (Hardenberg? Ulfeldt d.ø., ca.1520-63?). Han trænger til Pistorius' gode råd og beder ham komme til København eller Malmø.

LXII

Ericus Hardenberg, eques Danus, D. Johanni Pistorio,
præceptori suo summa observantia colendo, S.D.

Scias, mi D. Johannes, quarto me die a discessu tuo in patriam tuam nuntium et literas a patre meo carissimo accepisse, quibus jubet, ut noctes atque dies iter faciam, donec ad ipsum, ubicunque fuerit, perveniam; quæ sit tam subitæ mutationis voluntatis patris causa, miror, et omnino me latet, nec ab Axello (quem pater ad me misit) quicquam resciscere potui, nisi quod instinctu Principis Ducis Friderici et Corfiti factum sit, fassus est; inde multa, quæ mihi minime placent, colligo. Quare nihil est, quod hoc tempore æque optarem, quam ut modo mihi adesses, et si unquam antea, jam mihi fideli tuo consilio opus est. Quare cum non dubitem, quin hoc tempore apud tuos in patria sis, obnixè oro, ut quamprimum istinc discedas et recta Haffniam vel Malmogiam ad me te conferas. Et si pater aliquid durius mihi proponat et me aggredi velit, tamen ante tuum adventum et absque tuo consilio nihil certi constituam vel in me recipiam. Bene vale. Datæ Höenburgi 27.Martii anno 57.

Samme som 70, København, 3.april 1557.

E. H. er kommet godt hjem og må efter faderens vilje gå enten i kongens eller hertug Frederiks tjeneste, skønt han helst som privatmand vilde leve for sit landbrug og sine studier. Mens han med faderen er i Varberg, hvor en kommission skulde bilægge uoverensstemmelser med svenskerne, skal Pistorius, når han kommer tilbage hjemmefra, tage ophold på Höenberg og der afvente deres tilbagekomst. Faderen ønsker at beholde Pistorius, men også kongen ønsker på Axel Tønnsens, Noviomagus' og Hamsforts anbefaling at få ham som hofpræst (hvilket E. H. regner med at Pistorius vil afslå), og desuden ønsker Werner af Parsberg ham som ledsager for sine to sønner under deres udenlandsophold. E.H. tror heller ikke, at Pistorius vil gå ind på dette tilbud, og beder ham derfor igen om at ville blive hos dem, hvor han på hvilken som helst af deres besiddelser skal få det, som han kan ønske sig det.

LXIII

Ericus Hardenberg, eques Danus, d. Johanni Pistorio,
præceptori suo summa observantia et fide colendo, S.D.

Scias, mi D. Johannes, præceptor observandissime, me Haffniam salvum et incolumem et ad patrem meum carissimum pervenisse, qui de multis et variis rebus mecum locutus est, et inter alia incidimus in sermonem de vitæ genere eligendo, ubi me ipsius voluntati, iudicio et consilio subjeci. Quare nunc nullo modo effugere possum, quin aut Regiæ Majestati aut Duci Friderico me dem in ministerium vel uni illorum inserviam. Meministi et scis, quid sæpe inter nos locuti sumus, me

nihil magis cupere et velle quam privatam vitam agere, domi et in fundis meis manere et vivere ac libris et studiis invigilare et tempus terere. Sed quid agam? Pater est, voluntati ejus me reluctari non decet. Cum autem nonnullis ex senatu et simul patri meo a Regia Majestate mandatum sit, ut cum Duce Friderico Warbergam se conferant (Warberga est arx et munitio in Hallandia) ad dirimendas controversias, quæ cum Sueco inciderunt, vult pater, ut se eo comiter, et ut tibi significarem, ut tu reversus e patria Höenburgi subsistas et expectes, donec redierimus et tibi scripserimus. Habeo permulta, de quibus imprimis tecum conferrem, judicium et consilium tuum exquirere et audirem, sed chartis committere non est tutum. Sæpius pater de te mecum loquitur et cupit te (ut ex eo intellexi) apud se retinere diutius; simul etiam dixit se cognovisse Regiam Majestatem expetere ministerium et *operam tuam contionandi in aula, quod si recusaveris, ut te facturum non dubito, est hic Wernerus a Parsberg, cognatus noster, qui expetit* operam tuam apud filios suos. Habet enim duos filios, quos extra regnum ad alias academias vult mittere et curæ, institutioni et disciplinæ tuæ committere. Ita, mi d. Johannes, præceptor colende, tres vices tibi propositæ sunt, nimirum ut aut aliquandiu adhuc apud nos maneat, aut aulæ te des, aut nobilis et præstantis viri Werneris a Parsberg filios suscipias et cum eis aut Witebergam, aut Argentinam, aut etiam in Galliam te conferas et redeas. Ut in aulam venias, Dominus Axel Tonnisen, qui nobiscum, ut scis, Parisiis fuit et converdatus est atque inde te probe novit et hoc tempore est cubicularius Regis eique te commendavit, cum alioqui Regi sis notus, rem urget, ut et M. Paulus, Regis contionator, et Doctor Cornelius medicus faciunt. Sed cogito et spero te hanc viam non electurum et ingressurum. Domini Werneris filii, cum sint cognati mei, etsi quam optime velim, tamen te provinciam sive condicionem illam vix accepturum conjicio ob causas, quas antea sæpe ex te audivi. Ideo oro et spero, ut maneat adhuc aliquandiu apud nos, quo sæpius convenire et judicio ac consilio tuo interdum uti possimus. Habebis apud nos omnia ad votum et voluntatem tuam, non remorabuntur aut impediuntur studia tua, eligas tibi locum, quem velis, vel Mattorp, vel Wieltust,[⊕] vel Haffniam, vel Malmogiam, ubi sustentaberis et omnia necessaria habebis, non aliter ac si vel parens vel ego præsens essemus. Cum autem non volueris diutius apud nos esse, bona cum gratia et amice te dimittemus atque ita honoratum et donatum, ut te nullo unquam tempore pæniteat apud nos fuisse. Sed de his, volente Deo, plura, cum Warberga redierimus et convenerimus. Nam pater tecum hac de re loquetur et omnino cupit te retinere etc. Interim bene vale, mi præceptor. Datæ Haffniæ 3. Aprilis anno 1557.

- I gengivelsen af dette brev i Historiske Kildeskrifter 2. R. II mangler dette på side 636, hvor der således er kommet til at stå: dixit se cognovisse Regiam Majestatem expetere ministerium et operam tuam apud filios suos.(!)

⊕ Skal vist være Wieltuft = Vedtofte.

Hans Frandsen fra Ribe, Wittenberg, 14. december 1557.

H. Fr. er kommet godt til Wittenberg og er der sammen med den unge danske adelsmand Albert Beck, som han agter at tage til Frankrig med. På grund af de urolige forhold i Frankrig vil han dog blive vinteren over i Wittenberg. Universitetet der står det nogenlunde til med, men

der er kun få studenter, som med flid passer deres studier, medens Melanchthon og andre universitetslærere er fraværende for at deltage i religionssamtalen i Worms. H. Fr. sender Pistorius Justus Menius' svar på Flacius' skammelige skrift (Verantwortung auf M. Flacii Illyrici giftige Verleumdung).

LXIIII

Johannes Franciscus Ripensis

D. Johanni Pistorio pietate et eruditione præstanti S.D.

Me salvum et incolumem Witebergam venisse et adhuc pristina valetudine frui scias, D. Johannes, amice carissime. Ceterum quamdiu mihi hic commorandum est, ipse adhuc ignoro. Habeo hic apud me nobilem adolescentem Albertum Beckium Danum, quem nosti, cum quo in Galliam iturus sum, sed cum omnia adhuc ibi tumultarie agi hic audimus, constitui hic usque ad festum Paschatos manere et hic hiëmare, ubi etiam de multis, quæ in Galliis aguntur, me certiores fore spero. Tu si quid interea de statu ejus cognoveris, ut mihi notifices etiam atque etiam te oro. Simul in literis diligenter addas, quicquid per me Parisiis curatum et effectum volueris. Meum officium, diligentiam et fidem in omnibus, ubi tibi vel tuis gratificari poterò, (ita vivam) ex animo offero. Me confidenter loco germani fratris utere. Insuper hæc de schola Witebergensi accipe: Mediocris ejus adhuc est status, sed pauci sunt, qui in absentia Domini Præceptoris et aliorum præceptorum assiduitatem et diligentiam præstant in legendo. Scis illos esse cum D. Præceptore in colloquio Wormatiensi, et de reditu illorum nobis adhuc nihil certi constat. Fama fert Imperatorem Ferdinandum ut in colloquio pergant velle et urgere; id si fiet, ante festum Paschatos eos non redituros mihi certo persuadeo; nihilominus reditum eorum hic expectabo. Sed quidquid fit, te prius non salutato Witeberga non discedam. Bene et feliciter vale, et in primis mihi rescribe. Ego data occasione tibi quin scribam nunquam intermittam. Iterum atque iterum vale, et hæc fusa verius quam scripta boni consule. Mitto tibi responsionem D. Justi Menii ad impurum scriptum Flacii Illyrici. Raptim Witebergæ postridie Lucie anno 57.

73

Albert Meyer, Lindholm, 20. december 1557.

A. M. har fået at vide, at Pistorius er i Husum. I øvrigt drejer det meste af brevet sig om astrologi i forbindelse med en vis Fersefelds og kurfyrsten Johann Friedrichs skæbne.

LXV

M. Albertus Major, pastor in Lindtholm Risingmohræ,
d. Johanni Pistorio, doctrina, pietate atque virtutibus ornato etc.,
S.D.

Binas a te accepi literas, Johannes doctissime, ad quas ut respondeam tempestivum est. Utinam non serum nimis, quemadmodum tibi videtur; quod quidem zelum tuum in amore nostro luculenter arguit. Amanibus etenim mora omnis molesta est. Sed mirari desines, dilecte amice, meque excusatum habebis, si memineris prioribus te literis ad me scripsisse, nimirum nescire te, an in Eiderstedia condicionem sis accepturus. Quibus verbis me remoratus es, ut scribere tibi non dico intermiserim, sed distulerim, donec plenius (quod brevi futurum rebar) per te informarer, an in Eiderstediam aliove profectus esses pro

acceptanda condicione aliqua vacante, an vero Husii mansisses. Ac cum nihil singulare aut te dignum haberem, non judicavi operæ pretium præcocius ineptiis meis incerta itinera tua prosequi, ut interim taceam paucissimos mihi hic tabellarios oblatos, qui vel mature ab-
itum significarent, vel morula tantilla, qua quicquam emunctum matura-
rem, hærerent. Nunc ergo certior factus te Husii sedes fixisse
votis tuis aliquo modo satisfaciam. Nam de animo meo, Johannes di-
lectissime, nihil est quod dubites, quin tui semper et sim et fuerim,
magis magisque futurus sim (quoad spiritus hos reget artus) amantis-
simus tuorumque commodorum et dignitatum (quantum quidem per me un-
quam fieri potest) studiosissimus. Si quid ergo vel mora vel negli-
gentia hactenus tibi deliquisse forte videor, dabo in posterum operam,
ne ulla in parte amici officium requiras. Tibi vero, amice dulcissime,
gratias ago, quod mihi libellos istos tuos communicaris. Nam mihi ut
nunquam ante visi ita certe fuere gratissimi omnique cura apud me
custodientur, quidam etiam describentur. Ac mihi opera tua probatur,
quam pro impetrando Machabeano responso impendisti; utinamque volun-
tati tuæ effectus respondisset. Sed tu, quod in te fuit, fecisti,
nec per te stetit, quod voto nostro non sit satisfactum. Derhalven
dat uns nicht werden mach, dar kere uns Gott den Sinn aff. Sed de
rebus Haffniensibus latius te coram audire expeto. Porro quod mihi
tempus genethliarum Jacobi Fersefeldii (studio periculoque tuo in-
quisitum) transmiseris, rem mihi certe fecisti acceptissimam, cujus
crudelis fati crudelissimi certe planetarum (quod vix credas) fuere
aspectus, ut vel obiter aspicienti patet, quæ tamen omnia exercitii
gratia ad astrologiæ canones accuratius aliquando exigere, si per
Simplicium tuum Villanum (qui studia hæc sacra non tantum inepte re-
jicit, sed et impie execratur) liceret. Sed ego tam superciliosos
matzologos (qui pluris mabathematicum quam mathematicum faciunt)
floccipendo, qui cum se Deum capite tenere credant, vix pedes ejus
osculati sunt. Sed mihi interim non omnino ingrata visu est talium
fatuorum tripudiatio, Villanaque illa rusticitas merito mihi, quem-
admodum et Divo Hussio sancta cujusdam (ut vocabat) simplicitas vel
in rogo risum expremat, crassa illa ruditas, suo titulo respondens.
Sed utinam non in creatorem astorum ipsumque Spiritum Sanctum, omnis
sapientiæ et prophetiæ datorem, blasphema. Et quamvis negari non
potest superstitiosos quosdam vanosque Arabes veritatis metas trans-
gressos arteque optima abusos pessime, ob quem tamen abusum non magis
veritas deserenda quam ipsa etiam divina theologia, quæ propter lace-
rantes hæreticos tot fere habuit foedantes sophistas, quot professo-
res. Si ergo contra tales divinarum scientiarum (quæ dum veritatis
viam invenire vel non valent, vel non volunt, mendaciorum perizomata
texunt) disputatio instituta dicatur, nihil pugno. Sed artem physicis
principiis, certis demonstrationibus, universali experientia et ir-
refragibili veritate jucundissimaque utilitate suffultam in solidum
damnare contumeliosaque impietate subvertere hominis non theologi,
sed athei, imo fatui esse pronuntio, de quo alias tecum latius. Mihi
vero studium erga me tuum gratissimum est, tanto est futurum gratius,
si tempus, causam ac quas potes circumstantias mortis prædicti Jacobi
per occasionem expisceris. De Johanne etiam Friderico Duce Saxonie
et Electore (in Casaris captivitate redacto) scire ex te cupio, num
præter corpulentiam statura etiam procerus quodammodo fuerit. Nam id
mea nosse interest. Porro ad te quod attinet; Johannes humanissime
et carissime, quoties literas Ripas destinare volueris, ad me mittas
licebit. Efficiam enim per D. Georgium, pastorem Tunderensem, soro-
rium meum (qui tanto proprior est), ut et citius et minimo sumptu eo

deferantur responsumque ad me deferatur etc. Paratissimumque me offero tui in hoc, tui in majoribus semper tibi servire. Ac ne in me amici fratrisque officium unquam requiras, satagam, totaque mea ad vota tua tibi serviet bibliotheca vel si quid aliud habeo, quo te uti velle intelligam. Interim oro te, ut in feriis hisce natalitiis, vel quam primum gelu vias ambulationi aptiores reddiderit, aut quando-cunque et quotiescunque volueris, ad me vel pedes venias, quemadmodum te facturum recepisti. Nihil enim mihi tua presentia jucundius tuaque amicitia antiquius. Et nos solidos verosque amicos esse et manere in æternum percipio. Vale. Raptim ex Lintholm Risingmoræ anno Christi 1557 Decembris 20.

Tuus ex asse
Albertus Major.

74

Samme som 73, Lindholm, tredje juledag 1558 = 27.december 1557.

A.M. glæder sig over Pistorius' interesse for astrologien, forsvarer den med bibelcitater og anfører et citat fra Alexander Alesius.

LXVII

M. Albertus Major D. Johanni Pistorio, doctrina, judicio, prudentia atque pietate multisque virtutibus commendabili juveni, amico suo integerrimo, S.D.

Gratissimum mihi est, Johannes dilectissime, te amare studia sincera astrologiæ, et cum amicorum idem sit velle idemque nolle, erit hic amor tuus erga astrologiam causa arctioris inter nos amicitie et amoris, cum ex innata natura hæc studia et ipse colam. Nec enim homine Christiano aut theologo indigna judico hæc esse studia, siquidem scriptum est: Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Hic mihi succurrit atque libet censuram D.D. Alexandri Alesii theologi magni ascribere. Sic enim scribit in libro De autoritate verbi Dei: "Verissime," inquit, "a poëta dictum est: Nescia mens hominum fati sortisque futura. Neque tamen sum in ea opinione Deum alligatum esse causis secundis, nec multum tribuo fato Stoïco. Verum subinde magis magisque experior non sine causa scriptum esse in Genesi sidera a Deo posita esse in firmamento coeli, ut sint signa. Astrologi autem Jovem Marti junctum sinistre Lunam aspicientes significare nascenti certamina cum magnis viris propter religionem. Ego etsi minime fidem habeo prædictionibus astrologicis, tamen sentio me habere magnos viros propter religionem infensos, qui ante satis æqui et benigni mihi fuere etc." Hæc ille. His verbis, delecte Johannes, vides maximos etiam theologos vel invitos tandem propria experientia convictos non posse astrologiam plane damnare. Ac vide, mihi, quæso, quid est, quod Debora et Barac in cantico suo referunt Judicum 5: De coelo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine et cursu suo adversus Siseram pugnaverunt etc. Osee 2: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam coelos, et illi exaudient terram, et terra exaudiet frumentum, vinum et oleum, et hæc exaudient Jezrahel. Mirum ergo, cum tanti sint theologi Villanisti illi, quid ad hæc multaque his clariora dicent, quomodo contemnere possint, quæ Deus ipse ordinavit, quæ Spiritus Sanctus verbo suo commendavit etc. Quare judicium tuum approbo atque exosculor teque vel hoc nomine et pluris facio et magis semper amabo. Sed tu interea ad me veni, amice dulcissime, et me visita, quemadmodum promisisti, quandoquidem itinera sunt aptissima. Misi ego nunc famulum meum, quo, si libet, ut comite

uti poteris, qui te deducat viæque compendia doceat. Hoc comitatus si advolaris, erit mihi gratissimum. In tuum ergo adventum respondere ad alia differo. Vale. Raptim ex Lintholm Risingmoræ anno Domini 1558 die a Natali Christi tertia.

Tuus ex asse
Albertus Major.

75

Skrivelser i anledning af Johannes Pistorius' ordination.

1. Hans Laugesen, Ribe, 30.december 1557.

Pistorius har henvendt sig til Laugesen angående behørig ordination ved biskoppen i Ribe. Laugesen bifalder dette ønske, som kan imødekommes, når som helst Pistorius ønsker det. Laugesens svigerfader biskoppen har Pistorius i velvillig erindring efter et samvær med ham hos magister Thomas (Knudsen) og mindes også en sag angående Cæcilia Rosenkrantz. Det er ikke usædvanligt, at præster fra hertugdømmet Slesvig ordineres i Ribe, og mange præster under provsten i Haderslev bliver ordineret der. Biskoppen i Ribe vil dog være bortrejst i ca. 3 uger, og Laugesen foreslår derfor, at Pistorius kommer til Ribe første eller sidste uge i februar eller senere, men snarest muligt, og hvis biskoppen ikke skulde være hjemme, kan han bo hos ham. - Om religionssamtalen i Worms ved man i Ribe kun, at den endnu ikke er kommet i gang;* Melanchthons hustru er død (13.december 1557) under hans fravær. - For nylig er biskoppen i Vendsyssel Laurits Nielsen (Riber) død; Johannes Machabæus er død 5.december (1557). Hans kannikedømme har den gamle og fattige Christiern Morsing fået, og dennes efterfølger i kannikedømmet i Ribe er sognepræsten ved Helligåndskirken i København Peter Duus blevet. Der er rygter om, at Niels Hemmingsen skal være biskop i Vendsyssel, og at David Chytræus skal være Machabæus' efterfølger i professoratet i København. Til sidst en formaning til Pistorius om at se sig om efter en kone, noget meget nyttigt og nødvendigt.

2. Volquard Jonæ, Slesvig, 25.januar 1558.

Pistorius er blevet valgt til sognepræst i Tetenbüll og søger derfor behørig ordination, men vil ikke vente, til den fremtidige biskop kommer til Slesvig. Jonæ beder derfor biskoppen i Ribe om at foretage ordinationen.

3. Biskop Hans Tausens ordinationsbevis for Johannes Pistorius, Ribe, 4.marts 1558.

LXVI

M. Johannes Lagonis Ripensis Johanni Pistorio,
pietate et eruditione præstanti fratri suo perpetua fide colendo, S.D.

Gratissimæ fuerunt mihi literæ tuæ, carissime et doctissime Domine Johannes, tum quod ex eis statum tuarum rerum, quem semper ardentissime expetivi scire, cognovi, tum etiam quod te amicum candidum et mei amantem, ut hactenus semper fuisti, ex eis perspexi. Dabitur vicissim a me opera studiose, ne tui Johannis te unquam pœniteat. Ac si revera rem volumus æstimare, firmior esse debet amicitia nostra et necessitudo, quam ut unquam ullo locorum intervallo aut loci distantia infirmetur aut intermoriatur, quod cum plerisque fieri videmus. Verum utut se cum aliis habeat, de meo ingenio ipse optime dicere possum. Te enim, doctissime Johannes, cum quo mihi consuetudo

suavissima fuit, cogitatione gratissima sapissime complector, et qui non cogitem de illo cum quadam mihi grata recordatione, a quo me plurimum amari in studiorum meorum brevissimo, proh dolor, curriculo, eoque satis tristi et acerbo, intellexi semper et jam etiam indies magis magisque comperio? Nec leves fuere causæ, quæ nos hoc amicitiae vinculo conjunxere. Nam cum animadverterem in te singularem quandam virtutem cum pari conjunctam eruditione, non potui non ex animo te amare, et me vicissim abs te vere diligi multis intellexi modis, sive propter quandam virtutis de me opinionem, sive, quod magis credo, propter incredibilem, quæ in te est, humanitatem, quæ omnes libenter amore complectitur. Huc accessit studiorum similitudo, de quibus inter nos egimus, delectatio vitæ suavis, sermonis grata et delectabilis societas, quæ omnia amicissimo amicitiae foedere nos invicem, eoque tenacissimo et arctissimo, copularunt. Cupio igitur, ut necessitudo nostra sempiterna sit. Et quamquam aliqua loci distantia nos corpore disjungit, animis tamen simus conjunctissimi. De tuo in me animo benevolo et amore candido dubitavi nunquam, et ubi potero, vicissim declarabo me tui studiosissimum et amantem esse, quod re ipsa potius quam multis verbis probare malo. Quare ne videar novo modo velle veterem nostram amicitiam extenuare, hic desinam et brevissime ad literas tuas respondebo, quum moles negotiorum cum amicis et cognatis hoc tempore hic apud me congregatis ex civitatibus Weellensi et Waerdensi non admittit, ut pluribus tecum agam et ad omnia tua prolixius respondeam. Intellego voluntatem et sententiam tuam de ordinatione ad sacrosanctum ministerium verbi divini eamque pro mei ingenii modulo et captu approbo ac Deum ardentem oro, ut te in sanctissimi ministerii cursu adjuvet et gubernet per Spiritum suum Sanctum. Quod autem hic cupis et petis ordinationem a nostro episcopo, meo socero, et quidem juxta institutum et morem apostolicum ritibus ecclesie usitatis peragi, pie sentis, et ea tibi, frater carissime, hic continget, et quidem honorificentissime, quandocunque volueris, et id sane non tam propter meam apud socerum meum petitionem, quam propter personæ tuæ dignitatem. Meminit enim socer meus eruditi colloqui et collationis tuæ, cum una convivæ essetis apud M. Thomam hic, et memorabilibus narrationis tuis de D. Joh. Sleidano et aliis doctissimis viris a te tunc habitis. Meminit quoque de nobilissima et piissima matrona et Domina Cæcilia Rosencrantz quæ ibi acta sunt, de quibus plura referam et inter nos agemus, cum ad nos veneris. Nec est inusitatum ac præter morem, uti scribis, hic ordinari alios, qui in ducatu Slesvicensi ad ministerium evangelii vocantur. Et ego memini, postquam huc ex Germania redii, aliquos esse ordinatos ex isto ducatu. Et multi ex illis, qui sub præposito Hadersleviensi sunt et ad ministerium accedunt, hic ordinantur, cum ibi, ut scis, non habeant episcopum sive superintendentem. Hac igitur in causa sis securus, amantissime frater. Ordinatio tibi non negabitur, sed continget, quandocunque adveneris. Verum Dominus Episcopus, dilectissimus socer meus, propter regium mandatum et urgens quoddam negotium hinc cras cum Regio Præfecto proficiscetur ac vix post tres septimanas est rediturus. Quare, si commodum tibi videtur, ad Festum Purificationis aut ad Bacchanalia (ut vocant) huc te conferre poteris, aut si amplius differre volueris, si forte alia negotia inexpectata acciderint, quæ te in proposito tuo remorari possent, facies ut volueris et potueris. Adventus tuus, quandocunque adveneris, nobis gratus, desideratus, imo gratissimus erit, ac quo citius veneris, eo eris nobis acceptior. Quod si evenerit, ut D. Episcopus te veniente non sit domi, apud me hospitari et esse poteris, et jucunda variarum

rerum recordatione, repetitione et collatione temporis et expectationis (reditus ipsius) molestiam sive tædium facile pellemus. De nonnullis enim a te, frater carissime, instrui cuperem, quæ mutua inter nos colloquia parere possent. De colloquio Wormatiensi aliud nihil hic audimus et scimus, nisi quod nondum sit inchoatum* et, dum Dominus Præceptor noster ibi est, conjugem ipsius Witebergæ diem obiisse, quo quantum vulnus animo optimo illi viro inflictum sit, quis non æstimare et intelligere potest. Omnes enim novimus φιλοστοργίαν ipsius. Deum oro Spiritu suo Sancto in mæstitia et viduitate sua ipsum consoletur et nobis sustentet. Et nos hic etiam non sumus sine luctu et mærore. Nam ante paucas septimanas hinc ad coelestem ecclesiam advocatus est superintendens Vandalicus vigilantissimus M. Laurentius Nicolai, in hac urbe nostra natus. Et die 5. Decembris Doctor Johannes Machabæus, vir longe doctissimus et theologus præstantissimus, Haffniæ decessit, cujus canonicatus postea Doctori Christierno Morsiano, quem nosti, in suo senio et, ut fertur, ad paupertatem fere redacto singulari gratia et munificentia Regis cessit; illius autem canonicatus, quem hic habuit, M. Petro Duess, pastori ad Spiritum Sanctum Haffniæ, obtigit. Rumor est hic Doctorem Nicolaum Hemmingium in superintendentem Vandalicum expetitur, quod tamen vix fiet, ut acceptet, quum nunc ipse fere solus academiam Haffniensem sustentet. Ajunt etiam D. Davidem Chytræum Rostochio in D. Machabæi locum vocatum esse, sed de eo brevi certo aliquid habebimus. Et fortassis ipse de his melius et plura nosti, quam ego scribere possum; ideo oro, ut meam importunitatem boni consulas. Vale feliciter cum carissima matre tua et sororibus ac omnibus tuis. Salutatur te mea uxorcula, et scias conjugem rem esse vitæ valde utilem et necessariam. Da operam et vide, ut et tu conjugem habeas. Habeo multa tibi hac de re dicere, sed contine, quæso, risum. Data Ripis die 30. Decembris anno 57.

* Da samtalerne i Worms var begyndt allerede den 11. september 1557, kan 'nondum inchoatum' her ikke betyde andet, end at de endnu ikke var genoptaget, efter at forhandlingerne i oktober var gået i stå.

--

Salutem per Jesum Christum. Cum hic Johannes Pistorius, multis annis et ab ipsis etiam incunabulis mihi familiarissime notus, in pastorem ecclesiæ Dei, quæ est in Tetenbul Eyderstedæ, communi suffragio parochianorum sive populi et mea approbatione ex Dania (quo ante aliquot menses cum nobili adolescente D. Erico Hardenberg ex peregrinatione et perlustratione variarum exterarum regionum et academiæ redierat) vocatus esset, mecum deliberare coepit, ubi et a quo legitimam ordinationem ad ministerium evangelii, quæ impositione manuum effusis ad Deum precibus in ecclesia ad imitationem apostolorum fieri consuevit, petere deberet, cumque ipsi indicarem consuetudinem canonicorum Slesvicensium, qui tantum admittunt vocatos ministros ad munus prædicandi evangelii et administrandi sacramenta, impositionem manuum autem reservant futuro episcopo aut superintendenti, et sic admissos redire huc, quando a superintendente in posterum vocati fuerint, jubent, cum, inquam, hæc huic D. Johanni indicarem, in hoc acquiescere noluit ideoque ulterius quæsit, an ne liceret ei in alio loco vel ab episcopo vel superintendente ordinationem impositione manuum petere. Respondi multos ad ministerium evangelii vocatos in his locis hac canonicorum admissione non fuisse contentos (cum paucis præteritis annis alibi propter ordinationem intermissam gravissima certamina inter quosdam viros doctos orta



Kirken i Tetenbol.

essent), ad alia loca se contulisse, idque, quod scirem, non ægre ferentibus canonicis, et usitatis ceremoniis ordinatos esse, quorum institutum, judicium et voluntatem ut nunquam improbavi, sic hisce meis literis testificor id verum esse. Quare amanter et officiose oro Venerandum Dominum Episcopum aut Superintendentem, quem hujus rei gratia hic D. Johannes Pistorius sollicitaverit, ne gravetur petenti gratificari et ordinationem impartiri. Compensabimus hoc beneficium uterque, quocumque genere officii poterimus. Scripsi Slesvici anno 1558 die Conversionis Pauli.

Volekwardus Jonas,
contionator aulicus et visitator ecclesiarum
in præfectura Cottorpiana et Eiderstedtia.

--

Omnibus lectoris has literas gratiam et pacem a Deo Patre per Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, precatur M. Johannes Tausanus, Superintendens diocesis Ripensis.

Immensa et admiranda Dei bonitas et misericordia est, quod ex genere humano peccatis defoedato et corrupto sibi æternam ecclesiam per Filium suum unigenitum, Dominum nostrum Jesum Christum, voce evangelii et non aliter colligit, ac quod propterea ministerium evangelii, docendi in ecclesia evangelium et administrandi sacramenta, instituit et adversus grassantis Diaboli furores servat et usque ad finem mundi servabit, quemadmodum per prophetam promisit dicens: Hoc est foedus meum, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, que posui in ore tuo, non auferentur ex ore tuo et ex ore seminis tui unquam deinceps et in sempiternum. Et Filius Dei inquit: Maneo vobiscum usque ad consumationem mundi. Summa igitur ministerii evangelici dignitas et utilitas est, nec ad id temere quilibet admittendi sunt. Et refrænda est eorum petulantia, qui illud quoquo modo convellunt, extenuant et contemnunt. Cum ergo hic honestus et eruditus vir Dominus Johannes Pistorius Husensis huc ad nos venisset et de vocatione sua ad docendum evangelium Christi in ecclesia Tetenbul Eyderstedtiæ, exhibitis hac de re parochianorum et Domini Præpositi ejusdem loci literis, nos instituisset certioresque fecisset ac ordinationem ad ministerium evangelii juxta apostolorum et primitivæ ecclesiæ ritum peteret, piæ ipsius voluntati et petitioni minime deesse voluimus, præsertim cum se non tantum judicio nostro submitteret, sed etiam ex eo cognosceremus, quod magnificeret apostolicum hunc morem impositione manuum et effusis ad Deum precibus ordinandi vocatos legitime ad docendum in ecclesia evangelium et administrandi sacramenta etc. Patemur igitur et testamur his literis nostris reverendum et eruditum virum prædictum D. Johannem Pistorium ad ministerium evangelii ritibus per hoc totum regnum Dania usitatis ordinatum esse. Precamur autem Deum omnipotentem et misericordem, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut hunc Dominum Johannem Pistorium Spiritu suo Sancto semper regat et faciat insum organum salutare ecclesiæ et reipublicæ. Amen.

Data Ripis 4. die Martii anno incarnationis Filii Dei 1558.

76

Crispinus Pithopoeus (Bötticher), Worms, 5. februar 1558.

Brevet sendes med Antonius (Maillet?) og skrives i hast. Der nævnes adskillige navne, bl. a. Sturm (Johannes Sturm i Strassburg?), men det er kun antydninger. Om religionssamtalen i Worms og kurfyrstedagen vilde der være meget at fortælle, men det er der ikke tid til.

Crispinus Pithopoeus vel Bötticher, ludimoderator Wormatiensis,
Domino Johanni Pistorio amico suo summo S.D.

Antonium nostrum etsi vidissem tantum neque loqui commode cum eo potuissem, ita enim properabat, tamen facere non potui, quin aliquid scriberem. Argumentum autem scribendi etsi habeam, tamen Antonii properatio ne id persequeretur impedivit. Id igitur ipsum pro argumento scribendi mihi usurpo ac te rogo, ne me tui immemorem esse putes, quod tam breviter scribo. De negotio Sturmiano multis negotium dedi, sed nihil de eo adhuc cognovi, nisi quod Consulis Coloniensis, de quo quæsitit ille, nomen fuerit Adolphus Ringk, non Albertus, ut tu dicebas, atque hoc rettulit mihi civis Coloniensis Henricus Grewinckel habitans auff Grötesörтт; is in festo Pentecostes ad nostras nundinas venire solet ac vendit hic pisces, qui nomen habent a baculis, qui, si ad proximas quoque venerit et reliqua, quæ Sturmus scire cupit, referet, quod si factum erit, faciam ut et Sturmus et tu sciatis omnia. Si vero tu Coloniam forte veneris, Henricum ipsum convenire poteris, ac ut occasio tibi sit ipsum conveniendi, meo nomine ipsum salutabis ac dices me mandasse, ut eo si venias, ipsum quæras, quid de eo negotio egerit, quod in proximis nundinis Wormatiensibus ipsi dedit ludimagister Crispinus, ac si forte oblitus fuerit, ut inspiciat ὑπόμνημα meum, cujus argumentum tu ipsi referre poteris, ac si ipsum laboris scribendi tædet, te ad me omnia scripturum dicas. Optima indole nobilem adolescentem discipulum tuum D. Ericum meo nomine salutabis ac fungeris vice epistolæ apud ipsum dicesque me meamque conjugem quoties tui mentionem facit (facit autem quotidie), toties et Domini Erici meminisse, nec unquam desinere vestra in se et beneficia et officia, quæ tempore puerperii, me absente, ipsi præstitistis, prædicare. Filius noster Johannes adhuc vivit; si adleverit, suam quoque gratitudinem ut declaret aliquando faciam. Omnes apud vos, qui sunt et noti et amici mei, per te salutare velim. Cum Antonio tantum coenatus sum, id autem temporis non edendo, sed interrogando de rebus Daniæ consumptum est. Hæc mane scripsi, cum ipse abiturus currum conscenderet. Datæ Wormatiæ 5. Februarii anno 58, quem tibi, D. Erico, regno Daniæ et toti ecclesiæ Christi faustum ac felicem ex animo opto. Multa de colloquio hic habito et de conventu Electorum et de rebus Germaniæ, quæ scriberem, habeo, sed Antonius nimium properat, et ex tempore de hisce rebus temere scribere nihil ausim. Iterum vale.

77

Johannes Nicolai Bang fra Fyn, Paris, 20. februar 1558.

Dette brev sendes også med Antonius (jfr. 76). Det beretter om tilfangetagelse af 147 tilhængere af reformationen den 28. august 1557; af disse er 7 blevet brændt, og de øvrige er kun undgået samme skæbne ved kurfyrsten af Pfalz' mellemkomst, men mange er endnu i fængsel. Kongen (Henrik 2.) har udstedt en befaling om at alle tilhængere af Luthers lære skal brændes. 7. januar 1558 er Calais blevet indtaget af Frants a Guise.

LXIX

Johannes Nicolai Bange, Danus Fioniensis,
D. Johanni Pistorio amico suo S.D.

Quod literæ meæ, optime Johannes, antea tibi non sunt traditæ, id ne socordiæ et negligentia meæ imputes, etiam atque etiam te rogatum

velo. Nam factum est cum nuntii penuria, tum vel maxime, quod ubi locorum hoc tempore vitam ageres, me latuerit. Cum autem a M. Antonio, viro docto et probato, intellexerim te adhuc in Dania commorari, amicitiam nostram requirere, ut cum D. Antonio tibi scriberem et de statu reipublicæ hujus aliquid tibi significarem, judicavi. 4. Calendas Septembris capti sunt 147 pii homines, viri et mulieres, reformatæ religioni addicti, qui tempore nocturno convenerant ad celebrandam coenam Domini, sed proditi sunt, et omnes in carcerem abducti; septem illorum crudelissime sunt combusti, et ita cum omnibus reliquis actum fuisset, nisi Elector Palatinus missis legatis non intercessisset. Itaque paulatim unus et alter dimittitur, et multi adhuc in captivitate detinentur, quos Deus etiam pro misericordia liberet et in fidei et confessionis constantia per Spiritum Sanctum roboret et conservet. Amen. Post illorum, de quibus scripsi, captivitatem paucis interjectis diebus mandatum regium publicatum est et mandatum, ut omnes Lutheri doctrinæ adhærentes caperentur, cujuscunque essent nationis, ac absque ulla dilatione comburentur. Porro nuper, videlicet 7. Idus Januarii, Regis Galliæ exercitus duce Francisco Guisio expugnavit et obtinuit Caletum, civitatem munitissimam, quam Angli in suam habuere potestatem per annos, ut fertur, 210. Breviter de bello et apparatus bellicis multus hic est rumor, quod nobis, qui in literarum studiis hic versamur, non est jucundum auditu. Hæc hoc tempore data occasione cum D. Antonio ad te, carissime d. Johannes, scribere volui etiam atque etiam te orans et obsecrans, ut quam primum poteris mihi rescribas de statu Daniæ, dulcissimæ patriæ, atque ut eo amore, quo me hactenus, et in posterum prosequaris. Ac si quid hic in Gallia et Parisiis curatum cupias, id mihi indica, imo impera; tuo nomine quidvis, quod possum, libentissime faciam. Saluta D. Ericum Hardenberg. Vale. Lutetiæ Parisiorum 20. Februarii anno 58.

78

Albert Meyer, Lindholm, 22. februar 1558.

A. M. skriver kun, fordi han ikke vil lade lejligheden til at sende et brev gå forbi; hvad der er at meddele, vil han hellere tale med Pistorius om; han beder ham derfor komme til Lindholm sammen med overbringeren af brevet.

LXX

M. Albertus Major domino Johanni Pistorio, doctrina, pietate experientiaque rerum ornatissimo fratri atque amico suo, S.D.

Gratiam et pacem a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, Filio ejus, redemptore nostro. Si vales, Johannes mellitissime, est quod summopere gaudeam. Ego per Omnipotentis gratiam bellissime adhuc dum valeo. Quamvis nihil quasi ad manum erat, quod ad te scriberem, tamen oblato tabellario hoc officium in me desiderari haud sum passus, cum interim aliud nunc scribere non habeam, quam quod nihil scribam, propterea quod omnia illa, quæ communicare nos oporteat, in præsentia apud me tua transigi malim. Diu enim est, ex quo te expecto, amice dulcissime. Nam et tempus adventus tui dudum transiit. Quare quid in causa sit, quod te remoretur, quominus amicum invisas, miror. Quare veni, frater exoptatissime, nec me ultra suspende. Nam quid hac mora effeceris, vides. Quoties enim nos mutuis scriptis exhilarare interea debuimus? quod omne tergiversatio sive procrastinatio isthæc tua præcidit. Ne igitur quod utrique indignum est, committatur, fac, quod te facturum promisisti, et quod facere vis, facito, hoc est veni.

Ac si aura iterque tibi arriserit, ecce tibi comitem itineris præsentium exhibitorem. Vale, et brevitatem meam longæ moræ tuæ imputa. Raptissime ex Lintholm Risingmoræ anno Domini 1558 Februarii 22.

79

Volquard Jonæ, Slesvig, (februar) 1558.

Nogle præster har åbenbart sagt noget ufordelagtigt om Jonæ, som han dog ikke tager sig nær. Pistorius har anbefalet Johannes Meyer til Jonæ's bevågenhed: han kan ikke gøre, som Pistorius ønsker, men vil beholde manden i velvillig erindring. Jonæ har modtaget et skrift af Georg Major, hvori denne tager sine (misforståelige) påstande tilbage. Hertugen har anmodet Melanchthon om at komme til Slesvig som superintendent, eller, hvis han ikke kan komme, at sende en anden egnet mand. - Om de for dette år anordnede bededage.

LXXI

Volquardus Jonæ d. Johanni Pistorio, electo pastori ecclesiæ Dei, quæ est in Tetenbul, amico suo carissimo, S.D.

Literas tuas, dilecte frater, heri accepi, quibus propter temporis penuriam tunc respondere non potui, quamvis nuntius id instanter flagitaret. Et nunc paucis etiam respondeo propter et hujus nuntii festinationem. Quæ de Reverendis nostris scribis, sine omni dolore audivi. Vellem me adfuisse et coram omnia audivisse; fortasse id quoque sine animi mærore factum fuisset. Johannem Meyer pluribus verbis mihi commendas, cui etiam non solum propter tuam intercessionem, quæ magnum apud me pondus semper habebit, sed etiam propter communia studia et alias quoque causas libenter prodessem, sed eo modo, quo tu hoc tempore cupis, non possum certis de causis, quas hic non possum recensere. Promitto tamen ipsi studium et operam meam omnem, quam sentiet, quamprimum condicio mediocris mihi oblata fuerit, quod posthac perficere potero, quum absque meo consilio et consensu nemo condicionem aliquam ecclesiasticam nancisci possit. Ita nunc Illustrissimus et Clementissimus noster Princeps constituit. Nova, quæ scribis, antea audivi. D. Superintendens Lubecensis mihi misit scriptum D. Georgii Majoris, in quo palinodiam canit, quod mihi admodum placet. De Domine Præceptore aliud tibi scribam, quod fortassis nondum scis. Princeps noster literis admodum ornate scriptis ipsum huc vocavit et multis verbis ab ipso petiit, ut velit munus et labores superintendentis suscipere, obtulit quoque nongentas marcas et ultra pro stipendio annuo. In fine literarum orat, ut si ipse venire non possit, alium idoneum mittat, et illum judico futurum M. Petrum, qui non gravatim Witebergam relinquet, quod certo scio. Nam ex Superintendente Lubecensi id habeo, qui mihi significavit ipsum condicionem non ita splendidam Lubecæ petivisse. Mittam tibi exemplar literarum, quibus vocatur, quam primum potuero. De meis rebus nihil certi adhuc actum et constitutum est, idcirco nihil scribere possum. Dies 28. Februarii, 1. et 2. Martii constituti sunt dies precationum, et ex mandato Principis literas de hoc meas ad ecclesias et dominos pastores misi. Vale, mi frater. Scripsi Slesvici anno 1558. Saluta, quæso, ex me matrem tuam et sorores.

80

Hans Frandsen Riber, (Wittenberg), 12. marts 1558.

H. Fr. bliver på grund af urolighederne i Frankrig dette semester i Wittenberg og studerer medicin der. På grund af at hans elev Albert

(Beck) blander sig for meget med andre adelige, fortryder han at have påtaget sig stillingen som hovmester for ham og har foreslået hans forældre at lade sønnen komme til et andet universitet. - Noget om Melanchthons forelæsninger m.m.

LXXII

Johannes Franciscus Ripensis D. Johanni Pistorio, amico et fratri suo
perpetua fide colendo, S.D.

Ad 5. Idus Martii nuntius quidam literas a te, mi Johannes, scriptas ad me cum aliis quibusdam meis adjunctis obtulit. Has sine mora amico nostro communi Samueli Selfisch cum diligenti admonitione et obtestatione, ut in calce tuarum literarum voluisti ea petivisti, exhibui. Et futurum spero, ut negotium illud pro voto et expectatione tua sedulo expediatur. Jam jam enim Francofurtum abiturus erat. Ex literis autem tuis animam tuam in me benevolam meique amantissimam perspicio, quo profecto nihil mihi gratius contingere potuit. Ego vicissim omne meum studium, officium et observantiam, denique quicquid in me est et possum Tuæ Humanitati offero, ut unam animam sive mentem in duobus corporibus habitare non dubites. Deinde in literis tuis, ne in tantis bellicis tumultibus iter in Galliam instituam, mihi consulis, ex quo etiam summum tuum candorem agnosco. Et quia rumores isti bellorum et tumultuum jam dudum huc ad nos pervenerunt, ideo hæctenus omnino incertus fui, quid tentarem. Audimus hic Ducem Braunschvicensem a Principe filio Imperatoris Caroli V. ad Galliam defecisse et magnas copias, quas in Galliam ducat, colligere. Cum igitur iter meum propositum in Galliam propter bella suscipere minus tutum sit, tuo consilio acquiescam et in Germania futurum hoc semester in meo Græco Galeno et in indagatione ac cognitione simplicium consumam. Interim non negligam D. Fuchsii compendium et etiam D. Fernelii medicinam, quæ judicio omnium doctorum medicorum præfertur et admodum commendatur. Ceterum quamdiu mihi hic commorandum sit, certo scire et tibi indicare non possum. Albertus meus, quem nosti, ut domi est consuetus, cum omnibus fere nobilibus hic agentibus familiaritatem inicit. Ne autem, si aliquid incommodi vel damni ex illorum consuetudine sibi accersat, parentes id meæ negligentiam asscribere postea possint, illis hoc significavi, et ut ipsum in aliam academiam, ubi cum notis conversandi et convivandi occasionem non habeat, proficisci permittant, consilium dedi. Me condicionem hanc suscepisse pænitet. A primis enim annis male est institutus. Sed de his alias plura. Ubi responsum a parentibus accepero, de his quid velint, certior ero. Si mihi una cum ipso alio abeundum erit, quo nos conferemus, tibi significabo, quamvis malim me posse ab ipso liberari et vitam et studia mea pro libitu et arbitrio meo instituere. Mitto Humanitati Tuæ, ut petiisti, imagines, quas hoc tempore hic habere potui; elegantiores hic jam non venduntur. Accepi a nuntio $\frac{1}{2}$ talerum, pro quo imagines emi. Adjunxi et alia nova, quæ nunc hic apud nos inveniuntur. Ut tam exigua ab amico missa boni consulas, oro. D. Præceptor in enarratione Symboli Nicæni et in Chronicis pergit. Primus Chronicorum tomus jam dudum prelo subjectus est, quem, cum ejus copiam habere poterimus, ad te mittam. Tres horas singulis septimanis in Chronicis consumit, ita brevi temporis spatio nos totum opus habituros spero. Plura hac vice propter occupationes tibi scribere non licuit, jam jam enim nuntius abitum parat. Si quid porro est, quod hic per me expedire vis, id libere indica et manda; omni diligentia id exequar. Bene et feliciter vale, et amicum et cognatum meum carissimum Petrum Copper-smidt cum uxore et liberis pluribus verbis meo nomine saluta, cui

propter subitum nuntii abitum scribere non potui; alias data occasione officii mei memor ero. Saluta quoque meo nomine D. Doctorem Cornelium ab Hammesfort, ubi ipsi scripseris, uxorem et liberos cum tota familia et imprimis meam Magdalenam. Tu me illis, quantum poteris, commenda. Iterum atque iterum vale. Raptim, ut satis apparet, 12. Martii anno 58.

81

Albert Meyer, Lindholm, 1.april 1558.

A. M. sender med tak 2 daler tilbage sammen med en økse til venstre hånd, som han har fået lavet til Pistorius. - Om lån, køb og indbinding af bøger. - A. M. har haft så travlt med forskelligt, især med nyanlæg af sin have, at han næsten ikke har haft tid til at læse een side; han vil også gerne have forskelligt til haven.

LXXIII

M. Albertus Major d. Johanni Pistorio S.D.

Salutem in Christo Jesu. Remitto tibi, dilecte Johannes, duos illos, quos mihi communicaveras, taleros, simulque pro humanitate tua gratiam habeo, relaturus etiam quacunq[ue] occasione. Securim etiam, quam per fabrum nostrum fieri voluisti, sinistra[m] manui accommodatam, diligenter, ut videtur (vel sono coarguente) præparatam, per eundem hunc præsentium exhibitorem transmitto; materiam quidem congruam fore artifex promittit, modo tibi forma placuerit. Postulat autem 8 solidos, vel 10 postulare ausus, nec minoris quam 8 solidis vendere vult. Si tibi pretium nimium videbitur, remittere poteris, ut vel faber recipiat, vel ipse retineam. Remitto porro duos ex libellis tuis, utpote epistolam Davidis exulis,^x item contradictiones Stenckfeldii, quos in catalogo tuo ilico dispunges. Deleas etiam, quæso, declarationem Brentii de Osiandri disputatione, libellum scilicet 6 pagellarum in quarto, ut vocant, quod non difficulter me a te impetraturum spero, eo quod tractatulum illum bis habeas, utpote inventurus secundum exemplar in libro recens a Gerardo compacto, in quo scilicet sunt censura theologorum Weimariensium Coburgiensi[um]que de confessione Osiandri. Quare tanto minus pecuniarum remitte, quanto majoris libellum illum mihi vendes. De confessione autem novissima D. Georgii Majoris (de articulo justificationis), quam Ripis nactus es et mihi (ut meministi) legendam tradebas, noris, quod minori forma mitiorique lingua impressa denuo sit Lubecæ, cujus farina exemplar nuper dono ab amico quodam missum est simulque cantio manu scripta scommatica satis et satirica sub hoc titulo: Ein nege ledt van tween Eseldryveren, Johan Ritzenberch und Joachimo Magdeburgio, quam tibi etiam misissem, si describere per otium licuisset, quamvis exemplar sit incorrectissimum. Quia autem correctius exemplar mihi promissum est, eo usque differam communicationem, nisi forte ipse jam antea cantiunculam illam habueris. Tu interea erue nobis et mitte cantionem ipsius Ritzenbergii dialogumque Magdeburgii. Oro autem te, ut non inique feras, humanissime Johannes, quod plures tuorum libellorum (ut et debebam et volebam) non jam remittam. Nam a toto fere illo tempore, quo te reliqui, horto novo funditus adornando vallisque muniendo lectulisque per modum intricatissimi labyrinthi disponendis, arboribus herbisque serendis plus nimio occupatus fui, ut ne pagellam propemodum legere potuerim, ut interim alias occupationes taceam.

Quare boni consulas hanc morulam, amice integerrime. Est porro qua in re operam tuam imploro, Johannes dilecte. Promisit mihi Johannes Reiders, famulus sive minister Theodorici Meyers, bibliopola Lubecensis, qui apud vos prostat cum libris, opus insigne Ephemeridum Cypriani Leovitti venditurum ea condicione, ut solutio in 14 dies post Martini differatur. Quare velim te volumen illud (si nullo defectu vitiatum sit) ab illo meo nomine postulare tabellarioque huic probe intectum tradere. Pretium autem exigit talerorum 6. Tu autem vide, an 5 vel $5\frac{1}{2}$ vendere possit, et mea vice cum eo age, ut poteris, meoque nomine (si requisierit) chirographum illi tuum da, qua testeris me illi tantum debere, quantum tandem exigit, et simul quare, quando rediturus sit Husiam. Dabo autem operam, ut ante satisfaciam, sed tempus prædictum in omnem eventum ex contractu requiro. Urge item, ut libros alios, quorum catalogum ipsi tradidi, cum redierit, secum advehat. A Gerardo item bibliopola sciscitare, an pecuniam illam (quam novit) receperit, ut mittere possit. Et quia libros quosdam a me compingendos habet, nimirum Agricola de metallis, Asotum, item Spangenbergium de passione Christi, quos si compegerit (uti spero), postula eidemque nuntio apte portandos cum reliquis trade. Deque compacturae pretio cum ipso convenias singulorumque summas mihi perscribe. Velim etiam apud eundem meo nomine periculum facias, quanti (ad minimum) vendere mihi velit Chronica Holsatica incompecta et Ovidii Metamorphosin Germanicam, quod si tollerabili pretio vult vendere (quod tua stabit censura), incompecta simul illa mittes. De Johanne apothecario scire cupio, an abierit. Vale. Saluta matrem tuam piissimam honestissimamque, sorores tuas dulcissimas, quibus et meo nomine gratias agi velim. Iterum atque iterum vale, amicorum dulcissime, meque, ut facis, amare negotiolaque mea expedire memento. Raptim ex Lintholm Risingmoræ anno 1558 Aprilis die 1.

Aliquot racemos[⊕] vitium a patre Domini Petri Aurifabri vel ab alio impetrato et mihi, quæso, per eundem mitte, ut plantem, et tempus plantationi illi aptum inquire; reliqua novi. Si etiam semina aliquot varii generis per matrem corradere mittereque poteris, feceris rem gratissimam. Si quæ nova habueris, comunica. Ineptam meam importunitatem ne ægre feras, amicorum omnium carissime; rursus vale.

* Antagelig Franz Davidis, katolik, lutheraner, calvinist og endelig unitar.

⊕ Skal efter sammenhængen nok være ramos.

82

Volquard Jonæ, Slesvig, 20.april 1558.

Jonæ, der sommetider har svært ved at beherske sig, har af Pistorius fået et godt råd, som han vil følge. Fyrsten vil ikke afskedige ham, og han har bl.a. fået lønforhøjelse og vedbliver at være hofpræst og kirkevisitator. Den danske konge er alvorligt syg, og hertug Frederik skynder sig hurtigst hjem fra Meissen. Næsten alle tyske fyrster er rustede, nogle holder med franskmændene, andre med englænderne; der er fare for borgerkrig. Hertugen på Gottorp skal på opfordring fra den engelske konge stille 1000 ryttere. Hertug Heinrich af Braunschweigs broder er valgt til ærkebiskop i Bremen.

LXXIIII

Volckquardus Jonæ d. Johanni Pistorio, pastori Tetenbullensi,
dilecto fratri suo, S.D.

Maximas tibi, dilecte frater, pro diligentia in meis rebus gratias habeo et consilium tuum non solum laudo, sed etiam sequar. Soleo

aliis ad similem modum afflictis idem, quod tu modo, consulere. Deprehendo autem in me veritatem dicti Terentiani: Nos cum valemus, recta consilia ægrotis damus. Non possum enim interdum ut debebam affectibus imperare, quod alioquin admodum conduceret. Sed de his fusius brevi, Deo volente, coram. Veniam nunc ad statum mearum rerum, de quo certior fieri cupis. Die ab hinc octavo primum certi aliquid conclusum est de rebus meis. Princeps me omnino dimittere noluit, neque se id hoc tempore posse dixit. Aquis deinde mecum condicionibus transegit: stipendium auxit 50 marcis, cum singula computantur. Promissa sunt etiam alia, de quibus aliquando coram. Non enim convenit chartis committere. Sic maneo contionator aulicus et visitator ecclesiarum. Deus faxit, ut feliciter succedat. Nova quædam jam addam, quia te avidum novitatum intelligo, sed utinam præsens copiose et querula voce, quæ comperta sunt, narrare possem. Rex Daniæ graviter decumbit; ob id filius Dux Fridericus summa festinatione frequentibus literis Misnia evocatus celerrimo cursu in Daniam contendit. Omnes fere principes Germaniæ in armis sunt et tantopere, ut simile nostro seculo non auditum sit. Quidam principes sunt a partibus Galli, quidam a partibus Angliæ regis. Timendum autem, ne aliqui prætextu Galli vel Angli civile bellum moveant. Fertur unum ex filiis Electoris Saxonie captivi Gallo equites et pedites adducere. Deus prohibeat, ne adducat primum Augusto Electori. Item et Lantgravius Hassiæ coëgit magnam manum equitum et peditum in subsidium Galli. Habeo de his pleraque, quæ literis committere non audeo. Princeps noster etiam evocatus est ad bellum cum mille equitibus a rege Angliæ, sed existimo ipsum in Saxonia mansurum. Fertur enim principes, qui sunt in inferiori Saxonie circulo, ipsius auxilium implorare et multum instare, ut exercitum colligat in sui et illorum defensionem. Henrici Brunswicensis frater, præpositus Coloniensis, electus est in archiepiscopum Bremensem. Hæc sunt, quæ tibi, dilectissime frater, hoc tempore scribere volui. Dominus adsit tibi Spiritu suo Sancto. Vale. Scripsi Sleswici anno 58 die Mercurii post Dominicam Quasimodogeniti. Cum venero ad vos, monstrabo tibi literas, quas Illustrissimus Princeps in mea causa superintendenti Lubecensi scripsit.

83

Hans Frandsen Riber, Wittenberg, 7.maj 1558.

Følgeskrivelse til nogle breve til Pistorius, som H. Fr. havde modtaget fra Frankrig. Hertugen af Franken, biskop af Würzburg, er blevet myrdet sammen med fem ministre. 15 vogne med handelsvarer er blevet udplyndret i nærheden af Nürnberg. Hele Tyskland er under våben. Bugenhagen er død 20.april, Melanchthons helbred er skrøbeligt.

LXXV

Johannes Franciscus Ripensis D. Johanni Pistorio, pietate et virtute præstanti amico et fratri suo perpetua fide colendo, S.D.

Literas has in Galliis ad te scriptas Samuel noster ex mercatu Lipsico huc secum attulit, d. Johannes, frater carissime, et cum tabellarium certum, cui illas ad te perferendas daret, statim im promptu non haberet, mihi eas tradidit, ut cum primo nuntio illas ad te mitti curarem. Hanc curam eo libentius in me recepi, quod illas tibi gratas et exoptatissimas fore confidam, nam ab optimo et singulari amico profectas esse auguror. Si autem illi rescribere volueris, literas tuas huc mittito. Ego illas per certum nuntium bona fide in Gallias perferri curabo. Velim me hac in re et etiam in aliis maximis negotiis

Tuæ Humanitati obsecuium et officium meum posse quocunque modo præstare. In Aprili Dux Franconiæ, episcopus Herbipolensis, in sua civitate et intra muros una cum quinque ministris interfectus est; qui tanti sceleris auctores fuerint, adhuc nescitur. Nam antequam cædem patrarunt personati æquis insederunt, ut facta cæde tanto facilius fuga elabi possent. Hisce etiam diebus 15 currus mercibus pleni circa Norimbergam ab equitibus aliquot spoliati sunt. Cogita non paucos fuisse, qui tantum ausi sunt. Tota præterea Germania in armis est, verum quid inceptare velint, nobis adhuc incognitum est. Aprilis die 20. diem suum obiit reuerendus vir D. Pastor Pomeranus. Dominus Præceptor est tenui valetudine, sed Deus ipsum diutissime superstitem esse velit. Vale. Raptim Witebergæ 7. Maji anno 1558.

84

Albert Meyer, Lindholm, 2. juli 1558.

A. M. er af Pistorius blevet bedt om 2-3 horoskoper; han vil sende dem, når han har fået nærmere oplysninger, foreløbig giver han nogle almindelige astrologiske oplysninger. Han vil gerne have noget om stridighederne inden for den lutherske kirke og forsøg på at bilægge disse, Wittenbergske studenters og Menius' skrifter mod Flacius og Frankfurter Reces (af 18. marts 1558), underskrevet af tre kurfyrster (August af Sachsen, Joachim 2. af Brandenburg og Otto Heinrich af Pfalz), landgreven (Philipp) af Hessen og hertugen (Christoph) af Württemberg (den sjette underskriver, pfalzgreve Wolfgang af Zweibrücken, nævnes ikke i brevet). Desuden omtales de kirkelige stridigheder i Hamburg, som efter forlydende skulde have medført Paul von Bitzens afgang (som superintendent).

LXXVII

M. Albertus Major d. Johanni Pistorio, dilectissimo suo fratri, S.D.

Etsi intempestive nimis præsens me interpellaret nuntius brevissimumque amico dulcissimo scribendi concederet spatium, tamen nec debui, nec potui oblatam negligere occasionem. Redditæ mihi sunt literæ tuæ, Johannes suavissime doctissimeque, etsi per D. Nicolaum, pastorem Widinghardensem, non fuerint exhibitæ. Postulas judicia duorum, imo trium, nativitatum; sancte juro, quod votis tuis, quamprimum potero; satisfaciam. Nam quid ego amico, vel majora petenti, denegarem? Quare te morulam boni consulere peto, majore fænore compensandam. Infantis nati hoc anno Aprilis die 19. et nomen et sexum parentesque perscribere te cupio, nisi forte artis experimentum capere volueris, quamvis sexum parentumque qualitatem condicionemque astrologi etiam inspecta genitura enarrare polliceantur, quod quidem, si figuram absolvissem (absolvissem autem, si vel pridie hujus diei ab initum nuntii hujus prænovissem), enarrassem vel divinassem potius. Malo tamen hæc certa relatione quam fallaci conjectura cognoscere, etsi suspicer sororis tuæ esse. Hoc modo prædico, observabile aliquid fore de infante tuo, circa vitam scilicet etc., quippe cujus nativitatem quam proxime eclipsis solaris in confinio maleficarum præcesserit, Sole etiam Saturno, Marte ipsaque Luna in Tauro constitutis, Sole ad Saturnum, Luna vero ad Martem juxta Plejades prope-rantibus. Sed præclarissimum simul habet beneficarum inter se in æereis signis aspectum a Jove ad Venerem, itemque Jove ad Solem, quæ non vulgarem, si superstes fuerit, felicitatem pollicentur, quod totum aliaque tibi primo nuntio qua possum diligentia enarrabo. Interim socordiam meam æquo te ferre animo rogo. Si incideris in

librum, quem studiosi Witebergenses contra Flacium Philippomastiga ediderunt, eundem emere mihi memento, itemque D. Menii contra eundem, quem credo et antea aliquid contra eundem scripsisse, quorum neutrum adhuc videre contigit. Rem mihi omnino gratissimam fecisti, Johannes amicissime, quod mihi congeriem multorum novorum proximis literis communicasti, ac ut ita semper pergās optarim. Scribis inter reliqua in civitate Hamburgensi inter ministros verbi divini (quod dolendum est detestandumque) contentiones esse atque dissidia, et nuper scripsit mihi quidam affinis meus relatum sibi esse D. Paulum ab Eitzen renuntiasset officio suo ob intestinam fratrum dissensionem; an vero dimissus sit nec ne, incompertum est. Publicatus est libellus de concordia religionis miris fallaciis ac strophis adornatus, ut ferunt, cui subscripserunt tres electores seculares, ut vocant, cum Lantgravio Hessorum et Duce Wirtembergensi, repudiatus, ut audio, a Rege nostro, cui forte erat oblatus, de quibus omnibus tu certiora, ut coepisti, communicabis. Haud levis aliqua religionis (quod omen Deus avertat) imminere videtur vel mutatio, vel jactura, vel alioqui casus horrendus, tot quotidie dissidiis etiam inter evangelicos gliscentibus. Filius Dei stet et pugnet pro ecclesia sua, quam, ut res ceciderit, oppugnatam quidem expugnari non permittet, quippe cum ne inferorum portæ, ut aperiri coeptæ, contra eam prævalituræ sint. Sed quid mirum sævire Satanam et more suo mordere calcaneum seminis Benedicti, idque his novissimis temporibus, cum sciat modicum sibi superesse temporis. Porro ubi vel Declaratio Francofordiana de 4 illis religionis articulis vel libellus ille de religionis concordia ad manus tuas pervenerint, amici quoque rationem habeas, ut facere soles. Novaque si quæ habes, comunica, et quoties poteris scribe, quod quo commodius fiat, ad matrem tuam literas mitte, ubi, quoties nuntius obtigerit, postulabo. Ego quoque quamcunque scribendi occasionem non intermittam, et quod parcius scripserim, non voluntas, sed opportunitas defuit, majori fœnore in posterum compensanda. Remitto epistolam studiosorum Witebergensium, Viburnum Viatorem, Epithalamion item Georgii Majoris Epicediaque Petri Kregeri Stigelique de Lutheri fato itemque de expugnatione urbis Efricæ novamque, ut vides, præfationem Anglicam, quæ ex catalogo tuo expunges. Enigma in calce literarum tuarum mihi scribere visus es, scribis enim: Fortassis cum rursus scripsero, ad nuptias te invitabo. Hoc enim explicatius ex te audire velim. Vale, et si quam habes, meo nomine saluta sponsam. Raptim ex Lintholm Risingmora anno 1558 die Visitationis Mariæ.

85

Volquard Jonæ, Slesvig, 10. juli 1558.

Jonæ fortæller om et samvær med Holmann i Itzehoe; denne er den samme som før og nyder stor anseelse i Stade. - Lykønskning i anledning af Pistorius' trolovelse. - Om kongens og prins Frederiks forventede besøg i Slesvig. - Ondsindede mennesker har bagvasket Jonæ, men han har en god samvittighed, og ingen skal nogen sinde kunne sige om ham, at han har solgt embeder eller for vindings skyld anbefalet eller påtvunget et sogn en præst.

LXXVI

Volquardus Jonæ d. Johanni Pistorio,
amico et fratri suo amantissimo, S.D.

Accepi literas tuas, dilecte frater, ipso die Visitationis Mariæ; statim etiam respondi, sed peregre mihi proficiscendum fuit, id

quod et cras etiam mihi faciendum est. Ideo satis occupatus brevibus tibi respondeo. Holmannus tuus fuit Itzehom et mecum biduum familiarissime et suavissime vixit; de rebus tuis diligentissime quasivit, te presentem etiam quam libentissime vidisset, excusationem etiam tuam absentiam humaniter accepit. Ex his facile perspicere potui animum ipsius erga te eundem esse, qui fuit dudum et ante annos aliquot, dum Lunaburgi una egistis. De persona autem ipsius quid scribam? Est Holmannus ipse. Habet parvum et exiguum corpus, sed parvo illo corpore habitat animus et ingenium supra modum excellens, et in eo admiranda et multijuga eruditio insigni gravitate ornata. Civis quidam Stadensis, homo doctus, una ibi nobis adfuit; ex eo diligenter quæsivi de rebus Holmanni; is mihi rettulit ipsum Holmannum apud Stadenses in maxima esse existimatione et pluris fieri quam ipsum superintendentem, quem titulo tenus doctorem theologiæ esse ajebat; intellexi etiam non bene convenire inter ipsum et Holmannum. Hæc de Holmanno tuo, tuo inquam, nam novi vos mutuo vos vere et ex animo diligere. Tu ipsum fratris loco habes, ita et ipse te; ideo multoties a me petiit, ut officiose te suo nomine salutarem, ut et coram, cum ad me veneris, tibi referam. Quod sponsus factus es, gaudeo et tibi gratulor, precor quoque Dominum Deum, ut id tibi sit faustum et felix. Et scivi id antequam mihi scripsisti, nam Johannes Hoyer Præfectus Husiæ, sponsæ tuæ frater, ad me scripsit et bonum a me consilium petiit, quod facile ei dare potui, et postea a quodam percepi jam tum certi aliquid conclusum fuisse. Unum hoc moneo, videlicet ne sponsam tuam nimium ames, idque ideo moneo, quod metuum, ne tuorum amicorum, nimio illius amore accensus et abreptus, te oblivio capiat. In nuptiis cum adero, monebo, ut cogites illud poetæ: Est modus in rebus etc., item illud nostrate proverbium: Copulam illam diutius durare quam nundinas Ripenses. Venio nunc ad alias epistolæ tuæ partes. Scribis de Regia Majestate et de Principe filio, petis etiam, ut certi aliquid de utriusque adventu tibi significem; id facerem libenter, sed nondum aliquid certi habeo; quamprimum aliquid comperero, certiorum te faciam. Puto Regem post messem primum venturum. Quod scribis in fine literarum de N. N., diligenter legi et perpendi, et ago tibi gratias pro fideli tua admonitione, quæ indicium est summi amoris erga me, cujus memor ero in perpetuum. Quantum ad dissidium illud attinet, prudentiam adhibebo, si delatum ad me aliquid fuerit, sed nondum facta est ulla delatio. Relata Bokelmanni non possum satis mirari; puto homines istos ad insaniam omnino redactos. Ego vero lætor me habere bonam conscientiam. Nemo ullo tempore probabit me sacerdotia sive functiones vendidisse vel lucri gratia ministrum aliquem commendasse aut obtruisse parochiæ alicui. Si possem his literis omnia committere, mirareris plerorumque insaniam et malitiam imo affatim etiam videres. Cum venero ad Bokelmannum, facillime excusare possum, quod etiam haudquaquam intermittam. Perdat et exterminet Deus istos calumniatores; si sic se res haberet, ut Bokelmanno narrarunt, so mochte ich jo woll seggen, se kornen ehre egene schande nicht verswigen. Sed de his alias plura. Rogo, ut aliquando venire ad me velis; finitis his sequentibus 6 diebus ero aliquot septimanas domi; de multis tecum loquar, quæ nondum nosti. Vale, carissime frater. Scripsi Sleswici anno Christi 1558 die 10. Julii.

86

Joh. Pistorius til Paul Noviomagus (udateret, men af brevet fremgår, at det er skrevet fra Tetenbüll i juli 1558).

Pistorius glæder sig over, at det går bedre med Noviomagus' helbred. Han meddeler, at han har fået embede i Tetenbüll, men først er flyttet

dertil omkring påske. Han trænger til en ægtefælles hjælp og er blevet trolovet med Mette Hoyer. Brylluppet skal finde sted den 14. august, og Noviomagus med familie indbydes til det. Kan han ikke selv komme, bedes han lade datteren Dorothea komme sammen med Hamsforts hustru. - Peter Oxe skal være flygtet til Lübeck, og Pistorius frygter alvorlige uroligheder i Danmark.

377

Domino M. Paulo Noviomago, contionatori Regis Daniæ,
Joh. Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Reverende et clarissime vir, quum ante dies aliquot conterraneus meus M. Joh. Aurifaber huc in patriam ex Dania reversus esset et ego ipsum inter alia potissimum de valetudine et rerum tuarum statu perconctarer, cognovi ex ipso, quod mediocri rursus et aliquanto confirmatiore valetudine utereris ac ad aulam rediisses, quæ quantum me exhilararunt, certe satis dici non potest. Ago autem ex toto corde omnipotenti et misericordi Deo, Patri Domini nostri Jesu Christi, gratias, quod Dignitatem Tuam pristinæ sanitati restituerit, ac oro ipsum, ut Dignitatem Tuam bona ac læta aut saltem mediocri valetudine quam diutissime conservet ad divini nominis sui gloriam ac ærumnosæ et afflictissimæ ecclesiæ suæ consolationem ædificationemque. Amen. Quod vero tum, cum Aurifaber hic esset et ad vos rursus proficisceretur, nihil literarum ad Dignitatem Vestram dederim, in causa fuit, quod præter opinionem meam citius et me ignorante discesserit, alioquin haud commissem, ut ad vos rediisset sine meis literis, quæ saltem de statu rerum mearum vos certiores reddidissent, quemadmodum me facturum Dignitati Vestræ, cum ultimo ei adessem, promisi.

Status rerum mearum hic est: Condicionem ecclesiasticam in Tetenbull Eyderstediæ, de qua Dignitati Vestræ Coldingæ dixi, in nomine Domini suscepi, sed ante festum Paschæ eam non obtinui, etsi literæ, quibus me ex Dania vocabant, aliud referrent. Mansi igitur hieme illa, postquam parochiæ operam meam addixeram, Husiæ apud matrem et ad festum Paschæ huc migravi et docendo evangelium administrare incepi, pastoris fungens officio. Dominus noster Jesus Christus det incrementum et faxit, ut cedat id ad ipsius gloriam ac multorum atque mei ipsius salutem. Amen. Difficile autem mihi est hoc officium et præsertim tali in loco, utpote ruri, sustinere sine socia conjuge. Nam si solitarie, ut hæctenus, vixero, tædiosa et ærumnosa vita est. Sin vero familia alenda erit (ut erit, si vitæ necessaria alias habere velim), curæ et molestiæ indies coacervabuntur, quas solus tolerare metuo. Suasu igitur et consilio parentis et amicorum in conjugem petii atque mihi desponsata est honesta puella Mette Hoyers, honesti et præstantis viri Johannis Hoyeri, præfecti oppidi nostri Husem, soror, ac celebrandis nuptiis Dominica 10. post Trinitatis, quæ dies erit 14. Augusti, constituta est. Hæc, reverende Domine Magister, Dignitati Vestræ significare volui, quem, si fieri posset et vitæ muneris, quod sustinet, ratio pateretur, ut nuptiis nostris una cum honestissima conjuge et liberis interesset suaque præsentia eas ornaret (quod ante omnia ex animo cupiam), exoptarem, quod si forsan fieri haud poterit, etiam atque etiam Dignitatem Vestram rogo, ut filiolum Dorotheam cum honestissima et optima matrona Domini Doctoris Cornelii conjuge, quam omnino Husiam ad nos tum venturam speramus et expectamus, venire patiatur. Id voluptati mihi erit magnæ. Adhæc Dignitas Vestra ut nos ac nostrum institutum precibus suis Deo

commendet, ut ipse Spiritu Sancto suo adsit, nos regat et omnia bene fortunet. Amen.

Plura hoc tempore scribere non vacat. Narratur hic apud nos de nobile Petro Oxe, quod indignationem Serenissimi Regis incurrerit et quod ex Dania Lubecam fugerit. Si ita est, metuo certe magnas turbas in Dania, quas clementer Deus avertat. Consideremus autem astutiam et insidias Diaboli conantis Daniam in extrema fere senecta et tenerima valetudine piissimi et sancti Regis turbare et principi juniori successuro statum regni turbulentum tradere et difficilem administrationem efficere. Utinam, si quæ innovanda et immutanda fuerunt (ut certe ibi multa sunt), optimus Rex ante decennium ea innovasset. Et si jam id fieri necesse est, ut fiat cum pietate et prudentia ac sine motibus. Nam, ut Pindarus ait, facile est cuius rempublicam movere, sed semel motam in tranquillum restituere non est cuius, sed solius Dei. Item, prima scintilla sæpe magnam silvam comburit. Sed Domini voluntas fiat. Superbia et πολυπραγμοσύνη, quibus plurimum in aulis peccatur, non potest diu consistere. Et nota est fabula de Bellerophonte donato Pegaso, qui postea etiam intra cælum vehi et consiliis ac consultationibus deorum interesse voluit, sed is fulmine ictus et a Pegaso excussus periit. Ita et hodie fit multis. Et necesse est. Spiritum Sanctum per Mariam vera cecinisse: Deponit potentes et exaltat humiles.

87

Joh. Pistorius til Cornelius ab Hamsfort, Tetenbüll, udateret (men, som 86 ovenfor, juli 1558.

Pistorius er bange for, at Hamsfort har taget det ilde op, at han ikke har fulgt hans ønske og råd m.h.t. at blive hofpræst. Han takker for velvilje og giver grunde for, at han ikke har taget imod stillingen: bevidsthed om sin svaghed og ringhed; han har altid skyet de høje ting og er tilfreds med de jævne; farerne ved hoflivet. - Meddelelse om ansættelsen i Tetenbüll, trolovelsen og det forestående bryllup, som Pistorius meget gerne vil have Hamsfort med til, men da han selv næppe kan komme, bedes i alt fald hans hustru komme med deres to døtre.

378

D. D. Cornelio ab Hamsfordt, Medico Regis Daniæ, Joh. Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Fortassis, eximie D. Doctor, Excellentiam Vestram nonnihilo offendi eo, quod anno superiori voluntati vestræ non acquieverim et consilium de suscipienda ibi apud vos vocatione non secutus sim. Scio, clarissime D. Doctor, vos ex animo mihi bene hactenus voluisse ac ideo id tum consuluisse. Verum, clarissime Domine Doctor, Deum testor, non ex contumacia aliqua egi, quod non obsecutus fuerim, sed quod conscius mihi essem meæ imbecillitatis et tenuitatis, quæ deterrebant tali in loco tale munus suscipere. Et alioqui semper quæ altiora fuerunt, fugi, mediocribus (absit verbo invidia) contentus. Aulæ vero familiaritates plerumque periculosæ sunt, ut experientia testatur, quamvis etiam Salomon ait: Justus secure ambulat. Et David canit: Castramentatur angelus Domini in circuitu timentium eum et eripiet eos. Quare et hactenus Deus Excellentiam Tuam protexit et non calumniatoris morsus (contra quos alioqui nullum est remedium) nocerent effecit. Is ut et deinceps perpetuo Excellentiam Tuam regat et protegat ac vocationis officia benedicat et bene fortunet, ex toto pectore oro. Amen. Status rerum mearum hic est:

Vivo in Tetenbull Eyderstediæ ibique munere docendi evangelium fungor, ut Excellentiam Tuam antequam e Dania discessi indicavi. Et cum hoc in loco esse, officii negotia procurare et præterea familiam alere eique præesse solus sine conjuge difficulter possim, petii et ante aliquot dies mihi desponsata est in conjugem soror honesti viri Johannis Hoycri, præfecti nostri in Husem, ac nuptiis ut moris est celebrandis constituta est Dominica 10. Trinitatis sive dies 14. Augusti, quibus ut Excellentia Vestra interesset ac sua præsentia eas ornaret, nihil est quod magis exoptarem. Sed scio id vix ulla ratione fieri posse, præsertim Regia Majestate jam in partibus illis apud nos commorante. Mirum igitur in modum oro, ut conjugii vestræ honestissimæ et præstantissimæ matronæ et carissimis vestris filiabus Magdalena et Dorothea liberum sit circa diem prædictum ad nos veniendi. Hæc Excellentia Vestra significare et ab ea petere volui, ac non dubito, quin petitionem admissura sit. Offero me cum omnibus meis vicissim Excellentiam Vestram, cui alioqui propter beneficia me in perpetuum obligatum et devinctum esse fateor. Gratia et pax Domini Jesu Christi sit cum Excellentia Vestra. Data ex Tetenbull.

88

Joh. Pistorius til Johannes Holmann, Tetenbüll, udateret (men som de foregående breve 86 og 87).

Pistorius glæder sig over, at Holmann med kone og børn har det godt, og ønsker ham fremdeles alt godt. Han fortæller om tidligere breve, da han året forud var på vej hjem fra Frankrig; han har ikke kunnet besøge Holmann, da Ejler Hardenberg ikke har villet frigive ham og han derfor måtte blive i Danmark til omkring Mortensdag. Derefter fortæller han, som i de to foregående breve, hvad der er sket siden da, og slutter med en indbydelse til brylluppet i Husum, hvor han kan bo bekvemt hos Peter Copperschmidt.

379

Domino Johanni Holmanno Joh. Pistorius S.P.D.

Gratiam et pacem a Deo, Patre Domini nostri Jesu Christi. Reverende vir et carissime frater, ante dies aliquot, cum Husiæ civem vestrum Ottonem Fuchsium institorem de te ac rerum tuarum statu perconctarer, cognovi ex ipso circa idem tempus (admodum enim nuper tunc Stada Husiam advenerat) te bona ac læta valetudine fuisse ac aliis in rebus utcumque habere, quod ut tunc mihi auditu jucundum fuit, ita spero te adhuc optime valere una cum conjuge et dulcissimis liberis. Ac gratias hoc nomine Deo ago maximas ipsumque oro, ut quam diutissime deinceps te salvum et incolumem conservet ad divini nominis sui gloriam et afflictæ ecclesiæ suæ ædificationem. Amen. Porro, dilectissime frater, anno superiore, quum in itinere essem, quo e Galliis in Daniam properabam, scripsi ad te binas literas, unas Lubecæ ac alteras Rindesburgi apud conterraneum tuum Johannem, cui etiam illas ad te perferendas dedi, nam in tertium (ni fallor) diem apud ipsum (eo quod equi nostri defatigati essent) cum nobili meo manendum fuit. Quare si forsitan illæ, quas Lubeca ad te miseram, suppressæ sint et ad manus tuas non pervenerint, has tibi traditas esse mihi persuadeo. Scripsi tibi, ut de statu rerum mearum aliquid certi scires, qui si bonus vel mediocris esset, ut gauderes, si vero malus, condoleres mihi, ut fratrem decet. Promisi autem tum temporis me illa æstate te invisurum, et omnino id fecissem, si res cecidisset ut cupiebam et sperabam, si videlicet dominus meus Hilarius Hardenberg statim, cum

filium ipsi domum reduxissem, me bona cum gratia a se dimisisset; jam autem per totam illam ætatem me apud se detinuit et ægre tandem circa diem Martini a se dimisit. Quo tempore, cum domum ad meos redissem, oblata est mihi hic in Eyderstedia in pago Tetenbull ecclesiastica condicio pastoratus, quam cum multas ob causas acceptarem, quod superfuit hiemis tempus domi apud matrem latitans in studiis consumpsi ac postea circa festum Paschæ huc migrans munus impositum in nomine Domini nostri Jesu Christi administrare incepti. Vides itaque, dilectissime frater, qui factum sit, quod ætate superiore, ut promiseram, non venerim. Nam ætate illa mansi et detentus fui in Dania; deinde domum veniens multis, ut cogitare facile poteris, occupatus rui, et hieme proficisci insuave est, cum alioqui præterita hiems pluviosa et intempesta fuerit. Quare, mi frater, quod id, quod promiseram, non præstiterim, ne ægre feras aut pejorem in partem interpreteris, oro. Posthac et quam diu per Dei gratiam vixerimus, sæpius conveniemus ac amicitiam ante multos annos coeptam mutuis officiis confirmabimus (si modo inter fratres amicitie confirmatione opus est), continuabimus et colemus, id, quod ex animo cupio, et, quantum in me erit, conabor sedulo.

Porro, carissime frater, quum is, quemadmodum narravi, rerum mearum sit status, videlicet quod munere docendi evangelii hic in Tetenbull fungar, et familiam sustentare ac alere me oporteat, socia autem vitæ, consiliorum, officiorum, curæ domesticæ destituar, etiam necessitate, tum amicorum monitis et consiliis adductus sum, ut juxta divinam ordinationem in conjugem et vitæ sociam mihi petierim honestam, in pietate et bonis moribus bene educatam puellam Mette Hoyers, præstantis viri Johannis Hoyers, præfecti oppidi nostri Husem, sororem, quæ etiam superioribus hisce diebus juxta patriæ morem in nomine Domini nostri Jesu Christi mihi desponsata est. Nuptiis vero celebrandis dictus est et constitutus dies 14. Augusti sive Dominica 10. post Trinitatis. Atque inter alia tum mihi non modo gratum, sed summæ lætitiæ foret, si et te, fratrem meum ut unicum, ita dilectissimum, una cum aliis et doctis et honestis viris ibi præsentem ac ad Deum pro felici nostro conjugio preces fundentem et hilarem, ut fieri tum mos est, conspicari ac coram intueri et alloqui liceret. Id, inquam, summæ mihi foret voluptati et lætitiæ. Quare, dulcissime frater, et imprimis cupio et vehementer te oro, ut ad diem illum prædictum, videlicet 14. Augusti, Husiam, ubi nuptiæ celebrabuntur οὐν θεῶν, una cum conjugue tua adsis et in honorem mei compareas. Præstabis ea in re mihi summum beneficium. Et invenies ibi etiam, ut spero, viros, quorum conversatione gaudebis et delectaberis. Venias igitur, et gratificare hac in re fratri tuo, ut te facturum plane mihi persuadeo. Confido te tantum itineris mea causa suscepturum et nullam vel fictam vel utcumque idoneam excusationem prætexturum. Ego tua causa nihil non facere conabor; ut semper erga te fui, ita adhuc sum et ero, quoad vixero. Hospitium, si veneris, habebis commodum apud civem honestum et optimum Petrum Copperschmidt. Plura aliis de rebus, quas habeo quidem, jam non scribam propterea quod omnino sperem ac animus etiam mihi præsagiat te adventurum, et tum de eis inter nos coram agemus. Interim vale, et veni certo. Datæ ex Tetenbull.

Johannes Pistorius' (mere højtidelige og) egenhændige indbydelse til brylluppet, Tetenbüll, 27.juli 1558.

Efter en længere indledning om ægteskabet med citater fra Ny Testamente, Bacchylides, Melanchthon og Paphnutius på synoden i Nikæa

efter Sozomenos' kirkehistorie følger indbydelsen til brylluppet i lighed med indbydelserne i de foregående mere private breve. ('Parentis' i overskriften tyder på, at sønnen Theodor i alt fald har haft noget at gøre med samlingen og afskriften af disse breve.)

358

Literæ invitatoriæ ad nuptias Parentis m.p.

Gratiam et pacem a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Reverende vir, probe nosti Deum sicuti ceterarum virtutum, ita castitatis quoque notitiam humanæ menti indidisse et quidem propter has causas, ut nimirum, qualis ipse sit, agnoscamus et in invocatione nostra (quæ præcipuus Dei cultus est) eum a naturis malis et immundis discernamus et cum ipsius sapientia et voluntate congruamus. Ut igitur agnoscimus et invocamus Deum sapientem, veracem, justum, beneficum, misericordem, liberrimum, ita quoque castum Deum casta et impolluta mente compellare et hac proprietate a diabolis spurcis et immundis, qui imbecillum hominum naturam ad spurciciem ac libidinum confusiones impellunt, discernere oportet, quemadmodum vere et eleganter dictum est: Casta Deus mens est etc. Et divina Scriptura Ebr. 13^{*} ait: Sectemini castitatem, sine qua nemo Deum videbit. Quid quod ethnicos animadvertimus cum naturali luce, tum experientia edoctos statuuisse præcipuum totius vitæ hominis decus castitatem esse, et famam libidinum, quantacumque sint ingenii, sapientiæ, eloquentiæ ac aliarum virtutum dona, tamen honestorum hominum animos alienare. Extat enim venustissimum Bacchilidis dictum, ceteras virtutes sine castitate similes esse pulchræ statuæ, cui caput revulsum sit, quod doctissimus vir D. Philippus Melanthon, præceptor noster perpetua observantia ac fide colendus, versibus ita expressit:

Ut cum de statua facies formosa revulsa est,
non decus in reliquo corpore truncus habet,
sic hominis mores sprete sine laude jacebunt,
ni sint ornati laude pudicitæ.

Est autem castitas vel in calibe vita sine commixtione et contaminatione corporis, sine flammis libidinum, sine impudicis cogitationibus pure et munde vivere, vel in conjugio leges conjugii mirando Dei consilio institutas servare ac intra metas, quas conjugio Deus circumdedit, manere. Nam I. Thessal. 4. dicitur: Hæc est voluntas Dei, castitas seu sanctificatio vestra, ut abstineatis a scortatione, et unusquisque suum corpus uni conjugii castum et sanctum servet. Item Ebræ. 13: Honorabile conjugium in omnibus, et thorus castus seu impollutus, quo divus Paphnutius in Nicæna Synodo respiciens (ut lib. I. Ecclesiast. Hist. Sozomeni cap. 23. legimus) nuptias honorabiles et concubitum cum propria uxore castitatem esse pronuntiavit. Ut igitur et ego in reliqua vita hanc virtutem per Dei gratiam servem et exerceam ac ordinationi mandatoque divino obtemperem, decrevi, quod auspice Christo felix et faustum sit, cum honesta virgine Mette Hoyers, præstantis viri Johannis Hoyeri, præfecti patriæ meæ Husem, sorore matrimonium contrahere. Quare cum nuptiis, ut moris est, celebrandis Husiæ constituta sit Dominica 10. post Trinitatis sive dies 14. Augusti, ad eas te, reverende vir, peramanter invito, etiam atque etiam petens, ut die illo prædicto una cum honestissima et carissima conjuge tua Husiam venias ac nuptiale convivium nostrum tua præsentia et hilaritate ornes. Ea in re præstabis mihi summum beneficium, quo ut me tibi devinctissimum devincies, ita ejus nunquam obliviscar, et ut recompensem modis omnibus, quoad vixero, conabor. Bene et feliciter vale in Christo Jesu. Datæ in Tetenbull 27. Julii anno 1558.

Tuus Joh. Pistorius.

* Anmærkning omsides.

* Anmærkning til side 97: Det første Ebr. 13 refererer vistnok til en udgave af NT med en anden kapitelinddeling end den clementinske udgaves (som jo endnu ikke var udkommet i 1558); i Vulgata-udgaven fra slutningen af det 16. århundrede står citatet, som i vore bibel-udgaver, Hebr. 12,14.

90

(Pistorius) til stilleren Junge Iver, udateret, men som ovenfor.

Stilleren er hidtil Pistorius ubekendt, men han har hørt godt om hans dyder, fromhed og velvillige indstilling over for Guds ord og dets tjenere og lærde mænd. Dette har bevæget ham til at lade ham tilgå en meddelelse om det forestående bryllup. Derfor o.s.v. (Her skulde vel så følge en indbydelse.)

359

Dem erbaren Junge Iver, Stilleren in Eyderstede.

Gnade und frede von Gott dem Vater unde unsem leven Herren, einigen Midler und seligmaker Jesu Christo, und mine willige und vlitige denste stedæs thovörn. Erbar gunstige Junge Iver, wowoll ick Juw Erbarkeit noch thor tidt unbekandt bin also einer, so nielick uth frömden landen wedderumb in disse jegen mines leven vaderlandes von den studiis studerende gekamen bin, so werde ick dennoch dorch dat herlike gude gerüchte und priesent Juwer dögenden und frömigkeit, also nömblich, dat Juw Erbarkeit der vornemsten einer in diesem lande si, so Gottes wort und dessülvigen dener und gelerden luden woll geneget und in allem gunste thogedan sin, bewogen worden Juw Erbarkeit mit disser mine schrift tho besöken und frundtlick willen tho erkennen geven, wo dat ick nach vorordening und schickinge des allmechtigen Gottes bedacht und gesinnet si, mi mit der dögendsamem jungfrouwen Mette Hoyers, des achtbaren Johan Hoyers tho Husem süster, in den heiligen ebestandt tho begeben und derhalven am Sondage na Laurenti negestkumstig, welcher ist de 14. Augusti, aldar tho Husem vor Gott und der christlich gemene de thogesechte Ehe bekennen und dersülven bestedinge im namen Gottes endtfangen. Gelanget derhalven etc.

91

Caspar Hackrod, Oldenswort, 10. august 1558.

Tak for tilsendelse af en lille bog af Staphylus, som Hackrod kalder en pavens snylter, en sykophant og (med hentydning til hans navn) en stapeldoer (plattenslager). Lykønskning i anledning af Pistorius' bryllup, som Hackrod desværre ikke kan deltage i.

LXXVIII

Casparus Hackrodus, pastor Oldenswordensis, Johanni Pistorio, pastori ecclesiae Tetenbul, amico et fratri suo dilecto, S.D.

Mi humanissime domine Johannes, integerrime amice et frater in Christo carissime, habeo tibi gratiam, quod Staphili, hominis sine dubio deploratissimi et ultra modum blasphemii, libellum ad me misisti. Speramus diem Domini esse in foribus, qui non tantum hujus excæcati Papæ Gnathonis ferociam et contumeliam in veritatem coelestem refrenabit et puniet, sed omnium illorum, qui non sincero corde adhæserunt Christo. Dormiente Luthero lupi ululant. Nobis orandum est sedulo,

ut Christus, verus pastor noster, custodiat gregem suum in his opinionum labyrinthis. Pessime facit sycophanta Staphilus, quod piissimo D. Doctori Luthero hæresium omnium notam inurere conatur, cum nec minus tempore Christi, evangelii auctoris, hæreses passim exoriebantur. Nichil facit Stapeldoer, quam quod veritatem Dei ludibrio exponit et mendacia Satana colit et adorat, cupiens vel cardinalatus apicem hinc venari, si pontificis sedem nancisci nequeat, sed juxta Poggium illius aureum somnium in merdam abiet. Hæc est ars Diaboli, ut fuco fucos decipiat. Abeat Staphilus cum suo impuro clero in malam crucem, nos in vera poenitentia Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, implorabimus, ducti Spiritu Sancto, ut divinam faciamus voluntatem in nostro ministerio et fide ac spe suffulti maneamus in vera caritate, ut vitam æternam in Christo consequamur. Amen. Matrimonium, quod initurus es cum honesta et casta puella, ita tibi cedat, ut totus coelestis exercitus gaudium inde habeat, et ut crescas in multa milia, fruaris optata pace, omnibus in exempla honestatis. Precor etiam, ut hoc nuptiale convivium, quod sancte decrevisti celebrandum, summa lætitia et felicitate finiatur. Denique rogo, mi domine Johannes, ut meam absentiam nunc temporis non accusare, sed excusare pro tuo candore et modestia velis. Deus novit et est mihi testis, quam libenter tibi et amicis tuis in his tuis honoribus adfuissem, sed impediior profectione ad Hamburgenses. Necessario enim ibi comparandum mihi erit, nec ulterius illam profectionem differre audeo, quod iter his literis corrasis statim ingredior, id quod Deus fortunet, ut salvus ad vos redeam. Vale, optime mi frater, et Christus, ecclesiæ suæ sponsus, conservet te sponsum cum tua dilectissima sponsa in veris gaudiis et æternis honoribus. Amen. Reversus domum, auxiliante Deo, invisam te in ædibus tuis. Interim bene vale, carissime frater. Datæ velociter in Oldenswordt die Laurentii Martyris anno 1558.

92

Albert Meyer, Lindholm, 15. august 1556.

Om uregelmæssigheder i besørgelsen af breve. Lykønskning i anledning af brylluppet og tak for indbydelsen; undskyldning for ikke at have kunnet komme, dels fordi indbydelsen først var kommet A. M. i hænde ved mørkets frembrud to dage før brylluppet og der ikke så hurtigt kunde skaffes befordring, dels fordi både hans kone og han selv var dårligt gående. Noget om de lovede horoskoper og om en bog om Kristi passion, som han og hans svoger Georg, vel Georg Petræus i Tønder, næppe den anden svoger Georg (Boëtius i Vilstrup), vil have afskrevet.

LXXIX

M. Albertus Major d. Johanni Pistorio, amico et fratri suo, S.D.

Binas a te, doctissime dilectissimeque d. Johannes, intra bimestre accepi literas, quarum priores ipso die Viti, posteriores Calendis Augusti scriptæ erant, etsi tu (ut ex novissimis intellexi) ternas dederis, quas vel intercidisse vel interceptas doleo. Quum autem nihil mihi tuis literis dulcius sit, oro, ut adhuc in malæ fidei apostolum inquisitionem instituas, a primo, cui traditæ sunt, ad eum, qui reddere debuit, ut vel sic tandem ad me quasi postliminio etiam sero redeant. Non enim dubito, quin ad ea, quæ volebam, responderis tuaque mecum communicaris consilia, quæ alios rimari utriusque adversum sit. Cum autem ad priores literas rescripserim tuamque responsionem, etsi datam, non receperim (ac proinde vel iterum dandam efflagitem),

(etsi seriuscule) cognoverim te sociam vite conjugalisque tori solacium felicibus auspiciis et quassivisse et invenisse, non possum non ex intus cordis recessibus letari ubique ex animo congratulari, ac Deum optimum maximum ardentem oro, ut novo conjugio tuo benedicat omniaque optata largiatur teque castissimamque sponsam tuam fortunet, ut in nomine Dei congressi in ejusdem timore semper progrediamini atque in dulcissimo atque ardenti amore perseveretis fructumque suavissimum matrimonii vestri aliquando deceratis, cara pignora, serosque nepotes etc. Gratias autem ago tibi, frater jucundissime, quod tam diligenter me, ut tuis interessem nuptiis, invitasti; nisi quid tamen acerbi tibi obtigisse videtur ex mea irrecuperabili absentia, spero hoc ipsum jucundissima presentia et suavi intuitu dilectissime sponsae tuae facile extritum. Sed restat, ut me tibi purgem, ne quicumque sinistra (quod omen Deus avertat) de me suspiceris. Etsi autem te difficulter excusationem admissurum timeam, tamen tantum de aequanimitate tua confido, ut ubi rem omnem penitus introspexeris, hanc absentiam amicitiam nostram exterere haud sperem. Sicut enim nubila Solis fulgorem ad tempus subducere, Solem vero (cujus in mundo necessitati amicitia necessitatem Tullius noster, ut nosti, comparat) totum tollere non possunt, imo ne radios quidem ipsos solares in avum cohibere, quin aliquando suaviter iterum pererrant emicentque, simili sane ratione, si forte credis absentia isthac mea amicitiam nostram offuscata, sublata vero minime ut suspiceris, haec te movebunt rationes. Primo omnium (et quod vel solum me tibi purgatissimum reddiderit) litera tua invitatoria, etsi primo Augusti scripta, duodecimo ejusdem manibus meis tradita sunt, idque in crepusculo vespertino candelis accensis, ad quas et legi eas. Deum testem invoco, quod minime mentiar, dictoque primum tempore eas ad me misit praefectus estuariorum nostrorum, parochianus meus, apud quem (ut fassus est) triduum etiam latuerant. Haec revera ita esse ipse etiam coram te testabitur. Cum ergo unius tantum illius diei mihi superfuerit spatium, quam difficulter (ut nulla alia obstitissent) omnia necessaria parare potuerim, ipse, vel me tacente, conjectari potes. Etsi alius causari potuisset se non prius invitatum, quod cum diligentissime feceris, decuisset et me vel unius illius diei difficultatem vicisse, si superabilis fuisset, quod tamen fieri non poterat. Nam cum ipse equis destitutus sim, ne conducticios in tam brevi spatio (quod facile colligere potes) habere potui, cum omnes mei parochiani (etiam pauperiores et qui equis carent) illo die in estuariis reparandis sub magna poena insudarint, adeo ut proximo die, etsi sacro, (quo et tu celebrata sunt nuptia) currus equosque (ad 30 fere) congregare me oportuerit, qui caspites domum adveherent, quod ob penuriam currum profestis diebus facere non licuit. Si haec tibi non satisfaciunt, nihil tamen ultra erit, quod causeris, si condicionem et meam et uxoris meae isto tempore atque etiamnum agnoscas. Nam et illa claudicat ex vulnere in dextro pede falcula imprudentius ante pauculos dies inflictio necdum curato, et ipse incommodissime ambulo (nescio qua fati conspiratione) ob ulcus in sinistro talo, in ipsis nervis locum possidente, ex quo necdum convalui, ut laneis caligis usque adhuc uti non fuerit integrum, et vix domo, nedum parochia, cedere licuerit. In summa, omnem fortunam in nos conspirasse videtur, quominus isto die congregaremur tuasque letitias interessem, quod ego magis dolere debeo, quam tu accusare. Quare si rem omnem aequa lancea trutinaria, spero me meamque tibi tuasque esse plus satis excusatos, etsi alia inde taceam, quae alias revelabo. Interim tamen tui non

obliviscar, sed ubi te inviserō, honorario aliquo munusculo, ut potero, dotabo. Tu interim meam rusticitatem æqui bonique consule daque operam, ut vel interceptas literas recuperes, vel quæ scripsisti (cum me scire voles) repetas, ac quam qualemque duxeris, si placet, indices. Ego interim nativitatum judicia, quæ cupis, ad umbilicum producere moliar, et ubi perfecero, mittam. In postremæ autem nativitatis, quæ celebrata est anno præsentis Aprilis die 19., observatione quid desiderem, jam ante scripsi. Ego in quibuscunque possibilibus tibi tuæque gratificari unquam potero, semper promptus deprehendi conbor. Peto libellum Tigurinensem tuum de passione Christi, incerti auctoris, cum primis ad me mitti. Convenit enim inter me et Dominum Georgium, sororium meum, ut illum describi curemus. Vale in Christo Jesu, qui aquam nuptiarum tuarum, imo et totius matrimonii tui, in dulcissimum vinum semper convertere dignetur. Saluta ex me costam tuam meque (etsi ignotæ) diligenter commenda. Salutat vos et mea vobisque omnia felicia precatur. Atque ego fausto sidere rem totam coeptam atque claudendam summis votis opto. Iterum vale, amicorum integerrime. Datæ Lintholmii in Risingmora anno 1558 Augusti 15.

93

Albert Meyer, Tønder, 24. august 1558.

A.M. har på Tønder marked truffet Pistorius' søster og af hende hørt, at hans helbred i nogen tid ikke har været godt, heller ikke under bryllupsfestlighederne. Han vilde ønske, han vidste, hvilken sygdom det er, så han kunde sende ham et virksomt middel imod den. Han udtrykker sin medfølelse, formaner Pistorius til tålmodighed og beder Gud om, at han snart må blive rask igen.

LXXX

M. Albertus Major Domino Johanni Pistorio, pietate, prudentia, doctrina atque omni virtutum genere cumulatissime ornato viro, amico suo etc., S.D.

Etsi nihil fere hoc tempore erat, quod ad te scriberem, doctissime piissimeque Johannes, frater et amice dilectissime, quippe qui primum jam literas et responsa optata a te expectem, tamen cum in nundinis Tunderensibus forte fortuna in sororem tuam honestissimam prudentissimamque inciderem eamque de valetudine tua sciscitarem admonereturque te (quod mihi auditu fuit tristissimum) aliquanto tempore adversa valetudine molestatum adeoque in ipsis nuptiis tuis non admodum bene valuisse, omittere non potui, quin ad te scriberem, ut nimirum animi mei dolorem hoc scripto testarer, quod scilicet non minus animum meum mæror quam corpusculum tuum tuus urgeat crucietque morbus, atque utinam et qualitatem ægritudinis nossem medelamque competentem communicare possem. Jubeo autem te, frater dulcissime, sub cruce illa tua patientem esse et benignam benignissimi Patris expectare manum; auguror enim hunc morbum non fore ad mortem, sed post has tenebras spera lucem, post has, inquam, tenebras spera lucem. Oro autem Deum optimum maximum, ut hunc amicum meum dulcissimum mihi, imo suavissimæ sponsæ suæ, sanum salvumque restituat incolumitatisque pristinæ reddat. Id quod ut quamprimum audire liceat, opto. Vale in Christo Jesu, sitque spes tua Jesus Christus, qui cor tuum piissimum in viam salutis dirigat. Amen. Raptim ex Tunderen in nundinis anno 58 ipso die S. Bartholomæi.

Volquard Jonæ, Slesvig, 8. september 1558.

Jonæ havde hørt, at Pistorius var livsfarligt syg, og ønsker ham til lykke med, at han nu har det bedre. Autor (Autor Rosa Steinmann? cf. 85) sammen med nogle andre smæder Jonæ, men det skal ikke gå ustraffet hen; ifølge en efterskrift er der også ellers blevet klaget over ham. - Jonæ's hustru er svært syg. - Han er ked af at være blevet i dette embede, da han kunde have fået en bedre stilling i Lübeck.

LXXXI

Volquardus Jonæ d. Johanni Pistorio, amico suo.

Salutem per Jesum Christum. Literas tuas, dilectissime frater, 6. die Septembris accep̄i et ex eis, quæ jam dudum audivi, percepi, nisi quod scribis te jam paulo melius habere, id quod tibi gratulor, et oro Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut te plane pristinæ sanitati restituat. Narratum mihi fuerat te gravissime et periculosissime decumbere, ita ut vix spes vitæ esset, quo certe nuntio valde perterrefactus fui. Jam gaudeo et tibi ac novæ conjugii ex animo gratulor te meliuscule habere. Deus procul dubio tibi ostendere voluit, quod crux sanctissimæ suæ institutionis comes esset. Me hoc tempore etiam castigat ex paterna benevolentia Dominus. Nam non solum Autor iste adversum me insurgit, sed et quidam alii pessimi et præfracti nebulones. Accedit ad hæc carissimæ conjugis meæ difficillimus et periculosissimus [morbus], qui me non secus atque illam affligit. Et valde metuo, quod hac hieme ab eo non liberabitur. Laborat enim feбри quartana, de qua medici pronuntiant, cum sit autumnalis, fore diuturniorem juxta aphorismum quendam Hippocratis, qui tibi forte notior est quam mihi, cum et tu, ut memini me aliquando ex te audivisse, et hanc febrim expertus sis. Utor consilio et auxilio duorum medicorum, sed parum hæcenus effectum est. Hic hoc tempore, humanissime et dilectissime frater, rerum mearum status est. Dominus noster Jesus Christus adsit mihi divino Spiritu, ut crucem hanc patienter feram; commendo etiam me et conjugem meam precibus tuis. Pænitet me, quod in hac statione permanserim, tam multa adversa mihi accidunt, quum potuissem, uti scis, Lubecæ honestum locum et condicionem non pænitentiam obtinuisse. Quod autem mones de sycophanta isto, non fuit opus. Volente Deo videbis me illatam injuriam non dissimulaturum. Experietur dissolutus et φλαυτος iste, cui contumeliam fecit; expecto majorem occasionem. Es heisset, festina lente. Audio ipsum moliri contumeliosum scriptum in me, quod quamprimum nactus fuero, videbis contumeliarum poenam vel etiam aliud quippiam. Vale cum dilecta tua conjugem, quam ex me et mea conjugem officiose salutabis. Scripsi Sleswici anno 58 die Nativitatis Mariæ.

Oro, ut literas has inclusas statim per idoneum nuntium meis sumptibus mittas in Tating ad Sibbe Steffens; peto in literis, ut duo ex primoribus quamprimum ad me veniant. Scis Theodoricum juniorem vel Junge Derdte etiam de Autore conquestum; tu si aliquid de querelis ipsius nosti, annota et ad [me] mittito. Nec verbo nec facto illum unquam læsi, ideo satis mirari nequeo, quod ita in me incurrat.

Konrektor Johannes Meyer, Husum, 10.februar 1559.

Pistorius roses for hans omsorg for Erik Hardenberg og for Danmarks og kirkens vel. J. M. venter efter den fromme og vise konges død for nylig store forandringer i riget, men håber, at sønnerne ikke straks vil glemme al fromhed og mildhed; i denne forbindelse omtales rygter om prins Magnus' adfærd. - Om D.D. (vistnok Paul von Eitzen, cf. 84) foreligger intet sikkert. Bededagene er blevet bekendtgjort.

LXXXIII

Johannes Meyer Hamburgensis, scholæ Husensis conrektor,
D. Johanni Pistorio, doctrina et virtute ornatissimo viro, S.D.

Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, carissime Domine Johannes, ex quibus intellexi piam tuam sollicitudinem et pro nobili tuo Domino Erico Hardenbergio et pro regno Daniæ. Laudanda profecto est hæc tua cura. Nam id vere est Christiani animi, salutem ecclesiæ et rei-publicæ quam commendatissimam sibi habere. Etsi autem non est dubium insignem mutationem secururam esse in regno Daniæ obitum pientissimi et sapientissimi Regis, cum omnium ætatum historiæ ostendant magnorum principum obitus esse criticos, tamen de immani illa crudelitate (de qua tu quæris) filii Ducis Magni nulli rumores nobis allati sunt, et si qui hic essent sparsi, non facile illis fidem haberemus. Licet negari non potest heroum filios plerumque noxas esse, tamen speramus propter insignem patris pietatem filios non tam subito animos mutatu-ros et degeneratu-ros esse, ita ut omnis pietatis et humanitatis obliti aliud, quam ipsos decet, moliantur et pæpetrent. Ecce, sic benedicetur homo, qui timet Dominum, inquit Scriptura, ut filios filiorum videas.* Hinc ego spero et colligo nos quoque benedictionem divinam in filiis et nepotibus Illustrissimi et pientissimi Regis Daniæ modo defuncti visuros et experturos. Nam illius pietas tam fuit eximia et illustris, ut nemini non fuerit quam notissima. De D.D. etiam nihil certi nobis constat. Interrogavi de hoc nuper quendam canonicum Schleswicensem, M. Hieronymum Koppersmidt, cui nihil hisce de rebus constitit. Dies Rogationum, uti vocant, hic sunt denunciati. Præter hæc nihil hic est novi, de quo tibi scribere possim. Dominus hospes et hospita, nec non M. Johannes Hamerus te quam amanter et officiose salutant. Bene et feliciter vale una cum dulcissima conjuge tua, quam meo nomine officiose salutabis. Raptim. Husiæ feria 4. Bacchanaliorum anno 59.

* Sic; taget direkte fra Salme 128,6 uden at ændre verbets person.

Volquard Jonæ, Slesvig, 10.april 1559.

Jonæ er bekymret for sin hustrus helbred. En længere redegørelse for hans stridigheder med kannikerne i Slesvig; bispedømmet var i marts højtideligt blevet overdraget til hertugen, og Jonæ havde fået at vide, at han indtil hertugens tilbagekomst skulde afholde sig fra kirkevisitatserne (som et par år før var blevet betroet ham sammen med Paul von Eitzen i Hamburg og Peter Bokelmann i Husum); dette var af kannikerne blevet udlagt som afsked fra embedet, men han ved, at han har en nådig fyrste, som har lovet ham at ordne denne sag på en sådan måde, at Jonæ ikke skal lide skade ved det. Han vilde helst bede om sin afsked, men anser ikke tidspunktet for belejligt. Sogne-

præsten, kapellanen og vikarerne klager også over kannikerne, som ikke vil finde sig i senatets overenskomst med vikarerne, og senatet og befolkningen i Slesvig står hårdt imod kannikerne.

LXXXII

Volcquardus Jonæ d. Johanni Pistorio, amico et fratri suo.

Salutem per Jesum Christum. Quod tantopere, dilectissime frater, rerum mearum statum nosse desideras, pergratum mihi est et magni beneficii loco a me habetur. Scripsissem ad te de omnibus copiose, sed impeditus sum gravissimo morbo uxoris et aliis quoque publicis negotiis. De valetudine conjugis ferme desperare incipio. Si illam salvam haberem, satis bene volente Deo mecum ageretur. Nihil enim aliud fere obesse videtur. Tres canonici ante aliquot septimanas triumpharunt, sed ante victoriam; causa triumphi erat, quod Illustrissimo Principi tertio die Martii possessionem dioecesis solenni more tradiderant, et mihi a Celsitudine sua 4. die ejusdem mensis (quo etiam summo mane ad Ducem Brunsvicensem Henricum profectus est) mandatum esset, ut a visitatione ecclesiarum cessarem usque ad ipsius reditum etc. Hoc mandatum (quod Princeps non male intellexit et edidit) magno ipsos affecit gaudio, et adeo, ut in vulgus sparserint me ab officio remotum esse. Commovit me quidem id, at conjugem omnino nihil. Consolabatur tamen me hoc, quod certo sciebam me clementem habere principem. Nam ante triduum fueram cum Domino Cancellario in prandio apud Principem, qui, cum forte sermo incidisset de canonicis, ad me dixit me debere ipsorum calumnias ad tempus negligere et cogitare, idt were gelieck effer my ein hore lavede edder ein deeff lesterde. Ad quæ D. Cancellarius subjecit: Des guten geruchtes mugen sie sich erfrouwen. Hoc sermone et multis aliis indiciis clementiæ et singularis benevolentiæ ipsius me tum reficiebam. Postea cum 4. Aprilis Celsitudo ipsius domum rediisset, conveni eam et canonicorum calumnias et convicia exposui (quæ illi tamen nunc impudenter negant). Sed quid tum Princeps responderit, scribere hic non est integrum; alias coram referam. Inter alia promisit se una cum consiliariis et tribus doctoribus, D. Adamo^x Cancellario, D. Paulo^o, D. Hinckio, de nostra controversia cogniturum. Mandavit quoque ipsis serio per quendam nobilem cubicularium suum, ut quiescerent et me missum facerent, ad quod scripto responderunt se mihi esse molestos et quoque mecum esse contentos. Causæ cognitionem non expetent, sed defugient, quantum possunt, id quod certo scio. Siquidem D. Henricus Ranzovius una mecum graviter ipsos accusabit, et Lector scit sibi infensos esse omnes bonos et magnates, an etiam propitium habeat Deum, qui sic contra conscientiam suam multa molitur et agit, ipse viderit. Nonnulli ex canonicis ad me inclinant, et sunt tantum tres illorum, videlicet Lector, Koppersmidt et Hohegreve, qui me impugnant. Den will ich werckes genoch pflegen, auxiliante Deo. Quid hanc cognitionem subsecuturum sit, videbimus. Unum hoc certo scio, quod se turpiter dabunt et confundentur, et unus ille maxime. Ego nihil metuo et possum, quicquid feci, mandato Principis defendere. Hæc, dilectissime frater, ad te perscribere volui. De officio præposituræ nihil certi scribere possum, siquidem quod ad hanc rem hactenus nihil certi ex Principe cognoscere potui. Cuperem ab ipso quamprimum dimitti, idque ob multas causas. Nuper, videlicet 6. Februarii, hæc, quæ subjicio, a Principe promissa sunt et in commissione mea annotata: Und nachdem ehr etzliche jhar her, deweil ehr uns im predigampt gedienet, der Visitation halben, damit wir ihn beladen, seinen sonderlichen geniess, gleich seinen forfahren, davon gehabt, da wir nun

gemelter Visitation halben kunfftich etwan enderung machen und dieselbigen auff andere masse und wege bestellen und verordenen werden, damit ehr alsdan derenthalben an seinem unterhalt und dienstbesoldung keinen abbruch oder verringerung zu ertragen, so wollen wir auff gerurten fall ferner mit ihm handeln und an stadt solches geniesses, die ehr von der Visitation gehat, in andere wege dasjennige vermachen und geben lassen, so trechlich und billich, daran ehr auch benuglich sein kan. Si hæc fiunt, bene mecum agitur, et occasio et via mihi erit hæc mutatio ad commodiorem et tranquilliorem vitam et quoque ad studia colenda. Domini voluntas fiat. Constitueram quidem veniam sive dimissionem a Principe petere, sed videtur multis de causis hoc tempore inconsultum, et qui bene mihi volunt, dissuadent. En habes, carissime frater, quæ a me flagitasti; cum ad me veneris, de omnibus copiosius colloquemur. Quod de ocreis scribis, erit mihi curæ, modo sutor promissis steterit, quod rarissime facit. Concertationes cum canonicis (de quibus scripsi) non parum me exercent, spero tamen aliquando fore mihi utiles. Et quidem admiranda Dei beneficia satis admirari et celebrare nequeo, cum cursum vitæ meæ attentius perpendo. Merito cum patriarcha Jacobo dico: Misericors Deus, minor sum cunctis miserationibus tuis. Te autem oro, ut me causamque meam in precibus tuis ad Deum tibi commendatam habeas. Pastor hic, sacellanus et vicarii Sleswicenses etiam conquesti sunt Principi de injuria canonicorum trium, et est excitata gravissima tragoedia. Senatus populusque Sleswicensis diris canonicos devovent ipsisque omnia mala minantur. Sacellanus hactenus non habuit certam aliquam habitationem, eam nunc nactus est opera senatus et vicariorum. Sed conventionem, quæ inter senatum et vicarios facta est, etsi a nemini pio reprehendi potest, canonici ferre non possunt. Cum debebant Principi respondere, dixit Lector ad ministrum Principis de D. Pastore, Sacellano et reliquis, de papen weren weïrdt, dat man se thor Stadt henuthstupede. Vide impudentiam hominis, qui magis dignus est, ut flagellis et virgis cædatur. Tales sunt, qui eleemosynis ecclesiæ victitant easque abliguriunt. Puniat Deus istos Epicuri de grege porcos. Bene vale, dilectissime frater, et conjugem tuam meo nomine officiose saluta. Scripsi Sleswici anno 1559 die 10. Aprilis.

* Adam Tratziger.

Ⓞ Vistnok Paul von Eitzen.

97

Albert Meyer, Lindholm, 2.maj 1559.

Meddelelse om, at A. M.s hustru, Pistorius' søster, er død 22.marts. Nabopræsten i Nybøl, Johannes (Jensen), er flygtet på grund af beskyldninger for grove forbrydelser, og A. M. må derfor også tage sig af dette embede, som er lige så godt eller næsten lige så godt som hans eget; hvis Pistorius ikke er tilfreds med sit embede, skal han snart besøge A.M., så de kan trøste hinanden og tale om sagen.

LXXXIIII

M. Albertus Major Johanni Pistorio, amico et fratri suo.

Gratiam et pacem a Deo, Patre misericordiarum, et Filio ejus dilecto, Domino nostro Jesu Christo, mediatore et propitiatore nostro, Spirituque Paracleta, consolatore omnium pie dolentium, opto tibi, frater atque amice dilectissime. Non miraberis autem dulcis congero, quod tantulo jam tempore nullas a me literas acceperis, cum id nulla veteris amici oblivione aut contemptu, sed sola animi summa pertur-

batione contigerit, ut de viarum, quibus disjuncti sumus, distantia tabelliorumque inopia taceam. Sed quandoquidem tu mihi, dilecte Johannes, pro amico fideli cognitus sis, data hac occasione omittere non debui aut volui, quin tibi, qui me aliquando magnæ lætitiæ tuæ participem esse voluisti, maximæ vicissim tristitiæ meæ materiam aperiam, ut vel amico misero condoleas, vel pro tua pietate efficaci consolationum pharmaco succurras. Quare te, frater amantissime, celare non possum me sorore tua dilecta uxoreque mea longe dulcissima, castissima piissimaque nimis, proh dolor, quam mature privatum, quod non sine inenarrabili luctu recolo, nec sine lacrimis scribere valeo. Ac magnitudo doloris non sinit me tristissimam vel morbi, vel mortis ejus (cujus jugo gravissimo collum submittere, fatis ita volentibus, Martii die 22. coacta est) historiam hoc tempore latius tibi enarrare. Optarem enim potius aliquando coram tum de hoc, tum aliis de rebus tecum conferre. Reliquit autem mihi duos filiolos, quorum junior beata matre ad Dominum migrante vix 19 hebdomadas impleverat. Auget porro dolorem meum maximum scandalum, quod tum evangelio Christi, tum ministris ejus in his oris nuper inuri coepit, fugiente d. Johanne, pastore Nybullensi, vicino meo, ob accusationes gravissimorum quorundam facinorum. Vacat igitur locus iste, et mihi pro simplice duplicem suppeditat laborem. Est conditio optima, meæ vel par, vel non multo inferior. Quare si tibi tua displicet, cum primis me visita, ut mutuo in Christo solacio fruamur ac conferamus, quæ ex re utriusque fore videbuntur. Interea pro me fideliter Deum ora, ut in calamitate mea me consoletur meumque dolorem mitiget, qua in re etiam tuum imploro auxilium. Quare cum primis vel veni ad me, vel rescribe de statu rerum tuarum, quarum sum cupidissimus. Literas tuas mitte matri tuæ, a qua primo nuntio eas petam, et significa, quando venturus sis, et te domi operiam. Vale, et saluta tuam ex me. Raptim ex Lintholm Risingmoræ anno 59 Maji 2.

98

Volquard Jonæ, Slesvig, 4.maj 1559.

Om Jonæ's hustrus sygdom, feber og svulster på begge sider af halsen. Skomageren svigter ham, og de i 96 omtalte benskiner er endnu ikke færdige. Jonæ bliver måske snart feltpræst.

LXXXV

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio, fratri suo dilectissimo, S.D.

Vulgare proverbium est: Ubi quis dolet, ibi manum habet. Sic conjunx mea satis afflictata, sed de febrī, qua jam longo tempore laboravit, loquitur et cupit ex te scire, quid tibi acciderit ante liberationem ab ea. Nam patitur hoc tempore tumorem circa collum ab utraque parte, absque tamen insigni dolore. Consilio D. Doctoris Carnarii non vult amplius parere. Tribus septimanis reliquerat ipsam febris, sed nunc ante triduum rediit. Rescribe, quæso, aliquid, cum eundem morbum expertus sis; rescribe etiam, an longam meam epistolam, quam per bibliopolam ad te misi, acceperis. Sutor me fallit, ut solet alios; promisit tamen se paraturum hac septimana ocreas. Vale, dilecte frater, cum uxore, et causam meam in precibus tuis Domino commenda. Fortassis brevi contionator castrensium et militaris ero. Scripsi Sleswici anno 1559 die Ascensionis Domini summa festinatione.

Ulrich Syadonis til Johannes Rischmann.

Brevet er åbenbart en følgeskrivelse til det under 100 efter Pistorius' svar gengivne brev fra sognemenigheden i Delve af 31. maj 1559 (se dette) angående tilfangetagne kvinder. Præsten har gjort forsøg på at få dem løsladt, men uden resultat.

375.

Pio et docto viro Domino Johanni Rischmanno,
amico suo hactenus ignoto, S.P.D.

Salutem et pacem a Domino Patre per Christum Jesum, Dominum nostrum. Quancquam, carissime domine frater, mihi et nomine et facie es ignotus, tamen tuis petitionibus de mulieribus a nostris captis respondere mei collegæ nomine, qui hoc tempore non est præsens, non recusavi. Scies autem eas tractari, quemadmodum convenit honestis et piis matronis, atque sæpe de dimissione apud nostros precibus tentavi, verum nostri nihil absque magistratum jussu et imperio incoepare audent; de illarum autem vita non est dubitandum. Nam et hic quoque multi habitant pii homines. His esto Deo commendatus, beneque vale, ac mei in tuis precationibus memento.

Tuus Ulricus Syadonis,
Jeverensis* apud Delphos verbi Dei præco.

* Jereverensis i håndskriftet er nok en skrivefejl.

100

Pistorius' svar på ovenstående brev til Johannes Rischmann,
brev fra sognemenigheden i Delve, 31. maj 1559.

Pistorius' brev er skrevet fra militærlejren i Husum og udateret, men det er rimeligvis skrevet i juni 1559. En af de tilfangetagne kvinder er hans søster Anna; det bedrøver ham og hans moder meget, men han er i nogen måde blevet trøstet ved Syadonis' brev. Da kvinderne er helt sagesløse, bedes Syadonis tage sig af dem, så de frigives.

Delve sognemenigheds brev er svar på en henvendelse fra Husum om de tilfangetagne kvinders frigivelse. Ditmarskerne er mod al ret og rimelighed blevet overfaldet og befaler deres sag til Gud som den eneste rette dommer. Kvinderne behandles godt, deres løsladelse er imidlertid ikke sognets, men den verdslige øvrigheds sag, og de vil forelægge denne sagen. Selv ønsker de intet andet end fred.

376

Præcedenti epistolæ respondet Joh. Pistorius.

S. Reverende vir, frater in Domino carissime, literas tuas, quibus hisce diebus pastoris tui nomine reverendo viro Johanni Rischmanno de captivis Husensium mulierculis, inter quas, proh dolor, una, cui nomen Anna, soror mea est, respondisti, legi, et ex animo Humanitati Tuæ gratias habeo, quod non gravatus fueris rescribere. Nam cum una captivarum, cui nomen est Anna, soror mea sit, ejusque captivitas majorem mihi, quam unquam in tota vita perceperim, dolorem attulerit, nonnihil tamen literis tuis sum recreatus. Verum cum οὖν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελῶ κωδύρεται, ut Sophocles ethnicus inquit, vel potius, ut Salvatoris efficacioribus utar verbis, non cadat capillus de capite

nostro sine voluntate Patris coelestis, agnosco crucem hanc divinitus nobis impositam, quo probemur etc. Quas ærumnas misera mater nostra vidua (nam in prima juventute nostra pater noster M. Theodoricus Pistorius, cum primus ecclesiam Husensem sordibus papisticis purgasset, morbo, qui sudor anglicus vocabatur, nobis ereptus est) hactenus sustinuerit, ut nos honeste et bene educaret, longum esset narrare. Verum omnes cruces hæc præsens longe superat. Scribis, carissime Domine frater, eas tractari, quemadmodum honestis et piis matronis convenit. Utinam revera ita sit! Et quamvis non dubitem, quin quod res sit scribas, neque existimem tantam inesse hominibus inhumanitatem et feritatem, ac in miseris et imbecillis mulierculas, quæ nulla plane re ipsos læserunt quæque belli hujus causas nesciunt nec inquirunt (quod nec ethnicos quidem vel barbaros ullos unquam fecisse in historiis legimus), sæviant, tamen te, mi frater, oro propter Dominum nostrum Jesum Christum, ut patrocinium illarum suscipias, Diaboli conatus, quantum in te sit, impediatis easque, qua in re poteris, juves, suasor et auctor sis, ut suis restituantur. Causas, quæ te ad hoc movebunt, ipse pro tua pietate et prudentia melius cogitabis et considerabis, quam necesse tibi sit eas indicare. Hoc, unum hoc, dico et pro certo affirmo: beneficio hoc me meosque omnes tibi in perpetuum devinctissimos efficies, ac præmia a Deo ipso consequeris certissima. Nam beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Dominus noster Jesus Christus te tuosque omnes Spiritu Sancto suo custodiat ac regat. Amen. Datæ in castris Husem.

Tuus Joh. Pistorius,
pastor ecclesiæ Dei in Tetenbull Eiderstediæ.

✕

De Frede des Herren sy mit uns allen. Leven Naberem, gi schreven etlicher frouwen halven von den juwen, de von den unsen sin unrechtlich ingenamen, dat desulvigen juw mochten wedderumme werden behandet; so wete gi woll, wo dat wi von juw und den juwen werden averfallen, wedder alle recht und alle billigheidt, uns umme dat unse, welcher Gott uns hefft gegeben, tho nhemen und afhendig tho makende, gelick wo wi dachlikes mit unsen groten schaden erfaren, wo dar etliche von den juwen sint tho Gerwörden avergefallen und weggenamen, wat se dar hebben gefunden, dar wi idt nicht weren von vorwachten, und woll ermals von uns gut wedderfaren. Overst wi willen solches alle dem enigen richter befehlen, den wi ock vör unsen beschutter anropen. Der frouwen halven overst darve gi nicht twivelen, dat densulvigen jennige avermodt wert wedderfaren, den se werden fri gehalten und tractert, wo erlichen und framen Frouwen thobehöret. Overst dat wi se juw scholden fort averhenden, ist nicht in unser macht, den wi datsulvige unser weltlichen Avericheit dohen befelen, und willen ehn de sake negestkamenden dach vordragen. Den Gott weth, wo gerne wi frede wolden hebben und dat juwe nicht begeren, so idt so geschen möchte. Gott sy unse midler. Datum thom Delve 31.Maji anno 1559.

Dat Carspel thom Delve
und andere unsere landtlude.

101

Volquard Jonæ, i lejren under Åben.himmel, 20.juni 1559.

Om krigens tummel og Jonæ's bekymring for sin hustrus helbred. Ditmarskerne har underkastet sig og er på visse betingelser taget til nåde; de skal samme dag aflevere deres våben og sværge troskab og

lydighed. Gud har kæmpet for os! Jonæ vil behandle den ubarmhjertige mand fra Delve efter fortjeneste, hvis han træffer ham, og ellers sørge for, at han behandles sådan af de andre præster. Erik Hardenberg har været med i felttoget.

LXXXVI

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio, amico suo, S.D.

Hactenus ad te, dilecte frater, in tanto strepitu armatorum equitum ac peditum nihil scribere potui, non enim fui multis de causis apud me ipsum. Habebis itaque me excusatum. Vix credis, quam inquietam vitam hisce diebus egerim; accedit ad reliqua omnia morbus dilectissimæ conjugis diuturnus et molestus. Ditmarsii superstites et reliqui supplices facti sunt nostris principibus et certis condicionibus, iisque præter meritum tolerabilibus, in gratiam recepti sunt; hodierno die tradent omnia arma et munitiones, jurabunt quoque et promittent fidem et obedientiam sicut alii subditi. Benedictus sit Dominus Deus, qui pugnavit pro nobis; is quoque faxit, ut hostes debellati fidem et obedientiam præstent. Condiciones tibi revelabo, cum ad me veneris, et simul omnia acta in hoc bello narrabo; tum cognosces præsentiam Domini Dei etc. Non audeo condiciones ad te perscribere, cum paucissimis tantum notæ sint. Si incidero in illum immisericordem hominem, de quo scripsisti, tractabo ipsum pro merito suo, Delphensem istum puto; si non incidero, audiet tamen suo tempore et pro merito ab aliis piis pastoribus tractabitur. Nobilis tuus D. Hardenbergius hic in castris fuit et militavit et hinc cum Rege Itzehoam profectus est et fortassis quamprimum in Daniam se conferet. Scriberem ad te plura, sed non possum; strepitus militaris non fert. Vale et veni aliquando Sleswigam; tum exponam tibi vitam militarem. Scripsi in castris sub aperto coelo anno 1559 20. Junii.

102

Volquard Jonæ, Slesvig, 4. juli 1559.

Jonæ er kommet hjem fra militæret den 25. juni. Han er led og ked af livet ved hoffet og ønsker at få et embede ude i landet på et skønt og godt sted; han tænker på Garding, skønt man der har bedt om hr. Arnold (Muls, kapellanen). Men hvis Jonæ beder fyrsten om det, vil denne nok lade ham få embedet, da han har kaldsret.

LXXXVII

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio, amico suo summo, S.D.

Postquam Dei benignitate et clementia ex militia domum sum reversus, dilecte frater, de rebus meis sollicite cogitare et cum uxore deliberare coepi. Et nescio qui fiat, quod nunc animus meus adeo ab aula abhorreat et publica negotia fugiat et aversetur; tranquillitatem et ceteras commoditates ad colenda studia vehementer appeto. In tanto desiderio discedendi et tædio vitæ aulicæ existimo me bene victurum, si Dominus me ruri alicui ecclesiæ præficeret, modo locus paululum amoenus et ad tuendam valetudinem non inidoneus esset. Cogito etiam de vestra Eyderstedia, et quia Illustrissimus Princeps jus conferendi ecclesiam Gardingensem habet, statuo interdum apud me a Principe collationem petere et in festo Paschæ eo me conferre. Inter alias commoditates occurrit mihi etiam bonus vicinus Johannes Pistorius, cum quo sæpissime de multis conferre possem etc. Nihil tamen tentabo et faciam sine amicorum consilio. Ad te itaque mitto Mercurium et amanter oro, ut animi tui sententiam candide et libere mihi communi-

care velis. Gardingenses D. Arnoldum petierunt, sed responsum nondum acceperunt, nec petitio eorum Principi significata est. Mihi vero, sat scio, si petiero, non denegabitur. Consilium tuum hac in re imprimis expeto. Vixisti nunc per annum in vicinia et aërem expertus es. Si tibi arridet meum consilium vel propositum et Dominus det successum, sæpe conveniemus, conjunctissime et amice una vivemus et de studiis nostris conferemus. Vale. Scripsi Sleswici anno 59 die 4. Julii; die autem 25. Junii ex militia domum reversus sum.

103

Volquard Jonæ, Slesvig, 17. juli 1559.

Jonæ's sag står godt; (Henrik) Rantzau har før rådet fra, nu råder han til. Hvis Gardingenserne har betænkeligheder, vover de ikke at komme frem med dem.

LXXXVIII

Volquardus Jonæ suo Johanni Pistorio S.D.

Brevi, volente Deo, te visitabo; idcirco nunc paucis scribam. Negotium meum, Deo sit gratia, utcunque feliciter succidit. D. Rantзовius sicut antehac dehortatus est, ita nunc adhortatur, sicut coram tibi narrabo. Princeps etiam consentiet propter certas causas. Gardingenses fortassis non metuent, quod tu scribis. Si metuunt, non audebunt proferre. Hæc te scire volui. Vale, et saluta conjugem. Scripsi Sleswici anno 59 die 17. Julii.

Rogo, ut causam meam Deo in precibus tuis commendes. Mirabilia tibi narrabo, cum ad te venero.

104

Hermann Smidt fra Husum, Wittenberg, 1. august 1559.

H.S. sender Pistorius Historien om Susanna i sapphiske vers; han har tilegnet det kurfyrst August af Sachsen og efter Melanchthons tilskyndelse ladet det trykke i 50 eksemplarer til sin hjemby og andre venner. Han har hørt, at hertug Adolf var blevet lettere såret i felttoget, og vil gerne have nærmere oplysninger om det.

(Andet hundrede) 9

Hermannus Smidtt Husensis d. Johanni Pistorio S.D.

Mitto tibi, doctissime vir, Historiam Susannæ breviter Sapphico carmine a me scriptam, dedicatam Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Augusto Duci Saxonie Electori, quam gratam tibi fore non dubito. Certis enim de causis hoc scriptum edere coactus fui. Scis condicionem meam. Nam sum commendatus a Principe nostro Præceptori reverendo D. Philippo Melanthoni, qui voluit, ut hanc historiam typis mandarem. Nec publice est edita, sed tantum 50 exemplaria imprimere jussi, quæ in patriam et ad alios amicos mitterem. Quare tibi unum exemplar mitto et rogo, ut æqui bonique consulas hoc levidense munusculum, et si quid inest minus jucundum sive inconveniens materiæ, id ætati meæ ascribas velim. Te rogo, ut quamprimum mihi rescribas, quid agatur in castris principum nostrorum contra Ditmarsos. Audio enim principem nostrum Ducem Adolphum vulneratum esse, sed vulnere non letali; de hoc quæso, ut certio rem me facias. His bene vale. Saluta meo nomine uxorem tuam. Iterum vale. Datæ Vitebergæ. Cum rursus scripsero, versus mittam. 1. die Augusti anno 1559.

Volquard Jons, Slesvig, 12. september 1559.

Jons håber før Mikkelsdag at blive fri for trældommen (ved hoffet) og 'komme til jer' (d.v.s. Garding). Han sender brevet med David, søn af superintendenten i Greifswald, en baccalaureus theologiae, som havde været i Livland, af Jons tiltænkt Osterhever som kapellan. Han har også tænkt på at sende ham som hjælpepræst til Arnold (Muls), da han selv næppe kommer til Garding før begyndelsen af fastetiden; han er bange for, at han ikke kan få midlertidig hjælp af præsterne i Tetenbüll og Osterhever, og beder om Pistorius' råd.

LXXXIX

Volquardus Jons Johanni Pistorio, summo suo amico, S.D.

Si vales, dilecte frater, cum suavissima conjuge, gaudeo et tibi gratulor; ego cum mea utcunque, Deo sit gratia, valeo. Spero etiam me ante festum Michäëlis ad vos venturum et liberationem a durissima et molestissima servitute impetraturum, quod magno desiderio jam alicuandiu desideravi. Tu interim, dilectissime frater, precare Deum, ut viam meam sibi commendatam habeat atque omnes conatus et actiones meas ad gloriam sui nominis dirigat. Amen. Hic David, baccalaureus theologiae, superintendentis Grifswaldensis filius, ad me venit concuerens de rebus suis sic satis afflictis. Fuit aliquandiu in Livonia apud magistrum Teutonici ordinis, vulgo dem Herrmeister; tandem captus fuit a Ruthenis. Post diuturnam captivitatem liberatus ad nos appulit quærens fratrem suum in his locis; parentes accedere vix audet, eo quod ipsis invitis in Livoniam se contulerit. Ego hominem ablegavi ad Osterheveranos, qui me de sacellano ad eos mittendo sollicitarunt. Peto, ut ipsum tuo consilio juves. Si Osterheverani sacellanus habent, non est consultum, ut ipsos accedat. Ego quidem cogitaram et constitueram fere ipsum mittere ad D. Arnoldum, ut collaboratorem haberet (metuo enim me ante festum Bacchanaliorum non posse eo venire), sed nescio, an sit consultum propter certas causas. Uxori magis placet, ut opera ministrorum ecclesiarum in Tetenbüll et Osterhever utar. Metuo autem id fieri posse. Peto obnix, ut mihi quamprimum per literas consilium tuum indicare velis; tu novisti melius, quid in hac re fieri possit in istis locis, quam ego. Si consultum videtur hunc retinere, remitte hominem ad me. Princeps, cum ex Eyderstedia domum redieram, jam in Daniam abierat, a reditu tantum uno die Gottorpii fuit. Hinc evenit, quod Gardingenses nondum responsum habeant; cras revertetur, Deo volente, tum curabo, ut significetur ipsis, quem in pastorem habere debeant. Vale, dilecte frater, cum uxore dilecta. Scripsi Sleswici anno 59 die 12. Septembris.

106

Samme, Slesvig, 21. september 1559.

Jons har fået sin afsked bevilget, under visse betingelser. Fyrstens skrivelse er sendt til Garding, og Pistorius bedes om at være til stede der, når den oplæses. Han vil gerne vide, om man i Garding ønsker ham som sognepræst. Hans efterfølger i Slesvig bliver kapellanen Johannes Schaffenicht, en god mand, men forhadet af kannikerne, hvis jurisdiktion Jons er blevet fri for. Han beder om Pistorius' råd angående varetagelsen af sognepræsteembedet i Garding en del af vinteren. Han tænker på at engagere en mand til sygebesøg og bede Pistorius og hans kollega Egidius* om at tage sig af gudstjenesterne.

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio, amico suo summo, S.D.

Quod felix et faustum sit ecclesiæ Dei, mihi et meis salutare, ab Illustrissimo et clementissimo Principe et Domino meo veniam et libertatem discedendi nactus sum, certis tamen condicionibus, quæ mihi magis indicio sunt singularis clementiæ quam gravamini. Idem tu, carissime frater, cognosces et affirmabis, cum tibi diploma meum monstravero. Mitto Gardingensibus Illustrissimi Principis literas et neas; si non molestum esset, peterem a te, ut Gardingæ in coemeterio præsens esses, quando parochianis præleguntur, id quod fiet proxima die Dominica. Summa mearum literarum hæc fere est: Significo parochianis responsum Principis ad petitionem de pastore et dico me nihil dubitare, quin Principi libenter sint obtemperaturi, tamen petere, ut quamprimum mihi significant, num etiam ex animo me in pastorem expetant; me enim non velle ipsis invitis eo venire et degere ibi, cum fructu etiam docere non posse etc. Quid responsuri sint, videbimus. Ego promitto etiam in literis omnia bona, ut sic animos eorum mihi devinciam. Successorem habiturus sum sacellanum Slesvicensem D. Johannem Schaffenicht, canonicis valde invisum, alioqui hominem bonum. Canonici in me in posterum nihil movere possunt. Exemptus enim sum singulari privilegio ex ipsorum jurisdictione et cujuscunque alterius: sisti tantum oportet, si opus fuerit, ad tribunal Illustrissimi Principis et consiliariorum. Spero nunc occasionem et oportunitatem mihi datam liberius Deo serviendi et studia colendi, quæ hactenus sane multum neglecta sunt. Hæc tibi, dilectissime frater, scribere volui, cum te meis rebus æque ac tuis sollicitum esse sciam. Consilio tuo porro opus habeo, de administratione videlicet officii aliqua parte hiemis. Oportet enim me hic manere fere ad tempus Bacchanaliorum. Constitui aliquem conducere, qui ægrotos visitet, et te et collegam tuum D. Egidium* ut interdum contionem ibi habere velitis. An vero hoc meum institutum consultum sit, et quid tibi de eo videatur, cognoscere ex te cupio. Ideo peto, ut quamprimum, quid hic sentias, aperias mihi. Vale et rescribe ut primum poteris. Scripsi Sleswici die Matthæi anno 59.

* Hvem er denne Egidius? Iflg. Arends er kapellanen i Tetenbüll 1559 ukendt, og Egidius a Meldert har været kapellan der ca. 1564-76 (cf. brev nr. 213 af 19.februar 1577, hvori han siger, at han har været Pistorius' kapellan i henved 13 år, og man får indtryk af, at dette brev ikke er skrevet mange år efter hans afsked fra embedet i Tetenbüll). Har Pistorius i 1559 haft en kapellan, som også hed Egidius, eller passer årstallene hos Arends ikke, eller har afskriveren fejlagtigt sat Egidius' navn ind her? Men se nr. 153, 181, 189, 200.

Hans Laugesen, Ribe, 25.september 1559.

Laugesen klager over kannikerne i Ribe, som har frataget ham 16 tønder korn, efter at han også har fået overdraget varetagelsen af et præsteembede i nærheden (Vester Vedsted). Han har været i København i anledning af kong Frederiks kroning og der hørt om Pistorius' ægteskab, som han ønsker ham til lykke med. Laugesen håber at træffe kongen, når denne snart kommer til Flensborg, og at kunne forelægge ham den skade, kannikerne har forvoldt ham; han ønsker, at Pistorius også kommer derhen og har noget med om togtet mod Ditmarsken.

M. Johannes Lagoni Ripensis Johanni Pistorio, amico suo, S.D.

Sæpius quæsi vi occasionem ad te scribendi post tuum a nobis discessum, clarissime Domine Johannes, verum hactenus nunquam exinde contingere potuit propter tabellariorum penuriam, sed ecce nunc, cum certus nuntius sese mihi offert, magis variis negotiis obruor, quam vellem, ut quid scribere, aut unde incipiam, hæreo. Non potui tamen intermittere, quin aliquid ad te literarum darem, ut intelligeres me (quem scio te in numero amicorum tuorum habere) mediocri adhuc uti valetudine, etsi magna injuria canonicorum hic premerer et fere opprimerer. Cum enim regia liberalitate huic officio (quo hoc fungor tempore) parochia quædam assignata esset, quæ in vicinia sita est, ubi etiam mihi ministrandum, sedecim tonnis frumenti, quas hactenus ab anno 46 habuit meus antecessor pro stipendio, eo me privarunt. Talis est rerum mearum status hoc tempore, quem optarem in alium mutari. De te autem, mi carissime Johannes, cum proxime Haffniæ in coronatione Regis Friderici essem, a M. Paulo Noviomago audivi te honestissimam et pudicissimam virginem in uxorem duxisse, quod ut tibi felix et faustum sit, Deum ex animo precor. Eternus Deus, auctor conjugalis foederis, faciat, ut conjugium vestrum sit felix ac salutare, et ut sit ecclesiola, in qua Deus vere agnoscatur et celebretur. Amen. Quod autem, carissime D. Johannes, me non fecisti hujus tui honoris et gaudii participem, demiror. Equidem hic amicitia et mutua nostræ necessitudinis leges non servasti. Et ea de re, cum mutua possit esse inter nos sermonis societas, latius agemus, quod fieri posse cito spero. Audimus enim Regem propediem et intra paucos dies venturum Flensburgum; eo decrevi me conferre, expositurus Regiæ Majestati injuriam hanc, quam a canonicis patior, quo ut tu venias te maximopere oro. Erit mihi tuum colloquium et intuitus omnium jucundissimus. Ad hæc non dubito, quin aliquid editum sit et habeas apud te de principum nostrorum expeditione et victoria de Ditmarsis; id ut mihi legendum communices et tecum adferas, peto et cupide desidero. Oro Filium Dei, ut te diu incolumem cum carissima conjugue tua conservet. Amen. Datæ Ripis anno 59 die 25. Septembris.

108

Albert Meyer, Lindholm, 1. november 1559.

A. M. bedyrer sin dybe sorg over tabet af sin uforglemmelige hustru (se brev 97) og giver grunde, hvorfor han har besluttet sig til at indgå nyt ægteskab med Catharina, datter af Frederik Johansen. Brylluppet skal finde sted i Lindholm den 12. november, under en lykkebringende position af månen og Venus, og Pistorius med ægtefælle indbydes til det.

XCII

M. Albertus Major Johanni Pistorio, amico suo integerrimo, S.D.

Quantum, quam grave quamque acerbum vulnus animo meo illatum sit (quod non sine lacrimis recolo) ob mortem dilectissimæ jucundissimæque uxoris meæ Cæciliæ, piæ memoriæ, foeminæ honestissimæ, prudentissimæ, probissimæ pientissimæque, Johannes suavissime, Deus καρδιογνώστης novit, et haud obscure ex studio erga illam meo æstimasse te conjicio, cum vivente illa multoties nos inviseris ac quotidianam domesticam vitæ nostræ consuetudinem videris. Atque etiamnum animi dubius, an ullo illud unquam decursu temporis (quod alioqui ægritudines vel

maximas abolere, nedum mitigare consuevisse memorant) adeo etiamnum recrudescente dolore coalescere possit, hæreo. Certe nec futuri nuptialis gaudii recens promissio, nec imminens restituendæ lætitiæ expectatio præteritarum lacrimarum recordationem præsentiaque suspiria continuumque irremissum ac semper quasi ob oculos positum doloris sensum (quem mihi et suavissima conjugis pietas et vera ardentissimaque mea erga illam dilectio exprimunt) frangere, nedum tollere posse videntur. Proinde ne cicatrix tantæ plagæ, alta mente repostæ, æternum resideat vereor, quam, etiamsi omnes residuos fugacis vitæ meæ (quos Deus optimus maximus clementer dispenset) dies cælebs transigerem, exteri tamen abolerive minime posse confido. Et quamvis optimæ mulieris tum virtus et meritum, tum sincerus meus erga illam amor (quo illam vere et tenere dilexi) mandare mihi videantur, ut non tantum, pro, complusculos annos secundas differrem nuptias, sed totam ætatem mærens palumborum exemplo castæ contoralis nomine casto cælibatui me devoverem ad testandum verum meum erga illam amorem, nam, ut est in proverbio, vere dolet, qui sine teste dolet, tamen cum nominis honesti famæque bonæ (quam juvenem cælibem tueri vix licet, perversique garruli ac suspicaces non sinunt) retinendæ votum stimulet (siquidem parum, ut ille inquit, qui distare videntur, suspectus vereque reus), rerum domesticarum (segnius hactenus minusque frugaliter a me utpote ejus rei imperitissimo administratarum et prope modum naufragium minitantium) ratio cogat studiorumque meorum plurimum abinde, proh dolor, turbatorum (et tantum non intermissorum) innata cupiditas trahat officiique laboriosi cura me domo (servarum interea, sine fidelis oconomæ matrisve familias moderamine, vel negligentia vel imperitiæ dispensationi et nullorum non infidelitati exposita) sæpenumero advocatum urgeat, conjugalis etiam consuetudinis (quæ quotidiana atque domestica quasi contio est efficaxque insinuatio dulcissimi illius amoris artissimique foederis, quod est inter Christum sponsum sponsamque ecclesiam) jucunditas invitet, parentum quoque amicorumque auctoritas persuadeat, nec non aliæ (nulli pio Christianoque refutandæ) causæ pernecessariæ moveant, ut aliam volens nolens querere debeam tori conjugalis fidelem sociam, ærumnarum laborumque meorum participem, quæ non dolorem tam pridem contractum frangat, tristitiam discutiat, mæstum soletur, quam quæ partem oneris oeconomici tollat, me liberosque relictos foveat, curas domesticas leniat molestiasque familiares solvat, ut expeditius Christo, ecclesiæ auditoribusque meis servire liberiusque liberalibus studiis (quæ curis, ut nosti, vacuum requirunt animum) vacare salvaque conscientia pie, utiliter atque honeste Deo mundoque vivere valeam, utque tandem ora maledicorum atque obtrectatorum, omni sinistræ suspicionis ansa præcisa, obturem. Quare cum ardentibus precibus Deum, patrem misericordiarum, verum consolatorem donatoremque tanti tam utilis tamque necessarii boni, etiam atque etiam oraverim, ut mihi hiulcum illud cordis mei vulnus suppleat costamque meam lateri meo restituat, quacum ut ante amanter, honeste, pie et in summa concordia, quod reliquum est brevis hujus vitæ, secundum voluntatem ejus transigam, divino beneficio singularique Dei providentia atque fatali quasi decreto mea mihi costa commonstrata est desponsataque in nomine Jesu Christi honesta virgo Catharina, filia Friderici Johannis, cordati, honesti, prudentis atque spectati apud nos viri, cujus præclara virtus, fortitudo atque industria in proximo bello Dithmariensi (in quo præfectum castrametantium egit) maxima cum laude admirationeque (etiam principibus, quibus munitionem Hammam dictam aperuit, testibus) emicuit. Ipsa vero puella de familia magna atque honesta, oeconomicæ

rei apprime perita etc. Nuptias igitur nostras (quod felix, faustum auspiciatunque sit) hic Lintholmii celebrare (temporis injuria ulterio- rem procrastinationem non dispensante) constitutum est Dominica pro- xima post Martini, Trinitatis vero vigesima quinta, qui dies est Novembris duodecimus, Luna Venereque felicissime (si quid et hoc ad rem facit) in benigna radiatione beneficarum a Deo beneficentissimo ordinatione. Verum cum honesta piaque consuetudo passim obtinuit, ut matrimonialem tori conjunctionem præcedat publica consecratio piorum- que simul atque honestorum hominum congratulatio, te, vir humanissime atque amice integerrime, majorem in modum tam meo quam sponsæ dilec- tissimæ nomine oro, ut sacras illas ceremonias ipsasque adeo nuptias tua uxorisque tuæ honestissimæ dilectissimæque præsentia exoptatis- sima gratissimæque cohonestare digneris atque nobiscum invocare Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut in hoc vitæ statu sanctissimo, quem ipse sanxit, nos regat, benedicat et fortunet Spirituque suo Sancto consecret, ut fiamus organa salutaria Dei vasaque misericordiæ suæ etc. Quod si hoc nobis officio gratificari dignatus fueris, doctissime humanissimeque Domine Johannes, frater carissime (ut prorsus mihi de te persuadeo), feceris Deo ipsi, connubiorum auctori, rem sine dubio non ingratham, mihi vero sponsæque meæ rem longe gra- tissimam meque multis tibi antea nominibus devinctum meosque omnes hoc beneficii genere perpetuo reddideris devinctissimos. Bene et feliciter vale cum uxore dilectissima. Datæ Lintholmii anno restitutæ salutis 1559 die Omnium Sanctorum.

109

Peter Harring fra Hatsted, Wittenberg, 31. marts 1560.

Beklagelse af svigtende brevveksling, men forsikring om varigt ven- skab. Pistorius skal ikke komme til at fortryde sin godhed mod ham.

XCIII

Petrus Harringus Hatstedius d. Johanni Pistorio,
eruditione et virtute præstanti suo amico carissimo, S.D.

Quod nunquam per literas colloquimur, mi d. Johannes, non video, cur non uterque merito culpari possimus, cum quod in humanioribus studiis et in sacris literis versantibus nunquam non aliquid occurrere possit, quod occasionem vel argumentum scribendi præbeat, tum quod Aristote- licum 'πολλὰς φίλτας ἢ ἀπροσηγορία διέλυσεν' nos a tam diuturno silentio dehortari debuisset. Neque enim unquam memoriam initæ inter nos amicitia deponere debemus, nisi tam sinistre judicare velimus, ut novas amicitias veteribus anteserendas statuamus aut veteribus rejectis semper novos amicos faciendos arbitremur. Ego vero non dubito, quin tu æque atque ego nihil minus animum inducendum putes, quam mutuam nostram amicitiam unquam posse intermori. Quantuluncun- que sane in me est, id tibi omne, mi Johannes, semper cupio esse para- tissimum, atque offero tibi meum studium et operam in rebus omnibus, et quæ te velle quæque ad te pertinere intellexero, semper faciam fide et diligentia singulari. Nec committam unquam, ut te tui erga me amoris et benevolentia pæniteat, sed sancte inviolateque nostram amicitiam perpetuo colam, quodque hactenus intermissum est, seduli- tate scribendi, si responderis, compensabo. Vale. Witebergæ pridie Calendas Aprilis anno Christi 1560.

Muneris chartacei non ponderabis levitatem, sed animum mittentis respicias. Quando mihi scribes, dabis tuas literas M. Johanni Hamero.

Volquard Jonæ, London, 24.maj 1560.

Efter at Jonæ i et tidligere brev havde meddelt, at han ikke kunde komme til Garding til den fastsatte tid på grund af en forestående rejse til England med hertugen, skriver han nu fra London, beskriver sørejsen fra Husum via Holland, ankomsten og modtagelsen i Gravesend og i London og nævner i en efterskrift herlige gaver fra dronningen (Elisabeth) og Zwinglianernes overvægt i England.

XCIIII

Volquardus Jonæ Johanni Pistorio, amico suo singulari.

S. per Jesum Christum. Ante nostram profectionem, dilectissime frater, tibi paucis indicavi, ob quam [causam] constituto tempore Gardingam venire non possem, videlicet quod cum Principe Illustrissimo mihi proficiscendum esset, locum vero non annotavi, quia id nobis prohibitum erat etc. Quia vero nunc procul dubio quomodo mecum agatur scire expetis, scribendum tibi esse duxi. Ego cum magno numero nobilium navem ingressus sum Husiæ die 28. Februarii, et cum vela fecissemus, trajecimus mare et venimus secundo vento in Hollandiam, per quam vitandi periculi causa navigavimus, et conspeximus in itinere pulcherrimas civitates, quas tibi, Deo volente, aliquando nominabo. Ex Hollandia venimus in Selandiam, fertilissimam terram, in civitatem Vlissingen; in ea expectavimus Illustrissimum Principem, qui cum consiliariis suis et nonnullis nobilibus aliud ingressus fuerat iter. In hac eadem civitate audivi et vidi monachos contionantes et missam celebrantes. Cognovi quoque, sicuti et in nonnullis aliis civitatibus, maximam vulgi partem papisticam religionem, ritus et superstitionem deridere et habere despectui. Die 15. Martii, cum venisset ad nos nobilis quidam a Principe et certiores nos de voluntate suæ Celsitudinis fecisset, solvimus ancoram post occasum Solis et navigavimus per totam noctem; sequenti die appulimus mane ad terram Angliæ. Die 17. Martii venimus in vicum quendam nomine Grevesende, situm ad Thamesin flumen; in eo expectavimus Illustrissimum Principem, qui tandem 27. Martii ad nos venit comitatus cum magna turba nobilium Anglicorum, qui Celsitudinem suam, cum navem egressus esset, honorificentissime exceperunt. Die 29. Princeps, consiliarii, nobiles et omnes ministri rursus ingressi sunt naves, quas pridie Regina miserat, et sic parvo temporis spatio venimus Londinum, quod distat a Grevesende sex vel septem miliaribus. Cum eo venissemus, Princeps exceptus est a comite quodam et deductus in palatium splendidissime exornatum. En habes, carissime frater, paucis totam nostram profectionem, quæ quidem mihi jucundissima fuisset, nisi adversa valetudo dilectissimæ conjugis animo meo obversaretur meque anxium et sollicitum redderet. Vereor, ne misera illa nimium se propter meam absentiam cruciet et affligat, ideo mærore contabescat et forte extingatur. Peto, ut illam tibi in precibus tuis ad Deum commendatam habeas et occasione data ipsi scribas eamque consoleris. Si id feceris, rem mihi et illi gratissimam, quod sat scio, facies, et ad omnia vicissim me promptum et facilem habebis. Vale cum dilecta conjugē, quam ex me cum reliquis amicis salutabis. Scripsi Londini in Anglia 24. Maji anno 60.

Cum rursus certum nuntium nactus fuero, scribam plura et inter alia de præclaris dotibus Regiæ Angliæ. Zwingliani habent in hoc regno superiores partes; omnia altaria destructa sunt, imagines quoque e templis ejectæ.

Johannes Holmann, uden sted og dato.

Holmann anmelder på vers sit besøg. I en notits under digtet oplyser Pistorius, at gensynet efter 12 års forløb fandt sted 5.juli 1560.

XCV

Johannes Holmannus Nisus Johanni Pistorio Euryalo suo S.D.

Emensus venio bis septem milia, vultus,
 Pistori, ut videam, frater amande, tuos,
 et quam junxisti casto tibi foedere lecti,
 et prolem, forsan qua domus aucta tibi est.
 Si dubitas, quis longinquis venit hospes ab oris,
 non dubito Nisi te meminisse tui;
 Euryalum qui te constanti semper amore
 diligit, hic præsens cognitus hospes adest.
 Cras ubi Phoebēos rutilans aurora jugales
 adducet, patrios rursus adibo lares.
 Si placet, interea veteres renovemus amores,
 duret ut æterno tempore coeptus amor.

Hos versus D. Holmannus ad me e coemeterio misit, antequam domum meam comitatus cum reverendo viro Domino Johanne Roselappio, pastore Buxtehudensi, ingrederetur, ita domo me ad se evocans. Ego igitur ad ipsum egressus in coemeterio Tetenbullensi nos excepimus amplexantes et osculantes mutuo hilares ut qui annis 12 non videramus nos. Anno 1560 die 5.Julii.

Jacob Hoyer, Wittenberg, 13.oktober 1560.

J.H., Pistorius' hustrus brodersøn, meddeler, at Victorinus Strigel, som havde været i fængsel, var blevet løsladt, men endnu ikke genindsat i sin tidligere stilling, i 14 dage har disputeret med Flacius, men udfaldet er endnu usikkert. Der loves nærmere meddelelse.

XCVI

Jacobus Hoyer domino Johanni Pistorio,
 affini et amico suo carissimo, S.D.

Audivisti sine dubio, carissime Johannes, amice singularis, de Domino Victorino Strigelio, viro pietate et eruditione excellenti, qui ante annum Flacio Illyrico auctore et impulsore æmulo quodam studio abductus et carcere retentus, deinde divino auxilio liberatus, sed nondum in pristinum locum restitutus est, nunc autem (laus Deo) ad defensionem et disputationem admissus. Disputarunt igitur Victorinus et Illyricus dies 14, scitur quidem de qua materia seu re, sed ante exitum nihil certi potest scribi; rumor est inconstans. Alii enim Illyricum cum omnibus suis succubuisse referunt, quod facile hic creditur, quia ita cupimus. Alii adhuc ipsos disputare et disputationem ad finem non posse perducere in 14 dies narrant, quod si ita est, ego, volente Deo, cum conterraneis et multis aliis, qui eo se conferunt, proficiscar etiam eo. Tu, quicquid accepero, habebis. His vale feliciter cum uxore carissima, mea amita. Data Witebergæ anno 60, 13.Octobris.

Hans Laugesen, Ribe, 30. januar 1561.

En Husumborger Hermann, som er kommet til (Vester)Vedsted, og hvis skib bliver der hele vinteren, har fortalt Laugesen om Pistorius og hans embede, som han ønsker Pistorius til lykke med. Meddelelse om Hans Tausens død; hans efterfølger bliver Poul Madsen. Hans Thomissøn er blevet sognepræst ved Frue Kirke i København og er den 16. november blevet gift der; faderen, Thomas (Knudsen), var med til brylluppet. Christian Lange er ved hoffet og har sidste sommer fået et kannikedømme i Ribe. Selv har Laugesen det som hidtil. Han beder Pistorius om at lade høre fra sig og låne ham, hvad han har af Johannes Machabæus' forelæsninger om Romerbrevet, Johannesevangeliet og Melanchthons Loci. Han glæder sig over Pistorius' notater til Den augsburgske Konfession. Hilsener, også fra M. Thomas (Knudsen) og Johannes Canuti (Jens Knudsen Holm).

XCVII

M. Johannes Lagonis, lector sacræ theologiæ in ecclesia Ripensi,
domino Johanni Pistorio, amico suo singulari, S.D.

Appulit huc Hermannus hic, civis Husensis, et quidem ad oras nostras Vedstedianas, vir reverende et amice dilectissime, quare contuli cum ipso de te et ecclesiæ tuæ condicione ac loco. Ideo me continere non potui, quin, cum hunc nuntium haberem, paucis ad te scriberem, quo, quomodo res nostræ sese haberent, scires. Gratulor autem tibi locum istum tam commodum tamque fertilem (ut hic Hermannus mihi narravit). Et Deum oro, ut te diu servet sanum et incolumem. Res nostræ tristi in statu hic sunt. Nam anno superiore ipso die S. Martini mane ex hac vita discessit reverendus et carissimus meus socer M. Johannes Tausanus, translatus in coelestem et æternam vitam, ubi nunc fruitur conspectu et consuetudine Filii Dei, s. angelorum et piorum. Quare propter ipsius obitum et orbitatem nostram ecclesiæ nostræ in magno nunc sunt luctu. Oramus autem Filium Dei sedentem ad æterni Patris dextram et dona, ut salutare organon in locum defuncti episcopi nobis donet. Quare communi suffragio præsidis nostri Domini Nicolai Langhii, canonicorum et ministrorum ecclesiæ ac oppidanorum sive civium electus est in locum defuncti M. Paulus Matthiæ, quocum tibi ante annos aliquot Haffniæ et sub communi privato præceptore D. Nicolao Hemmingio magna fuit familiaritas, quique gener nunc est reverendi et clarissimi viri D. magistri Pauli Noviomagi, Regii Concionatoris. Et quia hic M. Paulus Matthiæ hactenus Haffniæ egit professorem dialecticæ in academia, missi sunt ad eum vocandum M. Laurentius Thomæ, pastor Coldingensis, et Dominus Nicolaus Bockius, pastor ecclesiæ Wiellanæ, tibi etiam optime notus, quorum reditum quotidie expectamus. M. Johannes Thomæ (etiam familiaris tuus) postquam scholæ nostræ administrationem reliquisset, Haffniam se contulit et ibi ad munus docendi evangelii in supremo templo susceptus est, ac 16. Novembris anni superioris nuptiæ ipsius celebratæ sunt Haffniæ, quibus pater ipsius M. Thomas (quem etiam nosti) hinc eo proficiscens interfuit. Dominus Christianus Langhii (etiam familiaris tuus et Witebergæ et in Gallia Lutetiæ) hoc tempore in aula commoratur, et superiore ætate canonicatum hic obtinuit. Mæx res in solito statu sunt, ita ut de me dici posset illud vulgare: Johannes in eodem. Sed in pia patientia perduro, expectans a Deo auxilium et solatium. Talis est nunc rerum status apud nos, amice et frater dilectissime, quem

volui paucis tibi significare. Nunc vero vicissim te oro ob antiquam et sinceram nostram necessitudinem, ut paucis etiam tuarum rerum statum mihi aperias, cum hic idem nuntius ad nos sit rediturus. Nam navis ipsius hic apud nos per hiëmem hanc in statione erit. Et simul amanter te oro, ut simul cum hoc nuntio ad me mittas, quæ Haffniæ sub D.D. Johanne Machabæo excepisti et collegisti in epistolam Pauli ad Romanos, in Johannem evangelistam et in Locos communes Domini Præceptoris Philippi sanctæ memoriæ ac eorum mihi copiam facias per aliquot dies. Promitto bona fide me restitutum omnia salva et quidem mecum allaturum ad proximum mercatum Tunderensem. Si quid apud me est, quod cupis, id libere exige et impera; officium meum et promptitudinem semper tibi polliceor. Ego sæpius aspiciens manum tuam in libro Augustanæ Confessionis et de tuo candore et benevolentia erga me cogitans nunquam tua in me beneficia oblivisci possum, quæ et Haffniæ et Witebergæ mihi præstitisti. Vale ergo his, frater amantissime. Dominus Deus propter Filium suum servet te prosperum. Ripis 30. Januarii anno 61. Saluta conjugem tuam meis verbis. Volente Deo ad futurum festum Pentecostes te invisam. M. Thomas, M. Johannes Canuti et Andreas Barsbullius, qui hisce diebus hic apud me fuit, amanter te salutant. Iterum vale, amicorum optime.

114

Georg Selmer, Ostenfeld, 7. februar 1561.

Selmer anbefaler brevbæreren Matthias til Pistorius som hans afdøde degns efterfølger. Manden kan ikke latin, men synger godt på tysk.

XCIX

Georgius Selmerus, pastor in Ostenfeldt, Johanni Pistorio, amico suo.

Gratia et pax a Domino nostro Jesu Christo. Præsens Matthias certiorum me fecit tuum ædituum in coelestem migrasse patriam ideoque vacare apud te æditui locum, quem prædictus petit. Quia autem tibi ignotus est, rogavit me, ut per me notus tibi redderetur. Ego ut petitioni ejus satisfacerem, recusare honeste non potui, propterea quod in illis, [quæ] æditui sunt, diligentem et morigerum sese mihi præbuit, imo valde obsequentem et officiosum, ita ut vix sperem me posse habere sui similem. Latine non novit; Germanicas cantiones, quæ hic canuntur, bene et concorditer mecum canere potest. Tu ipse cum eo experiri potes, quantum sciat et possit. Poteris etiam illo uti in aliis rebus et negotiis tuis; mihi hic et aliis utilem operam præstitit. Si autem in dubium vocari posset, quod eum apud me ad hoc usque tempus non retinuerim, hujus causam coram tibi exponam aliquando. Si potes illum juvare, oro ut id facias; non te pænitebit, experieris esse hominem bonum et frugi. Si locum apud te vel alibi ibi habere non poterit, decrevi eum, quamprimum ille, quem nunc habeo, discesserit (habet in animo hinc discedere), ad me recipere. Vale feliciter cum conjugate et omnibus tuis. Data in Ostenfeldt anno 61 die Veneris post Purificationis Mariæ.

115

Cornelius ab Hamsfort, Kolding, 24. juli 1561.

Kongen har bestemt, at Hamsforts datter Magdalenas bryllup med Hieronymus Thenner skal finde sted i København den 24. august, og Pistorius med hustru, moder og søstre indbydes til brylluppet.

Cornelius ab Hammesfort, Medicinæ Doctor et Regis Daniæ Medicus,
D. Johanni Pistorio, pietate et doctrina præstanti amico suo
singulari, S.D.

Salutem et pacem in Domino Jesu, optime et doctissime Domine Johannes, Illustrissimus Rex Daniæ, Dominus noster clementissimus, nuptiis inter Doctorem Hieronymum Thennerum, ministrum et consiliarium suæ Majestatis, et filiam meam Magdalenam Haffniæ celebrandis constituit Divi Bartholomæi diem, qui erit mensis Augusti subsequens 24; ea res primum omnium ut ad divini nominis honorem illisque feliciter eveniat, deinde præsentia tua aliorumque præcellentium virorum ornetur, vehementer cupio. Ideo cum mihi de tua propensissima in me meosque voluntate plurimum pollicear, rogo te obnixè, ut in honorem omnium nostrum memorato loco et tempore una cum tua dilectissima uxore, matre et sororibus nostris istis nuptiis adesse easdemque hilariore consuetudine cum pluribus aliis condecorare velis; id magni officii loco existimabo daboque operam, ut in simili aut majori officiorum genere tibi aut tuis gratificer. Vale feliciter. Ex Coldinga anno 61 die 24. Julii.

Tuus Cornelius ab Hammesfort.

116

Jacob Hoyer, Frankfurt a.d.Oder, 11. januar 1562.

Om J.H.s skrøbelige helbred og hans velynder Gyreys død. Ved universitetet er Gottschalk Prætorius, som forelæser og underviser flittigt, den eneste, der holder på de teologiske og filosofiske studenter; de andre professorer forelæser sjældent eller aldrig. Musculus er misundelig på Prætorius. Ved det juridiske fakultet er dr. Schrader en udmærket mand. Der er ganske vist også andre lærde mænd, især dr. Johannes a Borcken fra Bremen, men denne og de øvrige professorer holder ikke offentlige forelæsninger, ja, end ikke private. Hilsen, også fra Caspar Hoyer.

C

Jacobus Hoyer domino Johanni Pistorio, affini et amico suo, S.D.

Licet nullum habeam argumentum scribendi, carissime d. Johannes, tamen cum hactenus rarius ad te scripserim, ne videar oblivione tui scribendi officium suspendisse, non potui non facere, quin nunc has ad te literas darem. Omnino autem existimes, quum vere et ex animo te amem sæpiusque te in ore habeam et de te Dominus Casparus Hoyer et ego loquamur, quod non oblivione tui factum sit, quod rarius hactenus ad te scripserim. Argumentum etiam scribendi mihi non est oblatum tale, quale volui. Tum etiam toto fere tempore, quo hic fui, adversa valetudine laboravi et quidem sæpius adeo, ut vivere me tæduerit. Quæ igitur voluntas, studium et diligentia scribendi et amicos salutandi literis in me esse potuit? Sed nunc per gratiam Dei meliora spero Deumque daturum propediem finem calamitatum mearum. Sed quid fit? Dum hac spe pascar et sustenter, nova calamitas mihi emergit et oboritur, nuntium videlicet de obitu Domini Johannis Gyrey, viri præstantissimi multisque virtutibus ornatissimi, qui me non aliter, ac si filius ipsius fuisset, dilexit, qui ipse doctus doctos omnes maxime amavit et coluit, qui studiosos, et imprimis tenuioris fortunæ, juvit, promovit et quantumcunque potuit eis benefecit, qui parentibus meis carissimis ante alios fuit semper amicus intimus et

fidelissimus, ideoque vel ipsorum nomine mortem eximii viri lugeo et in errore sum maximo. Sed in voluntate Dei nobis acquiescendum est et ferendum, quod mutari non potest. De statu hujus nostræ academix si tibi, etsi pauca, significavero, rem gratam tibi me facturum non dubito. Scias igitur Dominum M. Godescalcum Prætorium doctrina, assiduitate et diligentia sua in docendo totius fere academix molem sustinere. Hic enim cum sit vir longe doctissimus et in legendo et docendo nullam intermittat horam, studiosos theologiæ et philosophiæ deditos solus hic retinet. Alii autem professores aut raro aut nunquam legunt. Et D. Prætorius etsi talis et tantus sit rectique sibi per omnia conscius, tamen habet æmulos homines malevolos, qui quæ optime docet, canino dente arrodunt, ita ut etiam sine afflictione et cruce non sit, quod admodum dolendum est. In juridica facultate doctissimum et excellentissimum habemus D.D.Schraderum, qui profecto in sua facultate omnes antecedit hic. Sed quia, ut dixi, est doctissimus, materias juridicas prolixius et fusius tractat, ita ut primum incipientes exiguum fructum ex lectionibus ipsius consequantur. Sunt quidem præterea hic doctissimi viri, et inter illos vel imprimis Doctor Johannes a Borcken Bremensis, sed ut ille, ita et alii non legunt publice, imo nec privatim. Solus Prætorius, de quo dixi, utilissimam navat operam studiosis theologiæ et philosophiæ, sed huic invidet D. Andreas Musculus, theologus inflatus et arrogans et cum Prætorio non conferendus, si pietatem et eruditionem spectes. Feles musculum istum capiat, mordeat et devoret etc. Casparus Hoyerus te amanter salutatur et petit, ne sinistre accipias, quod hactenus nihil scripserit; promittit se posthac sæpius ad te scripturum. Saluta uxorem tuam nostro nomine. Bene et feliciter valet. Datæ Francofordiæ ad Viadrum anno Christi 1562 die 11. Januarii.

117

Caspar Hackrod, Oldenswort, 23. maj 1562.

En snedker fra Pistorius' sogn har krænket en pige og lovet hende ægteskab. Pistorius bedes kalde manden til sig og formane ham til at gifte sig med hende.

Centuria secunda.

1

Casparus Hackrodus, pastor Oldenswordensis, Johanni Pistorio, pastori Tetenbullensi, S.D.

Reverende Domine pastor, literas tuas acceptas curabo fidelissime et rogo, ne de eo dubites. Porro præsens hæc foemina ea ipsa hora, qua famulus tuus a me abierat, ad me venit, querula et lacrimis me orans, ut ejus causa ad Humanitatem Tuam unum aut alterum verbum scriberem. Refert in parochia tua esse fabrum quendam lignarium, qui ipsam devirginavit vel stuprum intulit, idque ea promissione, quod vellet eam ducere in uxorem. Sed mala consilia et mala acta raro sortiuntur bonum et honestum finem. Videtur pænitere defraudatorem promissi; ideo vitiata instat et urget, ut vel eam ducat, vel ut liberetur ab ipso et simul restituat ei annulum, quem ab ea accepit et habet. Petit itaque abs te, ut fabrum istum lignarium ad te voces, animum ejus explores et admoneas, ut promissi memor eam ducat in uxorem. Idem et ego ipsius nomine a te, mi frater, peto, et non quin miseræ huic imprudenter deceptæ consilio et opera tua sis subventurus. Vale cum carissima tua conjuge, quam Deus clementer respiciat et sub

cruce ærumnosi et laboriosi partus sustentet et liberet. Amen.
Ex Oldenswordt die Saturni post festum Spiritus Sancti anno 1562.

118

Jacob Mittag, Husum, 4.juni 1562.

Rektoren i Husum skriver om et par bøger, lånt og udlånt, fordi han vil have denne sag ordnet, før han flytter til Wismar som læge.

2

M. Jacobus Mittag, rector scholæ Husensis, Johanni Pistorio S.D.

Nisi hac septimana iter institutum ad M. Albertum Majorem prosequi velis, mi D. Johannes, Arrethæum remittas per scholasticum hunc Luderum necesse est. Ego enim in futura septimana, Deo volente, hinc Wismariam ad medicam condicionem profecturus sum. Ideo hac septimana repetere cogor per nuntium meum Hippocratem a M. Alberto, quem ut non invite reddat, suum ei libellum simul restituam, ita ut singula ad suum possessorem redeant. Vale. Datæ Husiæ anno 62 die 4.Junii.

119

Hieronymus Cypræus, Slesvig, 27.juni 1562.

Pistorius' (ikke nærmere betegnede) sag står godt. Han skal derfor, for at undgå unødvendige og nytteløse udgifter, ikke foretage sig noget videre, men hemmeligholde denne skrivelse, for at Cypræus ikke skal blive anset for at være partisk.

3

M. Hieronymus Cypræus, canonicus et consistorialis Sleswicensis,
d. Johanni Pistorio S.D.

Vidimus nos jura. Quare nihil metuite, et causæ vestræ decisio satis luculenta est. Cernitur ex ipso textu juris scripti, ita ut nihil ambigendum sit. Hæc tibi significare duxi, carissime Johannes. Scio enim multum interesse vestra. Nam si transigendum fuerit vobis cum adversariis vestris, magna impendenda pecuniæ summa erit. Videntur enim esse sublimes, aut videri volunt in ostentandis divitiis, quæ nihil me movent. Quare emisso a me nuntio (viaticum autem vos ei numerabitis) significo vobis causam vestram bonam esse, nec necessarium fore, ut transigatis cum adversariis. Celare potestis hæc, ne videar ego esse partialis. Sed hoc tandem contendo, ut caveam vobis, ne faciatis sumptus inutiles et non necessarios propter transactionem. Poterunt eos in usum nuptiarum transferre meliorem. His vale. Datæ Slesvici 27.Junii anno 62.

120

Volquard Jonæ, Slesvig, 4.september 1562.

Egteskab mellem i tredje led beslægtede er forbudt og straffes; dispensation kan ikke fås uden store udgifter. - Om smør til von Eitzen.

4

Volquardus Jonæ Johanni Pistorio, amico suo.

Salutem per Jesum Christum. Hesternò vespere obtulerunt mihi duo hi tuas literas, et quia sperebam D. Doctorem certo rediturum, nolui quicquam scribere; nunc nimium festinans idcirco brevibus mihi respondendum erit. Quod matrimonium illud in tertio gradu consanguinitatis

concernit, scire te velim in ordinatione ecclesiastica id non solum interdictum esse, sed etiam peculiari mandato ab Illustrissimo Principe prohibitas esse ante quinquennium hujusmodi nuptias. Celsitudo ipsius serio etiam mandavit, nostri illis irregularibus (regularibus dixissem) ne dispensent contra ordinationem. Hæc dixi sponso. Et quia tu, cum hoc edictum promulgaretur, in ministerio non fuisti, etiam te scire volui, ut moneas tuos, ne in posterum tale quid tentent aut præsumant. Husiæ apud D. Bokelmannum videbis literas. Is eas apud se habet et sapius suis de suggestu prælegit. Si innotesceret vel Principi, vel Præfecto hic, quod tentarent tui tales nuptias, punirentur. Ideo simpliciter eis dixi, ut abstineant ab actione; non posse eos consequi dispensationem sine grandi pecunia. Sed plura hac de re, cum aliquando ad me veneris.

Quod ad butyrum attinet, ob quod responsum distuli, locutus sum cum Domino Doctore, et placet ei, quod scripsisti. Peto itaque ut cures, ut Husiam advehatur, et simul significes, per quem velit Petrus Nickels transmitti pecuniam. Id cum feceris, numerabitur bona fide. Hæc, dilecte frater, tibi respondere volui. Salutatur te Dominus Doctor et gratias agit pro officio. Vale et saluta conjugem. Scripsi Slesvici anno 62 die 4. Septembris.

121

Arnold Muls, Garding, skrevet fra Welt 8. september 1563.

Tak for forskellige slags frø eller planter. En sammenligning af to oversættelser af 2. Mosebog 33, (18-23), den sidste fra Züricher oversættelsen (ved Leo Jud). Om en skrivelse til landgreven (af Hessen).

5

Arnoldus Muls Geldricus, minister verbi Dei apud Gardingenses,
Johanni Pistorio, amico suo integerrimo et carissimo, S.D.

Reverende et dilecte compater, gratias agimus quam maximas tibi ac uxori tuæ pro benevolentia erga nos immeritos de diversi generis seminibus; referemus aliquando data et copia et occasione. Porro de loco Exodi 33, quomodo redditus sit, sic nova habet translatio: Adjecitque: Ostende mihi, quæso, gloriam tuam. Qui respondit: Ego præterire faciam omne bonum meum ante faciem tuam et vocabo ex nomine Jehovæ coram te, et miserebor, cujus miserebor, et clemens ero, in quem clemens ero. Dixit præterea: Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo et vivet. Dixit postremo Jehova: Ecce locus apud me, et stabis supra petram. Erit autem quum pertransibit gloria mea, ponam te in spelunca petræ et protegam te manu mea, et videbis posteriora mea, facies vero mea non videbitur.

Tigurina sic habet: Qui ait: Ostende mihi, quæso, gloriam tuam. Et respondit: Ego efficiam, ut coram te transeat omne bonum meum, et exclamabo nomen Domini coram te, et miserebor, cujus miserebor, et visceribus commovebor, super quem visceribus commovebor. Dixitque: Non poteris videre faciem meam. Non enim [videbit] me homo et vivet. Et ait Dominus: Ecce locus est apud me, et statues te super petram, quumque gloria mea transierit, ponam te in fissuram petræ et tegam manum meam super te, donec transiero, et rursus auferam manum meam, tum tu post me videbis, facies vero meæ non videbuntur.

Bene vale cum tota domo tua. Scriptum ad Lantgravium retinui apud me, non enim otium percurrendi fuit. Remittam autem brevi. Spero, ubi redieris, te liberalem fore in communicandis novis. Datæ in Welt anno 63 die 8. Septembris.

Johannes Hamer, Husum, 30. juli 1564.

Indbydelse til J. H.s bryllup med Marina Petri den 13. august 1564.

6

M. Johannes Hamer, verbi divini minister Husii, Johanni Pistorio S.D.

Admiranda sapientia et gravissima deliberatione sanxivit et decretum fecit Deus, quod vult firmum et immotum servari, ut homo in consuetudine conjugali vivat et hoc ordine propagationem speciei adjuvet, vitet omnes vagæ libidinis flammæ, concupiscentias et commixtiones cum hoc ordine pugnantibus, sub poena exclusionis e regno Dei, ut Deum mentem castam agnoscamus et attributione hujus pulcherrimæ virtutis castitatis a diabolis et aliis immundis naturis eum discernamus, quod etiam D. Præceptor Philippus sanctæ memoriæ suis versibus inclusit:

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,
et castas jussit pondus habere preces.

Deinde ut homo, ad societatem conditus, laborum, ærumnarum, communium precum et omnis generis officiorum in administranda re familiari sociam habeat, ut dicitur: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei coadjutorium, quod sit coram eo, item ut certa lege genus humanum multiplicari ac propagari possit, quo Christo æterna ecclesia colligatur. Huc Platonis etiam sententia spectat: Oportet, inquit, servari naturam humanam propagatione liberorum, ut singuli Deo alios cultores suo loco substituant. Postremo ut sit imago foederis inter Christum et dilectissimam sponsam ecclesiam. Hos conjugii fines considerans, motus ordinatione divina et ipsa rei necessitate in matrimonio caste ac sancte cum honesta virgine Marina Petri vivere animum induxi. Cum autem sponsalia nostra præteritis aliquot septimanis in præsentia bonorum amicorum sint celebrata, nuptiarum diem, quod faustum ac felix sit, 13. Augusti constituimus. Quare, reverende D. Johannes, amice singularis, officiose et amanter Tuam Dignitatem rogo, ut constituto tempore nuptiali nostro convivio interesse velis, ac Tuæ Dignitatis dulcissimæ conjugis ac carissimorum liberorum præsentia illud ornare et una cum reliquis invitatis dominis ac amicis mentem exhilarare non dedignetur. In quibus Tuæ Dignitati vicissim gratificari possum, facilem et benevolum me habebit. Datæ Husiæ die 30. Julii anno 64.

123

Jacob Hoyer, Frankfurt a.d.O., 17. december 1564.

Om universitetets elendige tilstand. Abdias (Gottschalk Prætorius), Musculus, Osiander, Staphylus. J.H. beder Pistorius om råd og om at tale med hans forældre om, hvad han under disse forhold skal gøre.

7

Jacobus Hoyer d. Johanni Pistorio, amico et affini suo, S.D.

Propter inopiam non tantum tabellariorum, sed et rerum novarum, hactenus nihil literarum ad te dedi, carissime D. Johannes; jam vero occasionem nactus non potui non facere, quin de statu nostræ scholæ te certiores facerem. Dolendum autem est, quod tanta hæc academia, ut quæ doctorum hominum copia, privilegiis, commoditate et æmœnitate loci ceterisque rebus oportunis vel cum præstantissimis Germaniæ scholis certare, et ferme dicerem post se relinquere, potest, unius

malitiosi, invidi et perversi hominis arbitrio regatur et ex optimo et amplissimo statu in miserabilem et deploratum, ut nihil nisi nomen retineat, deducatur. Domini Abdiæ humanitas et modestia, quæ profecto in ipso cum literis et eruditione ex æquo certat, cum tibi explorata et notissima sit, nihil amplius de ipso scribam. Musculus vero si tibi ignotus est, effigiem ipsius,* quæ non tantum morum integritatem, sed et cordis bonitatem optimi viri omnibus lineamentis summa diligentia depingit, transmitto. Si enim ea, quæ sunt in voce (ut cum Aristotele loquar), earum, quæ sunt in anima, passionum sunt nota, si vere dixit Baldus linguam tubam esse cordis, si unquam fuerit animi interpres, ex hoc illius sermone omne vitæ simulacrum, omnis vis ut in speculo representatur ac vel intima pectoris arcanis quibusdam vestigiis deprehenduntur. Scripserunt hisce temporibus Celsander, Staphilus et alii, et in scriptis suis quos aculeos odiorum et contumeliarum in adversarios emisissent, legisti, sed hoc (quod ad te mitto) ex omnibus consarcinatum videtur. Cum autem non tantum causam non defendat, nec tantum contumelias eructet et efflet, sed et nomen ac famam integerrimi et innocentissimi viri arrodere et lædere tentet, et quidem hæc omnia impune, cum veluti sævissima bestia in claterata includendus esset cavea, conjectura statum hujus academici per te agnoscere poteris. Quare ut quamprimum tuas ad me literas perferre cures, et quid mihi in hoc academici hujus statu calamitoso faciendum sit, consilium tuum des, etiam atque etiam a te peto. Nam D. Abdiæ hinc discedente (quod ipsum facturum, Musculo in tantum furiente, non est dubium, prout ipsius est pietas et modestia) ego hic remanere non cupio. Loquaris cum parentibus meis, ut sciam, quid cum ipsis tum tibi videatur, quonam me conferre debeam. His bene vale, et conjugem meo nomine amanter saluta. Datæ Francofurti ad Viadrum anno 64 die 17. Decembris.

* i.e. Abdiæ.

124

Albert Meyer, Lindholm, juledag 1565 (kirkeåret, kalenderår 1564).

A.M. er af Pistorius blevet bedt om et udkast til et vindue; han har endnu ikke fået det tegnet, men meddeler sit forslag. I øvrigt skriver han om sine genvordigheder med sognebørn og amtsskriveren, som han i udøvelsen af sit embede har fornærmet, og som derfor hader ham. Det sidste er, at man vil formindske hans indtægter ved at bruge en mindre skæppe end hans, idet det påstås, at han har ladet den gøre større. Hans forgængers søn Matthias er degn i Tetenbüll, og A. M. beder nu Pistorius om at forhøre ham og muligvis finde noget skriftligt om denne sag i hans faders efterladte papirer. Han beder også om nogle bøger, bl.a. Niels Hemmingsens (1562 udkomne) 'Pastor'.

8

M. Albertus Major D. Johanni Pistorio, amico suo unice dilecto, S.D.

In proximis, quas ad me scripsisti, literis petiisti, Johannes dilectissime, picturam aliquam dari a me in fenestram aliquam ædium tuarum. Tanta est inter nos necessitudo, ut majora petenti deesse non deberem, sed nuntius, qui literas attulit, me domi non deprehendit, et ab eo tempore, nescio quo fato, occasio data non est literas ad te mittendi. Varia enim, et paucis verbis non enarrabilis, fuit fortuna mea hoc toto anno, quæ etiam me detinuit, ut te visitare, ut dereveram, non potuerim. Et quia etiamnum mirum in modum a parochianis

meis, hominibus magna ex parte sceleratissimis, exagitor, cudente mihi semper novam fabam Praefecto meo, homine pertinacissimo atque impiissimo, qui partim publice, partim privatim parochianos ita contra me inflammavit meque, etsi immeritissimum, ita premit, ut tandem res tota ad discussionem Satrapæ atque Præpositi delata sit, qui ad sopiendam hanc tragoediam post has ferias ad me ut veniant expectantur, quæ etiam expectatio me detinet, ut pedem domo movere non mihi sit integrum, alioqui ipse ad te venturus eram. Quod si vero motus omnis inter me et parochianos cum primis, ut spero, sedari potuerit, ad te veniam. Flagrat autem Vatiniano erga me odio Præfectus meus; proinde multo jam tempore laboravit pessima omnia contra me intentare, quia scilicet ipsum officii nomine offendi, et quia impiis ejus conatibus me obstare sibi putat etc. Primum igitur ipse ejusque complices insidiati sunt honori et famæ meæ; quia vero me Deus ex retribus illorum eruit, novos mihi de die in diem laqueos nectunt molestiasque creant. Præcipue vero Præfecti mei instinctu et suasu legitimum meum stipendium, quod mihi his 12 annis dederunt, decurtare moliti sunt, qua in re, quia et tu mihi obiter auxilium aliquod præstare poteris, ad te tanquam ad unum fidissimorum meorum amicorum recurro. Quid vero a te petam, ex sequentibus intelliges. Habeo mensuram quandam (quam vocant einen huesssichel) capacem trium modiorum Tunderensium, quam mihi implent parochiani quotannis sili-gine seu, ut rectius dicam, secali; hanc dederunt ut antecessori meo et mihi usque hactenus. Nunc ut mihi mensuram hanc tollant, duo prætexunt adversarii mei argumenta. Primum, antecessorem meum D. Thomam (patrem æditui tui Matthiæ) mensuram hanc adjumento Christiani cujusdam carpentarii falsificasse majoremque justo fecisse. Alterum, quod terni et terni tunnam secalis dederint, hoc est tertiam partem tunnæ capientis 8 modios, quo prætextu terni quique conantur et mihi modium subtrahere. Quia vero hac præsumptione non tantum emolumentum meum, sed et honor patris sacristæ tui periclitatur, per omnem conjunctionem amicitiamque nostram te obtestor, ut adhibitis duobus honestis viris Matthiam tuam ad te voces atque in dictorum virorum præsentia has illi questiones proponas, quas subjungam, obtesterisque, ut verissima respondeat, responsionesque et confessionem ejus manu tua excipias et conscribas sigillisque vestris munitas literas illas per hunc famulum meum transmittas. 1. Idt is by 26 jharen (vel si minorem fuisse annorum numerum meminerit, corrigat), dat de carspellude tho Lindtholm xii olde frame menner erwehlet hebben (alse nomliken Jens Duiisen, Christyern Momssen, Japp Volckquartsen, Nonne Pawelsen, Japp Truwelsen, Japp Boenssen, Japp Sonnecksen, Nickels Lutzen, Ade Sonnecksen (ni fallor), Momme Japsen, Volckquart Japsen, Peter Huensen), de uth hetent und vulbordt des gantzen carspels Hern Thomæ, dem kerckheren tho Lintholm, einen huesssichel gemaket und vorordnet hebben, und is de mathe genamen worden na Japp Sonnecksens metel-tunne, welcke eine tunne gewesen is, und hebben de 12 frame menne in der wedem desolve Japp Sonnecksens tunne mit roggen gefüllet, geschuddet und gehupet, und na dat drudde part desulvigen gehupeden und geschuddeden tunnen hefft Christen Timmermann den huesssichel gemaket, und wart von $\frac{1}{2}$ tunne affgesaget, welcken huesssichel geven scholden alle, de 1 huesssichel uthseiden. Hæc ita facta esse mihi revelarunt multi boni viri omnesque illi, qui ex prænominatis adhuc in vivis sunt. Idemque confirmat mater Matthiæ tui, relicta vidua D. Thomæ, quæ hic apud nos in magna paupertate degit. Quare hæc ita si vera esse Matthias quoque meminisse potest, ita ad verbum mihi ipsius testimonio confirmari velim.

2. Idem carpentarius (forte in gratiam adversariorum meorum, ab iisque corruptus) affirmat se mensuram eandem postea restaurasse, und dat he einen olden staff by H. Thomas tiden hebbe mothen uthnemen und einen nien wedder insetten uth H. Thomas hetent, averst nicht ein strocbredt gröther gemaket. Hujus ipsius confessionis testimonia habeo. Quia vero suspicor ab adversariis meis rogatum carpentarium, ut hæc dicat, ut scilicet mensuram suspectam reddat, et neget mater Matthiæ tui tactam mensuram a carpentario a prima hora, qua fecit eam, peto hujus etiam rei sententiam Matthiæ audire te, ut bona fide dicere velit, si conscius sit, tactam non esse nec falsificatam.

3. Quia vero urgent quidam ternos et ternos tunnã saltem dedisse D. Thomæ, quam grato animo exceperit, et quia fieri non potest, ut cum mensura seu trimodius major sit tertia parte tunnã, quin injuriam illi fecerint, qui minus dederunt quam debebant, peto, ut Matthias quod res est fateatur, invito et nolenti patri obtrusam tunnã a ternis, et vellem in specie aliquos nominet, qui patri decurtationem fecerunt. Et quicquid novit pro confirmatione dictæ causæ meæ facere, vere ut narret tibi, tuque, ut dixi, hæc diligenter consignes, etiam atque etiam te oro. Rettulit etiam mater Matthiæ D. Thomam Principis literas impetrasse super eadem controversia, quæ si adhuc latuerint in relictis schedis patris ejus, summopere rogo (te intercedente) mihi simul transmitti atque adjungi, si quid circa Principis actum responsumque norit, quod in rem meam facere videtur. Poteris hac in re supra quam dicere possim mihi gratificari, plurimumque mea interest. Quare petitionem meam nullo modo denegabis, sed mihi disertum de prædictis testimonium germanice scriptum obsignatumque si transmiseris, non est in quo mihi rem magis gratam præstare possis. Ego vicissim tibi polliceor omnem gratissimi animi significationem, quavis occasione re ipsa comprobaturum. Et si nondum fenestra mea picta est, Satyrum alatum, occipite calvo, syncipite comato, falcem manu tenentem pingi facias ascripto verbulo TEMPUS positaque post tergum clepsydra subscriptoque epigrammate:

Falce, coma, pennis Saturni, Nestoris, Hermes,
sterno, fero, capio corpora, secla fugam.

Cuperem etiam mihi remitti (si carere potes) epistolã medicinales Langii, item D. Hemmingii Pastorem et ejusdem in epistolam Divi Jacobi et Huberini Von bosen valschen zunghen. Cupio etiam tuum nomen in fenestra novi musæi mei scribi, quid vero appingi velis, significabis. Vale, amicorum sincerissime, cum tota familia uxoremque tuam meo, quæso, nomine salutes meque literis tuis sæpiuscule invisere memento. Indulge celeritati. Raptissime ex Lintholm. Anno virginei partus 1565 auspicante ipso die Natalis Christi.

125

Arnold Muls, Welt, 7.februar 1565.

Indbydelse til barnedøb. (Mens Muls i overskriften til brev nr. 121, som også er skrevet fra Welt, endnu kaldes præst i Garding, mangler dette sidste her; Muls synes allerede i 1565 at være flyttet til Welt; Arends har 1567.)

10

Arnoldus Muls Geldrius d. Johanni Pistorio S.D.

Venerabilis D. compater, constituimus apud nos filiolum, quam nobis coelestis Pater clementer donavit, ipsi sistere ex ipsius consilio et mandato, idque proxima die Dominica, ut per baptismum regeneretur,

sanctificetur beneficiaque Christi applicentur ac Spiritum adoptionis accipiat et sic (ut precatur ecclesia) novo semper foetu Mater Ecclesia letificetur familiaque ejus augeatur. Quando igitur a majoribus receptus hic mos est, non omnino improbandus, ut eo die vicini ac pii amici conveniant congratulaturi parentibus, deinde novæ proli de renascentia seu nova nativitate tanquam etiam testes in posterum baptisimi, oro obnixè, si nos amas, ut ad dictum diem te cum dilecta uxore tua huc ad nos conferas, si ullo modo id fieri possit. Præstabis nobis in hoc rem longe gratissimam. Bene vale. Data in Wældt anno 65 die 7. Februarii.

126

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 12.maj 1566.

B. H. sender noget angelikarod med blade samt en beskrivelse af dens virkning og anvendelse.

11

Bernhardus Horstenius Osnaburgensis, pastor ad Divum Petrum Eiderstedie, d. Johanni Pistorio S.D.

Mitto, reverende humanissimeque domine pastor et frater in Christo Jesu dilectissime, radicem cum herba angelicæ juxta promissum, cujus virtutes paucissimis comprehensas verbis; ita ex veteri quodam enchiridio medici alicujus annotavi: Angelica alio nomine dicitur radix Sancti Spiritus eamque in tertio gradu siccam et calidam dicunt; aperit, extenuat, discutit, venenis unice adversatur, pestilentie populatim sævientis arcet contagia. Corpora ab lue pestifera vindicat, si tantum, ut affirmant, in ore teneatur. Per hiemem bibitur ciciris magnitudine cum vino, per æstatem cum aqua rosacea sumitur, nec eo die pestem sensurum, qui sumpserit, affirmant. Pectoris vitia prope omnia herba in vino elixata et potata propulsat. Additur: Dusse worttel gepulverisert ein quintin und $\frac{1}{2}$ quintin driakel mit scabiosenwater edder des sommers mit rosenwater und des winters mit wine ingenamen is guedt vor alle venim und vergifft und drifft dat vergifft van dem minschen mit swete.

Non scribo hæc, humanissime domine frater, ignorantem has virtutes, sed ut caritati fraternæ inserviam, quæ omnia sua communicat, quatenus permittit Christiana caritas. Deus te suæ ecclesiæ, cui præes fideliter et sane, clementer in hac vita superstitem conservet et nos itidem in Spiritus unitate, vera confessione et constanti perseverantia, ut nostris pro vocatione pie possimus inservire, neque detur adversariis gaudii de nostra afflictione et calumnie contra Dei verbum occasio, quasi juste patiamur, non propter peccata, quæ libenter agnoscimus et fatemur et propter quæ juste punimur, sed ob defectiorem ab illorum ecclesia. Orabimus Dominum sedulo pro vobis, nos quoque vestris precibus diligenter commendamus. Exaudiet Dominus procul dubio vota et preces piorum noctu diuque ad se gementium et clamantium etc. Vale cum tuis propitio Deo longum, et saluta meo et meorum nomine dulcissimam conjugem tuam. Scripsi hæc sub noctem, boni consule festinationem. Data ad Divum Petrum anno 66, 12.Maji.

127

Rektor Georg Nicolai, Husum, 28.juni 1566.

Indbydelse til G. N.s bryllup med Christina, datter af afdøde Markus Hagge, den 13.juli.

Georgius Nicolai, Rector Scholæ Husensis, D. Johanni Pistorio suo S.D.

Nuptiæ apud ethnicos quanta religione et observantia peragebantur, nemini non notum est, qui Jovem, quod conjugii foedera curare solebat ac punire, si quis ea violasset, coluerunt, Junonem pronubam habuerunt, quod hujus auspiciis rectius succederent, Veneri fructus matrimonii tribuerunt, quod hujus beneficio fecunditatem sequi crediderunt, hisque auspiciis ac veluti testibus foedera conjugii inibant. Non vero dubium est vestigia hæc fuisse conjugii primorum parentum, quibus postea suis diabolicis ritibus et ceremoniis multa alia addiderunt. Nam præter commissas dextras et arrham sacrificia et alia retinuerunt, quæ omnia postea vana superstitione sancte observarunt. Nullum enim certum auctorem præter hæc habuerunt. Nos vero, qui conjugii auctorem Deum agnoscimus, qui sua et matris præsentia miraculorumque primitiis id ipsum conservavit, quanta animi majori alacritate et sanctius hos ritus peragere decet! His ego de causis, quod felix et faustum sit, motus sacrum hunc ordinem ingressus sum, atque locata est mihi in matrimonium honesta puella Christina, relicta filia pie defuncti Marci Hagen. Nuptiarum vero dies constitutus est 13. Julii, qui incidit in septimam Dominicam post Trinitatis; ad has peragendas te, reverende frater et amice carissime, summis precibus invito, omnino confidens te cum uxore dilectissima et tota domo amico ὡς ἀδελφῷ hac in re gratificaturum simulque alios amicos atque fratres, ut una comitentur, hortaturum. Me vero et dilectam meam sponsam summo honore afficietis, et ad quæcunque vicissim officia paratos nos habebitis. Vale in Domino, cui te totamque domum tuam commendo. Ex ædibus meis Husiæ 28. Junii anno 66.

128

Petrus Boëtius, Königsbüll på Nordstrand, 21. oktober 1566.

En mand har bedt Boëtius om vielse, men rygtet siger, at han allerede har en kone, som opholder sig i Pistorius' sogn. Manden nægter det ikke, men hans forklaring kan Boëtius ikke uden videre acceptere. Han beder Pistorius om at undersøge sagen nærmere og i en egenhændig skrivelse meddele ham resultatet.

12

Petrus Boëtius, pastor in Konnigesbul Nortstrandia, d. Johanni Pistorio, amico suo quo veteriori, eo cariori, S.D.

Nicolaus hic præsens, reverende D. Johannes, animum appulit ad quamdam ancillam honestam apud nos, et sponsalia inter ipsos facta sunt, et petit a me, ut eos copulem, quod libenter facerem, nisi fama, nescio quæ, susurraret eum habere legitimam uxorem apud vos adhuc superstitem, nec ipse prorsus id infitiatur, sed multa profert, quibus se liberatum iri existimat. Dicit se puerum coactum ab hero, ut stupratam et corruptam ab hospite suo ducere consentiret, nec ministrum ecclesiæ ipsos copulasse, sed laicum quendam, qui nunc ibi in quadam parochia in vestra terra sit ædituus; ait præterea se nunquam eam cognovisse, annos etiam pæne octodecim a copulatione esse elapsos, illam postea quoque plures liberos ex aliis concepisse, nec etiamnum hunc desiderare, sed liberum et innocentem pronuntiare etc. His prædictis fidem adhibere nolui, sed ad te, domine frater, eum mitto, ut tuo chirographo mihi allato sine periculo ipsum cum sua sponsa hic copulare audeam. Quare peto, carissime d. Johannes, vetus

comilito et consodalis, ut diligenter rem explorare digneris, et si
re tua prudentia, audito testimonio parochianorum, quibus hæc res
constat, insuper ipsius mulierculæ ad te accersitæ verbis accurate
percensens, judicaveris ipsum esse personam innocentem et illam ream,
mihi hoc brevibus perscribere non graveris. Si vicissim tibi in causa
simili vel etiam difficiliori gratificari potero, invenies me promp-
tum et paratum. His Deo omnipotenti te commendatum volo cum uxore
caræ et liberis jucundis. Salutes quoque D. Henricum in Catharinæ-
herde, meum familiarem, nec non Petrum Ovenum, tuum parochianum, meo
nomine, quaso. Raptim ex Koningsbul Nortstrandia XII Calendas
Novembres anno 66.

129

Johannes Pistorius til Bartholomæus Wendt, skriver i Ejdersted,
Tetenbüll, 14.november 1566.

Pistorius har fået at vide, at kansleren i Det tyske Kancelli Hiero-
nymus Thenner er blevet fængslet, og beder Wendt, om muligt, at give
ham nærmere oplysning om grunden dertil. Han mindes alt det gode,
han har modtaget i Danmark, og beder om, at den ulyksalige krig mel-
lem de to nabokonger snarest må få en ende.

360

Ad eximium virum D. Bartholomæum Wendtt, scribam Eiderstedie.

S. per Christum, unicum mediatorem et redemptorem nostrum. Optime et
amantissime D. Bartholomæe, de Dania allatum est ad me hisce diebus
Cancellarium Germanicum Regis D. Doctorem Hieronymum Thennerum, virum
admodum præstantem, qui hactenus annis aliquot et potissimum tempore
belli hujus inauspicati, calamitosi et exitialis onera sustinuit
gravissima, in carcerem esse conjectum. Etsi autem ipsum (D.D.Hiero-
nymum) non viderim unquam, tamen cum gener sit clarissimi viri D. D.
Cornelii medici, de me optime meriti, et præterea virtutes ipsius,
utpote singularem pietatem, prudentiam, integritatem et candorem (ut
de eruditione admodum excellenti taceam) a multis et sæpe audiverim
prædicari, amo ipsum et hac ipsius calamitate et infortunio afficior
et animo angor quam vehementer. Nescio, quid conjectem aut dicam,
sed causam magnam et arduam esse oportet, propter quam tale quid ipsi
acciderit, de qua si forte tu, mi D. Bartholomæe, audivisti et cogno-
visti certi aliquid, id ipsum ut mihi quam paucissimis verbis signi-
ficare velis, etiam atque etiam te oro. Sin vero nondum quicquam
hujus rei tibi innotuit, rogo, ut cum in aulam Illustrissimi Prin-
cipis nostri veneris (venturum autem te eo brevi ex Theodorico nostro
audivi), de ea diligenter inquiras et potissimum de hoc, num adhuc in
carcere detineatur, et quam ob causam. Conjicio et cogito æmulorum
et invidorum calumniis hoc, quicquid est, perfectum esse. Præterea
etiam, ut Seneca vere dixit, lenta sunt aularum beneficia, injuriæ
præcipites. Et de Arato legimus, cum sanguinem expueret hausto
veneno, quod a Philippo, rege Macedonum, cujus conjunctionem propter
honestas causas appetiverat, ipsi datum erat, dixit: Ταῦτα εἰς ἐπί-
χειρα βασιλικῆς φιλίας, id est: hæc sunt præmia regiæ amicitie. Quare
vive tibi, quantumque potes, prælustria vita, illustri sævum fulmen
ab arce venit. Sed te, mi D. Bartholomæe, oro, ut de causa D.D.
Hieronymi ac de belli et regni Daniae statu scisciteris et inquiras
diligenter. Non dubito, quin in aula Illustrissimi Principis nostri
de his certi aliquid cognoscas. Magna et plurima beneficia mihi in
inclito Daniae regno contigere; ideo ex animo ipsi bene precor, et ut

bellum inter duos reges vicinos et cognatos excitatum quam citissime sedetur et componatur, Deus faxit. Amen. Bene et feliciter vale. Data in Tetenbul 14. Novembris anno 1566.

Tuus Joh. Pistorius.

130

Johannes Pistorius til sognepræst Gisbert a Boxmar i Westerhever, Tetenbüll, 19. november 1566.

Angående den i brev nr. 128 omtalte ægteskabssag. Pistorius beder sognepræsten i Westerhever meddele ham, hvad han ved om denne sag.

361

Reverendo viro D. Gisberto a Boxmar,
pastori ecclesiæ Dei in Westerhever, fratri suo in Christo.

S. per Christum. Reverende vir, hesterno die ad me venit hic Nicolaus, literas a d. pastore in Konningsbull mihi adferens, quæ indicant Nicolaum hunc honestæ apud ipsos cujusdam puellæ connubium ambire, verum cum d. pastor cognoverit famam de ipso spargi, quod hic apud nos legitimam habeat conjugem, quam ante annos aliquot deseruerit, petit a me, ut totam rem, quid sit et quomodo acciderit, ipsi aperiam. Etsi autem antea quoque nonnulli alii idem a me flagitarint, tamen id facere recusavi, propterea quod quicquid hujus sit, ante meum in parochiam hanc adventum contigerit et actum sit, et quod intelligam, cum de rei veritate perconter et inquiram, illos, quibus non est incognita, eam fateri et indicare subterfugere. Scis enim vulgare et usitatum esse regionis hujus hominibus Terentianum illud: Tu quod scis, nescis, idque ipsos observare, quotiescunque causæ alicujus, qualis qualis ea sit, veritas confitenda et manifestanda sit. Et simul etiam animadverto causam hanc ad tales spectare, qui alicujus sunt nominis, quorumque fortuna et bona, si omnia in lucem proferrentur, essent periclitatura. Nolo igitur (ne ego cuiquam mali alicujus causa sim) omnia D. pastori in Konningsbull explicare scribere, ut quidem aliquo modo possem. Sed cum ex hoc Nicolao audiam ipsum apud te, mi D. Gisberte, ante aliquot dies una cum muliercula sive meretricula, imo adultera, quæ uxor ipsius dicitur sive putatur, fuisse ipsamque coram te omnia qua intentione et specie acta sint, confessam, volui, ut ad te rediret peteretque et impetraret a te schedulam, in qua, quæ ex utroque tum, cum tibi adfuerunt, audivisses, consignata essent; hanc schedulam cum ad me rettulisset, ego postea d. pastori transmissurus essem. Redit igitur nunc prædictus Nicolaus ad te, et simul cum ipso mitto tibi literas, quas d. pastor in Konningsbull hac de causa ad me scripsit, ut eas legas et quid potissimum cupiat cognoscas. Tu autem, mi d. Gisberte, quid tibi hac in re visum fuerit, facias. Bene et feliciter vale in Christo Jesu una cum conjugæ et liberis dulcissimis. Data ex Tetenbul 19. Novembris anno 1566.

Tuus Johannes Pistorius.

131

Johannes Pistorius til sognepræst Petrus Boëtius i Königsbüll, Tetenbüll, 20. november 1566.

Pistorius svarer sognepræsten i Königsbüll på brev nr. 128 og sender ham brevet fra sognepræsten i Westerhever. Han overlader til Boëtius at gøre, hvad han synes bedst. Ægteskabssagen går til konsisto-

riect, men det vilde måske volde andre fortrød. Pistorius er glad for, at han ikke har noget med den at gøre, og vilde selv nødig foretage vielsen. - Der er pest både på Nordstrand og i Ejdersted, og Hermann Tast (junior), som Boëtius bedes hilse, har også været angrebet af den. (Det ser ud til, at Hermann Tast har været præst i nabosognet Bupsee allerede i 1566; Arends har 1572 i parentes.)

362

Reverendo viro, pietate, virtute et eruditione præstanti D. Petro Boëtio, pastori in Konningsbul, amico suo veteri.

S. per Jesum Christum, unicum mediatorem et redemptorem nostrum. Reverende D. Petre, literas tuas per hunc Nicolaum ad me missas accepi et legi. Magnæ autem voluptati mihi fuit, quod et literis tuis quam amantissime me salutaveris et amicitie olim inter nos initæ commonefeceris. Cognosco memoriam mei necdum plane tibi excedisse, quo nomine gratiam tibi habeo magnam, et Deum insuper oro, ut eadem mente et sententia unum simus in ipso, quo unanimiter una ore ipsum glorificemus. Promitto quoque et offero Humanitati Tuæ studium et operam meam, quacunque in re tu ea indigeris et ego eam tibi præstare possum et debeo. Quapropter quod a me petis, ut de causa Nicolai hujus inquiram et explorem, quomodo revera omnia sese habeant, feci, quantum potui, et deprehendi ita fere omnia sese habere, quemadmodum ipsum tibi rettulisse scribis. Interrogavi nonnullos meorum parochianorum de hac causa, qui eadem, quæ tu scribis, mihi indicarunt. Et quia meretricula (adultera potius) non in nostra parochia, sed in Westerhever hoc tempore moretur, visum mihi fuit, ut Nicolaus eo ad pastorem iret, cum et ante aliquot dies apud ipsum fuerit et hac de re coram ipso egerit, ut mihi indicavit. Scripsit igitur d. pastor in Westerhever ad me, quas literas ad te, mi d. Petre, mitto. Tu pro tua prudentia, quid hac in re tibi faciendum sit, facile æstimabis. Mihi ita videtur, esse causam, quæ ad consistorium spectet, ubi quærendum et dijudicandum erit, sitne inter illos matrimonium, nec ne. Deinde si matrimonium esse judicetur, quod judicem pronuntiatum valde metuo, cum volenti, ut dicitur, non fiat injuria, postea queratur, uter illorum fidem datam violaverit. Et hic fortassis neuter illorum innocens erit. Verum si causa hæc ad consistorium venerit, fiet fortassis, ut postea multum negotii et mali etiam nonnullis aliis creetur et excitetur. Et cum omnia facta sint antequam in parochiam hanc venirem, et nunc neuter illorum hic habitet, lætor me ab utroque illorum liberum. Etsi autem *κακὸν εὐκολιμώμενον μὴ κινητέον*, tamen non facile adducerer, ut Nicolaum cum alia copularem. Nam, ut mihi videtur, non omnino vacat culpa. Cautius mercari oportuisset; nebulo iste non fuisset passus ita sibi imponi. Sed de his satis, cum alioqui hoc tempore varie sim occupatus, et Nicolaus hic me urgeat festinando, ut ad vos redeat. Novi hic aut parum, aut nihil est, de quo ad te scribam. Audimus pestem illic apud vos grassari; idem et hic apud nos fit. Deus ob multiplicia nostra peccata nos flagellat et punit, sed fiducia mediatoris Jesu Christi oremus, ut in ira misericordiæ recordetur. Amen. Audivi quoque D. Hermannum Tast peste correptum graviter decubuisse, an vero pristina valetudini sit restitutus, non habeo compertum; omnia fausta et læta ipsi ex animo precor, et ne graveris meo nomine ipsum amanter salutare te oro. Bene et feliciter vale cum omnibus tuis in Christo Jesu, dilecte frater. Datæ ex Tetenbull 20. Novembris anno 66.

Joh. Pistorius totus tuus.

Johannes Pistorius til diakonus Jacob a Berglen i Witzwort,
Tetenbüll, 24.februar 1567.

Pistorius har været hos provsten og er af denne indtrængende blevet bedt om at tilskynde Berglen til at tage imod embedet i Garding (diakonatet, der var blevet ledigt ved Arnold Muls' udnævnelse til sognepræst i Welt, cf. brev nr. 125) som sin svogers (slægtnings?) kollega, når denne sikkert snart flytter til Garding. (Provsten kan vel ikke være nogen anden end Volquard Jonæ, som var provst for Gottorp provsti - og Ejdersted - fra 1554 til 1567. Han var ganske vist ifølge brev nr. 105 og 106 allerede udset til sognepræsteembedet i Garding i 1559 og havde fået sin afsked fra Gottorp, men under visse betingelser; det er måske disse betingelser og Gardingensernes ønske om at få Muls som sognepræst, cf. brev nr. 102, der har fået Jonæ til at blive boende i Slesvig indtil Muls' endelige udnævnelse til sognepræst i Welt.)

Domino Jacobo a Berglen, Diacono Witteswordensi.

S. per Jesum Christum. Reverende d. Jacobe, septimana proxime elapsa, et quidem 20. die Februarii, fui apud D. Præpositum, affinem tuum et fratrem meum carissimum, qui obnixè a me petiit, ut in reditu meo te convenirem hortarerque, ut omnino condicionem Gardingensem acciperes nec ullo modo persuaderi tibi patereris a Witteswordianis tuis, ut eam recusares et apud ipsos maneres. Verum in reditu meo offendi Musiæ quosdam ex parochianis meis, qui me serio dehortabantur, ne viam illam, quæ me ad te duceret, ingrederer, eo quod ob tempestatem pluviosam lutulenta nimis et difficilior esset, quam ut equo eam superare possem; aliam igitur, videlicet versus Vulwesbul, arripere me oportuit. Quapropter cum ipse venire ad te non potuerim, scribere tibi de d. affinis tui voluntate et desiderio volui, quamvis non dubito, quin etiam per ipsum, et quid te facere velit, dudum certior factus sis. Moneo igitur, mi d. Jacobe, et hortor, ut condicionem dilectissimi affinis tui consideres, et quantum sua intersit, postquam certo Gardingam migraturus sit, ut probum et fidelem ibi habeat collegam. Consulas etiam tuis rationibus et studiis, ac memineris etiam eorum, quæ mihi, cum apud te essem, inter cetera dixisti, videlicet nihil magis te post Deum in hac vita exoptare, quam ut concederetur tibi cum d. affine tuo vivere, communia studia tractare et de privatis et publicis rebus conferre. Nunc vero cum occasio hæc consequendi tibi offertur, ne eam prætervolare sinas, sed quo te fata trahunt, mi d. Jacobe, sequaris. Hæc rogatu carissimi affinis tui ad te scribere volui, cum ipse venire ad te non possim. Tu pro meritis ipsius in te voluntati ipsius obtemperabis, omnibus aliis postpositis, quæ diversum suadere possent. Bene et feliciter vale cum dilectissima et honestissima conjugæ tuæ. Datæ ex Tetenbul die Matthiæ apostoli anno 1567.

Tuus Johannes Pistorius.

Joh. Pistorius til spr. Caspar Hackrod i Oldenswort, 28.oktober 1567.

Pistorius vilde ikke være så umenneskelig, at nægte en ubodfærdig horkarl begravelse på kirkegården, men Hackrod kan gøre, hvad han

synes billigt. Det foreliggende forbud synes at være beregnet på at berøve de stakkels undersætter deres rettigheder. Pistorius kan ikke skrive mere på grund af den værste tandpine.

363

D. Caspari Hackrodiq, pastori in Oldenswordt, amico suo singulari.

S. per Christum. Reverende d. pastor, in mortuum apud vos Eddelevium Jacobi, etsi aliquandiu hic apud nos vixit sine poenitentia scortationis flagitio contaminatus, tamen ego adeo inhumanus non forem, sepulturam in coemeterio ipsi ut denegarem. Tu, quod tibi visum fuerit, facias. Audivi aliquando ex D. D. Superintendente ipsum mandatum illud, quod hac de re habemus, improbare, et videtur magistratum eo occasionem quarere miserorum subditorum bona decipiendi. Plura hoc tempore scribere non possum ob gravissimos dentium dolores, qui me jam aliquot dies vehementer excruciarunt. Bene vale. Die 28. Octobris anno 1567.

Tuus Johannes Pistorius.

134

Johannes Pistorius til Superintendent Paul von Eitzen,
Tetenbüll, 14. november 1567.

Pistorius beder om et endeligt svar på, om han kan optage en hollandsk gendøber, Johannes Angens, som gentagne gange har tilbudt sig til offentligt skriftemål og afsværges gendøbernes vranglærdomme, i menigheden, eller skal vente endnu et stykke tid. Der er over for amtmand Siegfried (Sivert Sivertsen) frembragt nye beskyldninger mod Angens, men de er fremført af en mand, man ikke kan stole på, og ikke bevist. Pistorius lægger et godt ord ind for manden. - Lykønskning i anledning af den højtidelige åbning af den ny skole (i Slesvig).

364

Clarissimo viro pietate, sapientia, virtute et doctrina præstanti
D. D. Paulo ab Eitzen Superintendententi.

S. per Jesum Christum. Clarissime et reverende D. Doctor Superintendens perpetua observantia et fide colende, causa Johannis Angens Hollandi anabaptistæ adhuc hæret. Nam etsi resipiscentiam promiserit seque bis vel ter mihi indicaverit et ad publicam poenitentiam sive confessionem et revocationem errorum obtulerit, tamen ipsum non admisi, propterea quod Reverenda Vestra Dignitas, cum ultimo Gardingæ eam salutarem et valedicerem, mihi mandarit, ut quiescerem et expectarem, donec Illustrissimum Principem convenisset, et quid fieri deberet, rescriberet. Expectavi igitur hactenus Reverendæ Vestræ Dignitatis rescriptum, et nunc peto, ut mihi significet, quid facere debeam, an ad publicam poenitentiam eum admittere et recipere, an vero diutius rem differre debeam. Procul dubio nobilis d. Præfectus Siegfridus de eodem hoc Johanne Reverendæ Vestræ Dignitati de novo quædam narrabit. Verum, ut mihi videtur, incerta et vana sunt, et iste, qui ad d. Siegfridum illa de Johanne detulit, homo est non probatæ fidei, imo nequam et malitiæ satis exploratæ. Et cum in ore duorum aut trium omne stabit verbum, nescio, an unius, et talis alicujus, indicium sive accusatio, probatione destituta, pondus hac in causa habere debeat. Johannes vero coram D. Volckwardo et me se, quantum potuit, purgavit sancteque juravit et omnibus se diris devovit, si a reditu suo e captivitate in ædibus suis ullum Hollan-

dorum conventum aut contiones habuerit, et ait, si forte unus aut alter ipsum accesserit, id certi negotii aut negotiationis causa factum esse. D. Volckwardus et ego hesterno die serio et diligenter ipsum admonuimus et hortati sumus, ut vere et ex animo resipisceret, ne Deo et ministerio illuderet, ac ut fanaticos istos et errores conceptos desereret et execraretur, et quemadmodum antea Reverendæ Vestræ Dignitati, ita et nobis se id sine fraude et dolo facturum sancte promisit. Ideo bene de ipso speramus. Videtur igitur mihi D. Præfectum optime jure posse novum istum delatorem sive calumniatorem vocare, et quod de Johanne detulit ut probet, exigere, in quo si deficeret, petulantiam sive malitiam ipsius carcere cohibere. Verum de hoc et de tota hac causa Reverenda Vestra Dignitas per se, quid facto opus sit, facile statuet, et mihi, quid facere debeam, ut significet iterum peto. Porro solenne exordium novæ vestræ scholæ jam fore audimus, quare æternum et omnipotentem Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, oro, ut id cedat ad divini ipsius nominis gloriam ac ecclesiæ et reipublicæ salutem et emolumentum, ac novo magnificoque domino rectori omnia prospera precor. Amen. Datæ ex Tetenbul die 14. Novembris anno 1567.

Reverendæ Vestræ Dignitatis studiosissimus
Johannes Pistorius.

135

Johannes Pistorius til sognepræst Volquard Jonæ i Garding,
14. november 1567.

Følgeskrivelse til det foregående brev til superintendent Paul von Eitzen; det bedes fremsendt til denne.

365

Reverendo viro d. Volckwardo Jonæ, pastori Gardingensi,
amico suo singulari.

S. per Christum. Reverende et carissime frater, quemadmodum hesterno die inter nos convenit, scripsi clarissimo D. Doctori Superintendenti de causa Johannis Angens et petii, ut Reverenda Ipsius Dignitas rescribat, quid de illo fieri debeat. Scripsi etiam de novo isto delatore et calumniatore. Nam conjicio D. Siegfridum de ipso Dignitati Ipsius indicaturum. Dico igitur, quod sentio, videlicet: Cum delator iste destituatur probatione et homo sit perversus et nequam, indicium sive accusationem ipsius non magni esse momenti. Te autem, mi d. frater, oro, ut efficias, quo literæ hæ ad Dominum Doctorem perferantur. Vale, et valetudinis tuæ inprimis curam age. Die 14. Novembris.

Tuus Pistorius.

136

Johannes Pistorius til sognepræst Arnold (Muls) Geldrius i Welt,
14. november 1567.

Pistorius har været i Garding for at tale Muls' sag, men det var på et ubelejligt tidspunkt, da der var retsdag. Han vil en af de nærmeste dage atter tage til Garding og gøre, hvad han kan.

366

Reverendo viro Domino Arnoldo Geldrio, pastori Welttensi.

S. per Christum. Reverende domine compater, cum a nobis discessistis, sequenti statim die oportuit me Husiam proficisci, ut ibi opera et

cura chirurgi uterer. Aliquot igitur dies ibi consumpsi. Quare hesterno die Gardingam me contuli, ut ibi negotium sive causam tuam agerem, sed tempore inconvenienti. Nam fuit is dies decimus quintus judiciarius, ut hic appellatur. A multis igitur sumus impediti, ne colloqueremur, ut necesse fuit, quum et ipse Dominus Præfectus nobis intervenit. Constitui igitur proximo die Lunæ vel Martis eo redire et ea qua possum diligentia causam tuam agere. Et oro, ne mora hæc tibi molesta sit. De itinere Sleswicensi sententiam mutavi, propterea quod Husiæ diutius moratus sum et alioquin difficulter hoc tempore domo abesse possum. Vale, et conjugem nostro nomine saluta. Die 14. Novembris anno 1567.

Tuus Pistorius.

137

Johannes Pistorius til sognepræst Caspar Hackrod i Oldenswort,
15. november 1567.

Vidnesbyrd om en hollænder, Adrian Bouens, som i Tetenbüll har levet et hæderligt liv og afskyr gendøbernes sværmeriske meninger, og som nu flytter til Oldenswort.

367

Domino Caspari Hackrodio, pastori in Oldenswordt.

S. per Christum. Reverende pastor, Hollandus hic nomine Adrianus Bouens, frater Johannis Bouens, quem tu optime nosti, aliquandiu hic apud nos vixit, et quidem sine querela honeste et modeste. Ac quantum ad religionem attinet, non aliud scio, quam quod sincerus sit et ab anabaptisticis et swermericis opinionibus abhorrens. Testimonium hoc, cum intelligam ipsi eo apud vos, ad quos migraturus est, opus esse, petenti honeste denegare non potui. Vale. Die 15. Novembris anno 1567.

Tuus Joh. Pistorius.

138

Johannes Pistorius til sognepræst Matthias Prætorius i Osterhever,
16. november 1567.

Angående nogle bøger, som den ene har lånt den anden, bl.a. bøger om besværgelser og sandsigeri.

368

Domino Matthiæ Prætorio, pastori in Osterhever, amico et compatri suo dilecto.

Reverende D. compater, mitto ad te puerum meum, ut libros meos recipiat et ad me perferat. Quare si eis usus es, quæso, ut ipsi tradas. Remitto tibi tuum librum, videlicet Milichium de incantatione, cujus operam et industriam probò, quamvis ex D. Peuceri libro de divinatione multa mutuatus sit. Cuspinianus vero tuus adhuc apud me manet et bene custoditur. Vale, et conjugem nostro nomine officiose saluta. Die 16. Novembris anno 67. Tuus Joh. Pistorius.

139

Johannes Pistorius til samme, Tetenbüll, 9. marts 1568.

Pistorius' hustru har født ham en søn, en anden Theodor, og Prætorius med hustru indbydes til barnedåb den følgende dag.

Domino Matthia Fratorio, pastori in Osterhever, amico.

S. per Christum. Reverende d. compater, postridie cum a nobis discessisti, conjunx mihi peperit filiolum,* quem juxta institutum et mandatum Domini nostri Jesu Christi crastino die curabimus baptizari. Obnixè igitur te oro, ut quemadmodum tempore luctus nostri nos invisisti et consolationi fuisti (qua in re immortale nobis tum præstisti beneficium), ita et nunc tempore gaudii nostri nos una cum honestissima conjuge tua invisas idque minime intermittas. Aderunt nobis Dominus Volckwardus et D. Henricus, cum quibus familiariter colloqui et joculari poteris. Vicissim tibi gratificari semper me facilem habebis. Bene et feliciter vale. Ex Tetenbul 9. Martii anno 68.

Tuus Joh. Pistorius.

* I marginen er tilføjet: hic fuit Theodorus posterior.

140

Johannes Pistorius til sognepræst Arnold Muls i Welt, 9.marts 1568.

I sorgen over (den første) søn Theodors død har Gud den 6.marts igen skænket Pistorius og hans hustru en søn, som skal døbes den følgende dag. Muls med hustru indbydes til barnedåben. (Her er der altså pålidelig oplysning om Theodor Pistorius' fødselsdato.)

372

Domino Arnoldo Mulz Geldrio, pastori in Weltdt, amico suo singulari.

S. per Christum. Reverende et carissime d. compater, in luctu et mærore, in quo hactenus ob mortem longe dilectissimi filii nostri Theodorici versati sumus, misericors Deus nos respexit et iterum filiolo donavit, quem 6. die Martii carissima mea conjunx enixa est. Curabimus autem, ut die crastino juxta institutum et mandatum Domini nostri Jesu Christi baptizetur. Invitavi igitur, ut moris est, bonos aliquot amicos, et cum et vos in amicorum meorum numero, et quidem non infimo loco, habeam, rogo te, mi frater, ut una cum conjuge tua ad nos venire velis et, ut illo tempore fieri solet, una cum aliis amicis, qui nobis aderunt, te hilarem præbere. Non invisisti nos nec consolationi nobis fuisti tempore luctus nostri acerbissimi (quod amicum decuisset, et si tale tibi accidisset, a me minime fuisset prætermisum). Nunc igitur tempore gaudii nostri nos accedas obnixè oro. Aderunt nobis d. Volckwardus et d. Henricus. Ego quid cogitem, nescio; videris te a nobis alienare et fortassis me habere suspectum in causa illa. Sed testor Deum καρδιογνώστην mihi injuriam fieri et me, quicquid consului, sincero et bono animo consuluisse. Bene et feliciter vale cum omnibus tuis. 9.Martii anno 68.

Tuus Joh. Pistorius.

141

Volquard Jonæ, Garding, 17.maj 1568.

Pistorius bedes den følgende dag komme til Garding til en samtale om en vigtig sag angående menigheden, som ikke tåler opsættelse. Jonæ's 'affinis' Jacob Bergelen vil også være til stede. (Heraf fremgår, at provsten i brev nr. 132, som formodet der, er Jonæ.)

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio S.D.

Reverende frater et compater, cum nuper hic esses, volui tecum loqui de rebus ecclesiam meam concernentibus, sed Dominus Præfectus N. N.* nostrum colloquium importunis potationibus impedivit. Cum autem res sint non parvi momenti et moram etiam ferre non possint, sumnopere oro, ut, si domo abesse potes, cras ad me sub prandium venias. Advenit hoc vespere affinis meus M. Jacobus Bergelen, quem consultationi et colloquio nostro interesse cupio; itaque iterum oro, ne velis abesse. Promitto tibi vicissim mea officia. Vale, et saluta conjugem et liberos. Gardingæ die Lunæ post Dominicam Cantate anno 68.

* Sivert Sivertsen, hvis skamløse drikkeri vel har været årsagen til, at han ikke kunde forvalte sit embede ordentligt og ti år senere blev afsat.

142

Sognepræst Peter Bokelmann, Husum, 9.juli 1568.

Bokelmann går i forbøn for den stakkels Marina, som i Pistorius' sogn har voldt offentlig forargelse, men nu er bedrøvet over ikke at kunne komme til den hellige nadver. Pistorius bedes sørge for, at hun bliver forligt med menigheden i Tetenbüll; når Bokelmann får meddelelse om, at dette er sket, vil hun med glæde blive modtaget som medlem af hans menighed i Husum.

15

Petrus Bokelmannus, pastor Husensis, Johanni Pistorio S.D.

Reverende frater, Beatus Augustinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 37. præclare et graviter inquit ecclesiasticam disciplinam non negligi a constantibus, diligentibus et prudentibus dispensatoribus Christi, ubi crimina ita manifestantur, ut nulla possint probabili ratione defendi. Id quia ab omnibus non ita consideratur, et ne quidem ab illis, quorum officium erat, ut utriusque clavis usum (quia Christus non minus ligantem quam solventem instituit et in die judicii non minus de illa quam de hac, quomodo nimirum a pastore administratæ sint, rationem poscet) passim et in omnibus ecclesiis promoverent, fit, pro dolor, ut sæpe contra Christi severissimum præceptum sanctum detur canibus et margaritæ (vestræ inquit Christus) ante porcos projiciantur. Cum igitur constet te istam negligentiam non probare, et hæc misera, Marina, publico scelere in tua parochia se contaminarit ac isto facto multos offenderit et nunc serio doleat, quod ab eo tempore ad sacram synaxin non sit admissa, non gravatim pro ea apud te, carissime frater, intercedo et per communem Dominum oro, ut causam ejus agas, quo ecclesiæ tuæ offensæ reconcilietur. Nosti enim veteres canones ita statuisset et æquitatem id pie postulare, ut ubi quis peccat, ibi de scandalo ecclesiæ satisfaciatur. Quando ego per literas certificatus fuero eam a vobis receptam, nec causas fuisse, cur rejiceretur, tunc cum gaudio (una cum angelis Dei) et ego permittam, ut inter membra hujus ecclesiæ percenseatur et Christi beneficiis nobiscum in posterum fruatur. Vale, mi carissime frater, et conjugem tuam ex me amanter saluta. Datæ Husiæ 9.Julii anno 68.

Magister Erasmus Heithmann (Rasmus Heinsen), kannik i Slesvig,
Slesvig, 12. september 1568.

Indbydelse til Heithmanns bryllup med afdøde Bernhard Frodtsens datter
Ingeborg i Husum den 4. oktober.

16

M. Erasmus Heithman,; canonicus Slesvicensis, d. Johanni Pistorio,
veteri suo amico, S.D.

Testantur literæ sacræ, et res ipsa docet, conjugium et ordinationem
divinam et benedictum esse, non tantum fecunditate generationis ut
superesset posteritas, cui suam sapientiam, justitiam ceterasque
virtutes et lætitiæ denique omnem et in æternum durantem Deus com-
municaret, quæque vicissim Dei opera admiraretur et prædicaret ipsum-
que coleret et glorificaret, verum etiam ut uterque sexus mutua bene-
volentia sibi obstrictus sancta, placida et amica societate frueretur
suavique harmonia mulier viro in omni pietate fida esset adjutrix et
in laboribus ærumnisque, quæ hunc statum comitantur, dulce solamen.
Consilium autem Dei inprimis hoc loco admirandum est, quod in crea-
turis rationabilibus angelorum agmina simul condiderit, nec est in
ea natura propagatio, homines vero aliter condiderit, in quibus pro-
pagationem a paucis esse voluit. Unde duos initio creavit, inter
quos castum matrimonium instituit; ordinem et leges in copulatione
unius maris et unius foeminæ indissolubili his verbis sanxit: Erunt
duo in carnem unam; et vagas incestasque libidines prohibuit: Relin-
quet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ. Hunc sacrosanctum
et divinum ordinem, humani generis fundamentum, Diabolus, naturæ
humanæ ordinisque divini hostis, multis modis foedare atque labe-
factare conatur, verum Deus, qui casti matrimonii et auctor et in-
stitutor est, quique illud principium humanæ societatis gradum esse
voluit, ordinem suum turbari haud sinit, quin imo illum adversus
Satanæ machinationes tuetur, conservat et gubernat. Hinc est, quod
Deus nunc quoque non uni multas, sed suam cuique adducit conjugem,
sicuti in principio Evam Adamo copulavit et Rebeccam Isaaco, Rahelem
Jacobo, Saram Tobia conjunxit, adeo etiam ut ne nunc quidem sanctæ
concilientur nuptiæ neque conciliatæ prospere succedant, nisi Deum
habuerint pronubum, qui mediis ordinariis eos copulat, quos ipse
antequam nascerentur conjunxit. Connubia enim fatalia esse etiam
vulgari proverbio receptum est. Ex hac divina ordinatione, quod
felix, faustum et salutare sit, factum esse indubitate statuo, quod
honestæ virgo Inburga, præstantis viri Bernhardi Frödtsen pie de-
functi filia, Husiæ ex præclara familia nata, consilio et consensu
eorum, quorum interest, mihi legitime desponsata sit, cum qua nup-
tias, Deo favente, publico receptoque ecclesiæ ritu die Lunæ post
instans jam Sancti Michaëlis festum, qui erit dies 4. octobris, Husiæ
celebrare constitui, cum ut novis conjugibus in conspectu ecclesiæ
juxta laudabilem ecclesiæ consuetudinem publicis precibus benedicatur,
tum vero ut decus casti conjugii veterem suam reverentiam obtineat.
His autem Tuam Reverentiam tanquam singularem et veterem meum et
fautorem et amicum cum honesta tua conjugæ et liberis interesse
magnopere cupio, et ut adesse velitis, vos amanter invito juxtaque
obtestor, ut præciso omni excusationis prætextu pridie nuptiarum
Husiæ compareatis et in sequenti die Lunæ nuptialem solennitatem in
honorem et mei et dilectæ sponsæ meæ vestra præsentia ornetis vosque
cum aliis dominis et amicis invitatis hilares in nuptiis meis

rebeatis. Proinde vos nobis in hisce gratificaturos confidimus, nos id omni officiorum genere promereri vicissim studebimus. His Tuam Reverentiam cum omnibus tuis tutelæ et patrocinio omnipotentis Dei commendo. Dabantur Slesvici 12. Septembris a nato Christo anno '68.

144

Volquard Jonæ, Garding, 24. september 1568.

Efter superintendentens opfordring bedes Pistorius straks komme til Garding for at høre Jonæ's mening om en lille forseelse, for derpå at sende en indberetning til superintendenten. Pistorius må meddele sin kapellan, at han ikke selv kan prædike i sin kirke den følgende søndag, da han den dag skal give møde hos superintendenten.

17

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio suo S.D.

Carissime frater ac compater, heri accipi literas a Domino Superintendente, quibus inter alia petit, ut te huc vocem et tibi meam sententiam de quodam noto offendiculo exponam, quo tu rursus ad Ipsius Reverendam Dignitatem referas, quod ex me audieris. Itaque oro, ut statim huc venias et me coram audias. Ego quia hac nocte vehementissimum habui paroxysmum, pluribus scribere de offendiculo hic orto non possum etc. Hoc etiam te scire volo, quod die Dominica in tua ecclesia contionari non possis, ut de eo collegæ tuo mature indicium facias. Nam oportet te eo die Reverendo D. Superintendenti adesse etc. Bene vale cum uxore et liberis. Gardinga anno 68 die 24. Septembris.

145

Johannes Pistorius til sognepræst Volquard Jonæ i Garding,
Tetenbüll, 18. januar 1569.

Pistorius sender Jonæ noget, Major har skrevet, som han med tilside-sættelse af alt andet har læst og er aldeles tilfreds med. Han er overbevist om, at hvad Major skriver om Flacius og hans følgesvende, er sandt. Angående gode gerningers nødvendighed henviser han til, hvad han i Wittenberg har hørt både af Major og Melanchthon. I øvrigt vil han gerne låne kirkeordinansen for Lüneburg.

373

Reverendo viro, virtute et eruditione præstanti D. Volckwardo Jonæ,
pastori Gardingensi, amico suo præ ceteris colendo.

S. per Jesum Christum. Reverende et carissime frater, remitto tibi scripta D.D. Majoris, quæ statim ut accepi, sepositis aliis negotiis, magna cum aviditate legi, et mihi perplacere. Non dubito autem, quin quæ de Illyrici et manipularium ipsius studiis et conatibus commemorat, verissima esse, videlicet ipsos sub prætextu et titulo nominis Lutheri et specie singularis zeli dominatum et prætoriam potestatem in ecclesias, cum suas, tum alienas, quæsi visse, ad quem ut pervenirent viperino plane morsu matris suæ alvum corroserunt, initio sparsis somniis, fabellis, rumusculis, mox vero et calumniis ac mendaciis manifestis, quibus ecclesiarum et academiæ consensus atque auctoritatem labefactarunt atque dissolverunt. Quod ad propositionem de necessitate bonorum operum attinet, propter quam mirum in modum hostiliter D. Majorem hactenus exagitarunt, videtur mihi ipsum plane

quid sentiat hic rursus confiteri ac eam damnare et profiteri se ea nunquam usum aut usurum unquam deinceps, ac provocare etiam suos Aristarchos, imo calumniatores, ut probent et demonstrent, ubi eam ita proposuerit, ut docere voluerit Origenicam et papisticam synecdochen opera cum fide mereri remissionem peccatorum et esse causam justificationis coram Deo. Aut igitur probent, aut desistant conviciando et turbando ecclesiam et pios viros. Ego memini, quo tempore Witebergam literis operam dedi, et D. Majorem multoties pie et orthodoxe tanta perspicuitate de toto beneficio redemptionis et salvationis nostræ publice in templo et schola disseruisse, ut Flacius cum omnibus suis manipularibus non majore possit, etiamsi se rumperet, et D. Philippum Melanthonem, præceptorem nostrum, sancta et perpetua memoria colendum, publice aliquot milibus audientibus dixisse de hac eadem propositione hæc verba: Ego nunquam sic sum locutus nec unquam, volente Deo, sic loquar, nec ulli ero auctor, ut in ecclesia sic loquatur. In his ego acquiesco, et quicquid contra Flacius, Gallus, Heshusius, Wigandus, Westphalus, Spangenbergius, Irenæus, et si qui sint alii, de corruptelis doctrinæ coelestis per Melanthonem et Majorem admissis vel commissis obstrepant et vociferentur, virulentas et diabolicas esse calumnias statuo, ac cum ipsis piis et sanctis viris, præceptoribus meis, sentio et assero justitiam ex sola Dei misericordia nobis provenire, offerri in Christo, idque per evangelium, et sola fide citra operum meritum percipi. Sed de his satis. Habeo autem tibi, mi d. frater, magnam gratiam, quod has pagellas ad me miseris et mihi communicaveris, et porro te oro, ut etiam ordinationem ecclesiasticam ducatus Luneburgensis mihi commodes et cum hoc puero meo ad me mittas. Cupio illam perlustrare, et post biduum aut triduum ad te remittam. Vale, et conjugem nostro nomine officiose saluta. Datæ in Tetenbul 18. Januarii anno 69.

Tuus Joh. Pistorius.

146

Volquard Jonæ, Garding, 8. marts 1569.

Jonæ beder om at få et calendarium (han har glemt, hvem der har forfattet det) tilbage, ligeledes Ebers Calendarium (historicum), hvis Pistorius har det, og desuden amtmandens 'Dat Regenten Boeck'. Hans helbred er vaklende, hans venners troskab ikke til at stole på; han ønsker at komme bort fra Garding.

18

Volquardus Jonæ Johanni Pistorio suo S.D.

Reverende et dilecte frater ac compater, hunc puerum ad te ablegavi, ut repetat et afferat meum calendarium (auctoris nomen mihi excidit; puto autem librum, in quo annotata sunt paucis verbis acta multorum magnorum virorum). Oro, ut mihi eum remittas et simul Calendarium Eberi, si habes. Nam constitui ex Ebero quædam annotare in meum, si modo per valetudinem possem. Peto etiam, ut mihi remittas librum Domini Præfecti de politico regimine, vulgo Dat Regenten Boeck, quem tibi ante annum commodato dedi, item orationem recitatam in funere Reginæ et, si quid præterea habes, quod meum est. Valetudo mea adhuc plane incerta est, et quia fides etiam amicorum plane incerta est, varia Indies mente revolvi. Spes mea tamen est in Domino Deo, qui me hactenus mirabiliter rexit, protexit et servavit; si ipsi placuerit, etiam me ex hoc loco educet et transferet in alium. Bene et feliciter vale cum uxore et liberis. Scripsi Gardingæ anno 69 die Martis post Reminiscere.

141

Johannes Pistorius til søgnepræst Volquard Jonæ i Garding,
Tetenbüll, 21.marts 1569.

Pistorius sender Spangenberg's katekismus. Han har i længere tid af forskellige grunde ikke besøgt Jonæ og har nogle dage været i Lübeck sammen med sin svoger Johannes Hoyer, men forsikrer Jonæ om fortsat venskab og håber, at de snart ses igen.

374

D. Volckwardo Jonæ, pastori Gardingensi.

S. Reverende et carissime frater, Spangenbergii Catechismum, quem admodum nuper, cum tibi adessem, et nunc iterum petisti, ad te mitto et oro, ut ignoscas, quod antea non miserim. Nulla alia de causa id factum est, quam quod cogitaverim te non admodum, et quidem tum statim, illo indigere, alioqui sequenti die eum misissem. Et si quid aliud apud me est, quo uti volueris, libere id exigit. Quod vero tanto tempore vos non inviserim, accidit ob varias occupationes, et proximis hisce aliquot diebus peregre profectus cum affine meo Johanne Hoyero Lubecam domo abfui. De nihilo igitur est, et falleris errasque longe, si de animo in te meo (ut ex literis apparet tuis) benevolo suspicionem alueris. Profecto nulla hora abiit, quin de te rebusque tuis amice cogitaverim. Sed spero me brevi ad te venturum, vel tu saltem ad me excurras, et tunc me coram videbis, audies ac experieris antiquum vel veterem, id est sincerum amicum tuique studiosissimum. Datæ in Tetenbull 21.Martii anno 69.

Tuus Johannes Pistorius.

148

Hans Laugesen, Ribe, 5.maj 1569.

Laugesen har i to år ikke fået brev fra Pistorius. Han har det, på trods af de sørgelige tilstande, nogenlunde. Krigen fortsætter, og det får svenskerne skylden for. Den 15.maj skal der afholdes lands-ting i Viborg; kongen kommer også. Erik Hardenberg har det godt og har den 2.januar været til barnedåb hos Mourids Podebusk; han sender hilsen, og Laugesen opfordrer Pistorius til snart at aflægge et velkomment besøg hos ham og ved den lejlighed også at komme til Ribe. Rasmus Sørensen er den 20. oktober 1567 stukket ned af en adelsmand, som kort efter af Gud, den retfærdige dommer og hævner, blev straffet med at dø af svindsot. Andreas Barsbøl har det godt. (Christian) Lange er stadig ved hoffet; han er blevet prælat som Anton Bryskes efterfølger i kantoriet. Laugesen selv er blevet Johannes Grundiths efterfølger i kannikeembedet og fortsætter i øvrigt med at undervise ungdommen; han har også fået præsteembedet i (Vester) Vedsted. Georg Boëtius (Jørgen Boie) er død i Haderslev den 1.maj.

19

M. Johannes Lagonis d. Johanni Pistorio suo S.D.

Reverende vir, amice et frater in Christo carissime, biennium præterit, quo ultimo abs te literæ mihi redditæ sunt. Nunc cum hic tabellio, qui meus erit parochianus, suam mihi operam obtulit, ut literas meas ad te perferret, nolui, quamvis occupatissimus, intermittere, quin eas ipsi darem, cum πολλὰς φίλτας ἢ ἀπροσηγορία δι-έλωσεν. Vivo adhuc, sit gratia Deo, cum uxore et liberis, ac in hoc tristi rerum nostrarum statu ac exitiali bello mediocriter valeo.

Nil magis est in votis meis, quam ut et tu ex animi sententia cum uxore et liberis vestris optime valeatis. Bellum hoc turbulentissimum nondum est sopitum. Pendent enim adhuc res nostræ cum Suecis. Nos omnes expectabamus lætissimam catastrophem, sed vulpina Suecorum astutia nobis os oblinivit* adeo ut, proh dolor, in dubio eventu hæreamus. Dominus Deus pro sua immensa bonitate et clementia dissipet gentes, quæ bella volunt. Denuo colligitur et conscribitur exercitus nauticus et terrestres. Dominus Deus misereatur tandem nostri et mitiget impendentes calamitates et miserias. Indicta sunt comitia, quæ Viburgi celebrabuntur 15. Maji, mensis currentis; ad ea convenient omnium ordinum homines ex Cimbrica hac Chersoneso, simulque Regia Majestas ibi comparebit. Filius Dei, qui verus est Patris consiliarius, regat consilia et eventus det felices. Amen. Dominus Ericus Hardenbergius, singularis noster amicus, recte vivit ac valet et fuit hic postridie Circumcisionis Domini ad baptismum infantis Domini Mauritii Poddebuschii; conveni ipsum tuique fecit mentionem honorificam ac voluit, ut te ipsius nomine salutarem, si forte occasio ad te scribendi mihi daretur. Ego sum tibi hortator, ut comprimis ipsum invisas; sat scio eris illi et gratissimus et exoptatissimus. Quod si tentaveris, rogo hac transeas; tum vel me comitem tibi præbebo, vel mutuo colloquemur ac recolemus ea, quæ in communi studiorum nostrorum cursu contigere. Testor Deum me sæpissime cum magna voluptate recordari necessitudinis et familiaritatis nostræ, quæ fuit in communibus studiis primum Haffniæ, deinde Wittebergæ. Hæc ut porro duret et in æternitatem, volo et singulariter a te peto, imo hanc neque mors, neque ulla locorum distantia disrumpat. D. Erasmus Severini, amicus noster antiquus, 20. Octobris anni 67 a nobili quodam confossus subito cum omnium nostrum summo dolore exspiravit; nobilis iste paulo post in phthisin incidit et interiit. Ita Deus judex et vindex justus est. D. Andreas Barsbullius recte vivit et fere antiquum obtinet. Langhii noster in aula adhuc moratur; factus est hic magnus dominus prælatus, successit enim D. Antonio Bruesck in cantoria ecclesiæ hujus ac salutatur Dominus Cantor et Canonicus. Ego quoque (quia de me etiam aliquid audire aves) piæ memoriæ viro Domino Johanni Grundith, pastori nostro, successi in canonicatu ac in antiquis pulveribus hæreo instituendo pro modo mihi a Deo dato hanc juventutem in pietatis initiis, ac præterea habeo extra civitatem parochiam Vidstede, proxime in vicinia hic sitam. Haderslebiæ ipsa Dominica Jubilate proxima, quæ erat 1. dies Maji, superatis tandem miseriis hujus vitæ in Domino placide obdormivit M. Georgius Boëtius. Dominus Deus consoletur relictam viduam cum suis orphanis. Hæc, mi frater, volui tecum in his meis occupationibus communicare, nec vacat plura alioqui scribere propter nuntium festinantem, ut qui ex improvise sese mihi obtulit. Oro autem, ut de rebus tuis vicissim ad me scribas et salutes meo nomine ibi omnes mihi notos, in primis vero conjugem tuam dilectissimam et liberos vestros, quos, volente [Deo], propediem videbo, quod maximopere cupio. Bene et feliciter vale cum omnibus tuis. Raptim Ripis 5. Maji anni 69.

Johannes Pistorius til Hans Laugesen, Tetenbüll, 1569.

Tak for ovenstående brev af 5. maj med alle nyheder, som Pistorius knytter sine bemærkninger til. Han spørger om Johannes Højne og Matthias Carolinus, håber i øvrigt, at han kan komme til Tønder marked og der træffe Laugesen. Skulde han ikke kunne komme, men

Laugesen alene, vil denne i Tønder træffe to af Pistorius' svogre (slægtninge?), som bor hos byskriveren Anton Clüver og kan tage ham med til et besøg i Tetenbüll. Pistorius er og forbliver nok landsbypræst.

342

Reverendo Magistro Johanni Lagonio Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum, mediatorem et redemptorem nostrum. Reverende D. Magister, amice integerrime ideoque perpetua a me fide colende, literæ tuæ 5. Maji scriptæ postea decimo ejusdem mensis die ad me perlatæ sunt, quæ quam mihi acceptæ fuerint, profecto scribendo, nedum dicendo assequi satis non possum. Vere igitur et ex animo ingentes tibi habeo et ago gratias, quod non gravatus sis de tuo et aliorum familiarium statu me certiozem reddere. Nam cum ex eo tempore, quo primum inter nos amicitia contracta est, te semper vere amaverim et plurimi fecerim tuque vicissim amanter me complexus quam plurima humanitatis officia et beneficia mihi præstiteris, merito res tuæ mihi cordi fuere et adhuc sunt ac erunt, quoad vixero. Ideo ut sæpissime desideravi scire, quis rerum tuarum esset status, ita magnæ nunc mihi fuit voluptati cognoscere ea, quæ maxime velim ac cupiam.

Quæ de aliis narras, partim me non parum exhilararunt, partim vero contristarunt. Nam Langio bene esse et honoribus ac opibus auctiorem redditum lætor, et opto illi omnia prospera. Barsbelium et recte valere ais et antiquum fere obtinere; Deus faxit, ne in pejus degeneret. Severinum nostrum adeo miserabiliter nobis ereptum admodum doleo. Sic omnia sunt hominum tenui pendentia filo, et subito casu, quæ valere, ruunt. Ἄλλὰ οὖν τῷ θεῷ πᾶς γελᾷ καὶ ᾠδύρεται, ut Sophocles sentit, μένει δ' ἕκαστον τοῦθ' ὅπερ μέλλει παθεῖν. Nihilominus memores simus admonitionis Christi: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem, item Divi Pauli regulæ: Milita bonam militiam et retine fidem et bonam conscientiam. Vellem autem, mi frater, ut nobilis istius, a quo confossus est, nomen mihi indicasses. Ante quadriennium (ni fallor) bonus hic noster Erasmus ad me scripsit et Germanicis subinde utens verbis amice et familiariter jocatus est et simul (quemadmodum et tu nunc quoque facis, mi frater) ad nundinas Tunderenses me invitavit, scribens te etiam ibi adfuturum. Sed spero ipsum in Domino mortuum et in requie nunc esse ac in novissimo die cum omnibus piis et electis resurrecturum ad vitam et gaudia æterna. Amen.

Imprimis vero quod de Hardenbergio meo refers, videlicet ipsum recte vivere et valere, animo præ gaudio gestienti legi. Misericors Deus faxit, ut quam diutissime nobis sit superstes et pietatem ac virtutem (ut vere nobilem decet) colat, nec hujus seculi et vulgarum nobilium mores induat ac imitetur, quod ipsum, qua est naturæ bonitate, sedulo conaturum non diffido. Nam ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσθη ἔχει φύσιν. Sed quemadmodum hortaris, mi frater, quam primum potero ipsum invisam et istuc, ut vis, transibo, quo tu mihi ad ipsum ductor et comes sis. Tunc quoque, ut mones, ante acta nostra studia et negotia, cum seria, tum jocosa, inter nos in memoriam revocabimus et de iisdem tractabimus. Equidem sæpe hoc unicum ingemisco, quod longius ab invicem remoti vivamus, quod non interdum convenire et de communibus studiis et iis, quæ ad ecclesiam spectant, inter nos conferre possimus, sed ut quimus, quum, ut volumus, non licet. Et quo nos fata trahunt retrahuntque, sequamur. Nihilominus tamen vel de hoc inter nos convenire et aliquid statuere possimus, videlicet ut quotannis in

nundinis Tunderensibus simus et colloquamur. Nam vere Euripides dixit: Ὅμματα εὖνου φωτὸς βλέπειν γλυκύ. Et quam vere a Divo Basilio dictum sit: Πλέον ἡμεῖς τῆς ἐνδὸς ἐκάστου τῶν ἀδελφῶν ἐπικουρίας δεόμεθα ἢ ὄσον ἢ ἐτέρα τῶν χειρῶν τῆς ἐτέρας, hoc est, singulis magis opus esse fratrum ope et auxilio, quam sinistra opus est dextra, ipsa experientia docet. Amo et amice complector omnes Danos et imprimis συμφοιτητὰς meos, utpote quibus non tantum propter communia studia, sed ob multa beneficia, quæ mihi exhibuerunt, obstrictus sum. Nam post Deum inclitæ Daniæ acceptum fero quicquid sum et habeo. Doleo igitur et sæpe conqueror, quod diuturno et exitiali bello implicata est; Deus illam liberet. De Johanne Hoyno quid actum sit, vivatne et ubi locorum et quibus nunc moribus, an vero defunctus sit, scire cupio, item cum Domino Matthia Carolino quomodo agatur, cujus ingenium practicum et plane ad artem pictoriam inclinatum miratus sum, quique, si voluisset, tabulas cosmographicas et alia nonnulla instrumenta non infeliciter elaborare nobis potuisset. Sed de his, volente Deo, coram et quidem in proximis hisce nundinis Tunderensibus percontabor. Nam, cum scribis, mi Domine frater, te ad illas venturum, si ullo modo fieri potest, veniam et ego eo. Si vero id non fiet et tu adveneris, vehementer te oro, ut tantum laboris et molestiæ mea causa in te suscipias, ut huc ad me venias et me invisas. Invenies ibi in nundinis Tunderensium duos meorum affinium, quorum nomina sunt Jürgen Lather et Hans Thomschleger, qui tibi viam ad me huc commonstrabunt. Hospitium ibi habent apud scribam Tunderensem Antonium Cluver. Et tunc ipse coram rerum mearum statum cognosces. Ego sum et maneo et fortassis manebo pastor ruranus. Misericors Deus mihi concedat, ut sancta et grata ipsi dicam et faciam et sim σκεῦος ἐλέους, amen, cui te, mi Reverende Domine frater, cum omnibus tuis commendatum velim. Bene et feliciter in Jesu Christo diutissime vale. Datæ ex Tetenbull anno 69.

150

Jacob Hoyer, Husum, 21.maj 1569.

Jacob Hoyer, som fra Danmark er kommet på et kort besøg i sin hjemby, beder om undskyldning for, at han ikke har fået tid til at besøge Pistorius. Han beklager genoptagelsen af den dansk-svenske krig efter freden i Roskilde (18. november 1568), som den nye svenske konge Johan 3. ikke vilde anerkende. I øvrigt beder han Pistorius om, som hidtil, at tage sig af hans gamle og svage forældre.

20

Jacobus Hoyer Johanni Pistorio, affini et amico suo, S.D.

Minen bereitwilligen denst mit wunschung aller geluckseligen wolfhart thovornn. Gunstiger, lever Schwager, Nademe my dusse gelegenheit vorgefallen, dat ich aver all thovorsicht in iel anhero gelanget, hedde ich woll gemeint, yw in dem yuwen tho besoken und veler gelegenheit halven mit yw tho unterreden. Dewile my overst de tidt miner ruckreise so korth angesettet, dat ick ock mit minen Oldern vast weinich schaffen können und derwegen in iel wedder vorreisen mothen, bin ich darvan affgeholden und vorhindert worden. Iss derwegen min denstlich flitich bede, gy my dessfalss gar nicht verdencken edder einige argwanige gedancken daher schepffen wollen, der tröstlichen thoversicht, dewile yw de gelegenheit etwas bewust, gy werden darto vor yw umb so veel genegeder syn und alles an sinen orth stellen und also biss doher hernach der gunstige freundt und schwager sin und

bliven. So vele overst unsern thostandt in Dennemarcken anlanget, mach ich yw nicht vorholden, dat der langwariger schedlicher Kriegh, wiewol desulvige einmahl thom ende affgerichtet und verdragen, dorch nicht haltung des itz erwelden Schwedischen Konings Johansen, der den von beiderseitz Reichs Stenden und gesandten upgerichten, geschlatenen und versiegelden frieden schendtlich hindertagen und wedder thonichte gemaket, vast tho einem neuen jammer und schrecklichen verdarff Landt und lude, ock blutvergetung veles christlichen blutes uthsuhet, und wo Gott der allmechtige nicht sonderlich gnade verlehnen wert, gewisslich mit sich bringen wert, den, also tho erachten, de gemöther wegen solchen schendtlichen betrugs vast verbittert und thor rache geneget syn. Gott der allmechtige wende idt thom besten. Ditt ich yw vor duth mahl nicht vorholden willen mit denstlicher bitte, gy doch by diessen seltzamen leuften und thostande minen armen olden und schwachen oldern etwas, so vel möglich, mit thom besten sehen und helpen wollet, alss solchs dan biss her rhumblich von yw gescheen, und icks hinwedder tho verschulden jedertidt willig erfunden werden will. So werts ock Gott der allmechtige als ein belohner aller wolldade ricklich beleggen. Jw sampt juwer leven Huessfrouwen und kindern, de gy minent wegen flitich tho grothen, dem gnadenriken schutz Gottes empfelenDt. Datum Husum den 21. Maji anno 69.

151

Johannes Hamer, Husum, 15. juni 1569.

Hamer sender Pistorius et skrift med Flacianernes mening om kollokviet i Altenburg (21/10 1568 til 9/3 1569) sammen med Doctor Paulus' (von Eitzens) mening om det; samtidig giver han sin egen mening om Flacianerne til kende.

21

Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Carissime Domine Johannes, mitto tibi has pagellas, ut videas, quæ sit Flacianorum de Altenburgico colloquio sententia, item quid reverendus Dominus Doctor Paulus, postquam hæc legit, sentiat. Quæso, quando perlegisti, ut velis remittere. Oremus Deum, ut in his furoribus Flacianorum clementer nobis adsit et mentes ac corda nostra Sancto suo Spiritu regat, ut maneamus templa Dei, ne a veritate declinemus et in errores nobis et aliis perniciosos ruamus, nec (quod certe Flaciani faciunt) turbemus piam et salutarem concordiam, sed in vera fide eum agnoscamus, invocemus eique obediamus, imo militemus bonam militiam retinentes fidem et bonam conscientiam. Vale feliciter cum dilecta conjuge et liberis. Husiæ 15. Junii anno 1569.

152

Johannes Pistorius til en ikke navngiven præst, udateret.

Tak for det flacianske skrift. Det beklages, at stridighederne i kirken tiltager, hvorved den himmelske læres renhed fordunkles og modstanderne får anledning til at spotte os (den lutherske kirke). I denne sammenhæng nævnes den frafaldne Staphylus og den naragtige munk Surius. (Skønt hr. magisterens navn ikke nævnes, kan der næppe være tvivl om, at brevet er skrevet til Johannes Hamer som svar på dennes ovenstående brev med Flacianernes skrift om kollokviet i Altenburg; det er altså skrevet i eller kort efter juni 1569.

Reverendo N. Johannes Pistorius S.P.D.

Reverende Domine Magister, amico singularis, scriptum istud Flacianum tibi remitto et gratiam habeo, quod mihi communicaveris. Animadverto, ut dolet odia et dissidia concepta in ecclesiam augeri, ex quibus veritas et puritatem doctrinæ coelestis obnubilari ac adversariis nostris liberius nobis insultandi occasionem sive ansam dari necesse est. Experimur nunc, quam vere a Basilio dictum sit non tam sinistra opus esse dextra quam ecclesiæ concordia doctorum. Ideo reddet suo tempore Deo, justo judici, rationem, qui unquam turbata inter nos concordia auctor exstitit. Staphilus apostata et impudens scurra Surius monachus nihil habent, de quo magis adversus nos gloriantur, quam quod adeo, et quidem hostiliter, nos ipsos mutuo laceremus et alterum alter falsificata doctrinæ reum peragere conetur. Propter hoc (inquit etiam Basilius) rident homines profani, et imbecilles turbantur ac fides in dubitationem vocatur et ignorantia animis offunditur. Præterea muta fiunt ora piorum, et licentiam sibi sumunt linguæ blasphemæ ac profanant sacra. Denique sanior multitudo fugit loca ministerio docendi et precationi destinata tanquam impietatis officinas. Quid enim pia et sana mens subinde audiens de suggestu crepantem has voces: Adiaphoristæ, Synergistæ, Majoristæ, Philippistæ, Placentiner, Lischentreder, Temporizerer, cogitabit aliud quam non pietatis ibi officinam, sed impietatis esse, hoc est malevolentia, odii, et detentis pectus his affectibus vel vitæ æstuarum et exundare? Hi igitur sunt fructus et proventus conatum Flacii et complicum ipsius, et eo nunc, prohi dolor, res nostræ in vera ecclesia redactæ sunt. Sed quis satis demirari potest horum hominum effrenem malitiam, quod sanctissimi Præceptoris nostri manibus non parcant? de eruditione Domini Præceptoris nihil dicam, cum in confesso sit eam in omni doctrinarum genere fuisse summam, sed et alias ipsius virtutes et dotes memori et grata mente et voce prædicemus. Vixit vitam, si quis alius, maxime inculpabilem, pietate fuit ante alios omnes summa, in precationibus assiduus et ardentissimus, id obnixè et indefesse studuit, ut gloriam Dei promoveret et ecclesiæ utiliter serviret discentiumque studia proveheret; testantur hæc monumenta ipsius et omnes, qui ipsum rectius noverunt et cum eo familiariter conversati sunt. Cum autem apud omnes in toto orbe æternam laudem et gratitudinem promeritus sit, quo loco hos, qui ab insectando ac calumniando eum sibi non imperant nec abstinere, censebimus? Certe nec Illyricus, nec ullus ejus complicum, etiamsi omnes virulentis ingenii vires intenderint et ad rabiem usque debacchati et vociferati fuerint, mihi persuadebunt Præceptorem nostrum ex proposito et malitiose minimam doctrinæ ecclesiæ partem voluisse falsificare et depravare aut aliquid docuisse, quod manifeste a norma præscripti verbi divini recedat. Idcirco nec Illyricus cum omnibus suis, nec omnes diaboli libros Domini mei Philippi ut erroribus plenos mihi reddent suspectos aut manibus excutient, sed quanto magis isti mastiges in eos debacchabuntur et damnabunt, tanto mihi erunt cariores; in his et cum his ego errare malim, quam cum malitiosis istis horridum quid sapere. Deus misereatur ecclesiæ suæ et mitiget calamitates nostras. Vale.

153

Paul von Eitzen, Slesvig, 3. juli 1569.

Eitzens økonom Johannes har fortalt, at kapellanembedet i Tetenbüll bliver ledigt, og Eitzen anbefaler ham til Pistorius. (Dette er imid-

lertid ikke blevet tilfældet, da Pistorius i brev nr. 181 fra begyndelsen af 1573 siger, at hans kapellan (Egidius von Meldert) er gået andetsteds hen omkring Mikkelsdag 1572.)

22

Paulus ab Eitzen, Sacrae Theologiae Doctor et Superintendens
Slesvicensis, Joh. Pistorio S.D.

Carissime frater, indicavit mihi Dominus Johannes, oeconomus noster, quod sacellanus vester sit discessurus. Commendo itaque tibi hunc virum et peto, si adhuc vacat condicio, ut eum adjuves. Spero enim, quod ita tecum ecclesiae serviet et fraternam conjunctionem colet, ut vestra conjunctio sit futura Deo grata, ecclesiae utilis et vobis jucunda. Ego illi hoc testimonium tribuo, quod honeste apud nos vixerit; doctrina et donis semetipsum commendabit. Bene vale. Ex Slesvico anno 69 feria 2. post Visitationem Mariae.

154

Georg Selmer, Ostenfeld, 13. september 1569.

Pistorius indbydes til at være fadder ved Selmers tiende barns dåb og til at komme med kone og børn.

23

Georgius Selmerus, pastor in Ostenfeldt, Johanni Pistorio suo S.D.

Disjuncti quamvis sumus, mi Domine Johannes, loco tali, ubi convenire alter alterum raro datur, et saepius esse propiores nos optavimus, consuetudinem inter nos pristinam ut liceret exercere, id quod cum pro optione cadere non potest, quare data mihi occasione nunc te me invisendi, non possum non per illam te veterem familiarem meum vocare, ut fiat renovatio amoris et amicitiae nostrae. Benedixit Dominus me et conjugem meam nunc dena vice prole eaque mascula, quam regenerandam postridie Lamberti, die nimirum 18. Septembris, in animo, favente Deo, habeo, ut particeps regni caelorum fiat. Qua benedictione a Domino data solent multi consanguineos et affines suos rogare, ut baptismo adsint, ea occasione gratum faciant, quam consuetudinem ego improbo, nec sequutus hactenus, nisi invitus, sed solitus petere alios, quorum honestas, pietas et probitas perspecta est, illos nempe in meam et nati necessitudinem pertrahendo. Quapropter rogatum te volo, quem fratris loco semper colui, amavi et adhuc amo, ut susceptor ad baptismum nati mei esse velis, ut amicitiae inter nos ab incunte aetate inviolate cultae sit confirmatio. Spero haud gravatim te hac in re mihi exhibiturum compariturumque cum uxore et liberis ad praenominatum diem vespereque ejus diei adfuturum et peracto baptismo in aede sacra in aedibus meis hilarem cum bonis amicis te praebiturum, cujus officii non ero immemor nec ingratus. Vale feliciter, et nostro nomine costae tuae salutem annunties rogo. Data in Ostenfeldt anno 69 die Martis post Nativitatis Mariae.

155

Johannes Hamer, Husum, 23. december 1569.

Pistorius' søsters mand har fremsat grundløse og ærekrænkende beskyldninger mod sin svoger, som denne kunde imødegå med mange ord, men Hamer råder ham til ikke at gøre det skriftligt; det er sikrere at gøre det mundtligt i gode mænds nærværelse. Hamer har i denne sag

gjort, hvad han kunde, men svogeren er helt umedgørlig. (På grund af placeringen i håndkriftet er årstallet opfattet som kalenderåret.)

M. Johannes Hamerus, verbi divini minister Husiæ, Joh. Pistorio S.D.

Reverende Domine Johannes, Præceptoris nostri Domini Philippi sanctæ memoriæ dictum est, ut nosti: Sperare vitam, in qua nemo in te incurrat, insania est. Ne igitur insanire videamur sperantes meliorem fortunam quam ipsius Christi, apostolorum et sancti illius Viti fuit, æquo animo omnia erunt ferenda. Posses et tu multis verbis ad injustitiam et injuriam affinis tui respondere, sed tibi hortator sum, ne hoc scripto et literis facias. Nihil scribi potest tam dextre et circumspecte, quin astutissimi et impudentissimi calumniatores (qualis est tuus iste) inde occasionem calumniandi arripere possint. Dabitur alia occasio multo commodior coram et in præsentia quorundam bonorum virorum ad ipsius calumnias respondendi. Ego quæ mihi in mandatis dedisti, qua potui diligentia curavi, sed hoc, quod volebam, non sum assecutus, ut videlicet controversia ista dirimatur et pristina concordia locus detur. Animus ejus ita erat exacerbatus, ut nihil mearum admonitionum admittere voluerit. Imo, ut postea ex matre tua cognovi, turpiter domum rediens, quæ ego ex literis tuis legi, reprehendit et me quoque ista pro ludibrio habuisse uxori suæ, sorori tuæ, persuadere conatus est. Adeo nequiter omnia, quæ ego pio et candido animo locutus sum, accepit et pervertit. Sed valeant ista, et cogitemus veterem hunc mundi morem esse, cui nos constanter et prudenter reluctari decet. Animemur dulcissima Christi, Domini nostri, consolatione Matthæi 5: Beati estis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Interim impius iste nebulo inultam non feret impudentem istam calumniandi proterviam, sed poenas sua impietate dignas justo tempore Deo dabit. Reliqua, cum convenerimus. His cum dilecta conjuge et liberis dulcissimis felicissime vale, et precor vobis omnibus felix et faustum hujus novi anni auspiciam. Adsit nobis Dominus et regat nos Spiritu suo Sancto. Amen. Husiæ 23. Decembris anno Christi 1569.

156

Johannes Pistorius til to ikke navngivne præster,
Tetenbüll, 20. januar 1570.

Begge breve nævner Pistorius' lille datter Rebeccas død og hans egen katarr og hoste, som forhindrer ham i et personligt besøg. I det første brev omtaler han noget om kollokviet i Altenburg og Jacob Anders bestræbelser, som han har givet til Johannes (Albers) i Vollerwiek og bedt ham give videre til den kollega, brevet er skrevet til, antagelig en nabopræst; Pistorius beder om at få det tilbage og sender samtidig en bog ved (Petrus) Lombardus. - I det andet brev beder han adressaten om at besøge ham og medbringe, hvad han af skrifter har fået af Pistorius. (Begge breve er skrevet samme dag, skønt det første har årstallet 1571, det andet 1570; når det første er rettet til 1570, er det fordi det nævner kollokviet i Altenburg 1568/69.)

Reverendo N. Johannes Pistorius S.P.D.

Reverende Domine Compater, ante aliquot septimanas Gardingæ fui, ubi cum me conveniret Dominus Johannes, pastor in Fullerwiek, et apud me haberem scripta quædam de colloquio Altenburgensi ac de legatione et conatibus D.D. Jacobi Andree; communicavi et tradidi ea ipsi et quidem ea conditione, ut cum perlegisset, ad te statim transmitteret. Cum autem non dubitem, quin id factum sit, et te quoque omnia perlegisse, igitur hunc puerum ad te mitto, ea ut repetat ac ad me referat. Et simul tibi Lombardum mitto. Ipse ad vos venissem, sed per dies aliquot catarrho et difficili tussi vexatus sum et adhuc vexor. Et præterea in luctu sum ob mortem dilectissimæ filiolæ nostræ Rebecca, natu minimæ, quam hesterno die sepelivimus. Ideo domo exire et a conjugæ mæsta abesse non possum. Bene vale cum omnibus tuis. Ex Tetenbul 20. Januarii anno 71. (! Se ovenfor.)

✱

Reverende at dilectissime Domine Compater, si per otium tibi liceret, cuperem, ut nos inviseres, nam habeo, de quo tecum conferre vellem. Ego te accederem, sed quia aliquandiu catarrhus et gravis tussis mihi molesta fuit et insuper in luctu sumus ob mortem dilectissimæ filiolæ nostræ Rebecca, natu minimæ, quam hesterno die sepelivimus, domo egredi et a conjugæ mæsta abesse non possum. Sin autem veneris, rogo, ut quicquid chartarum a me habes, una adferas. Bene et feliciter vale cum omnibus tuis. Die 20. Januarii anno 1570.

157

Arnold Muls, Welt, 4. februar 1570.

Et bud fra Kolding har bragt meddelelse om, at Paul Noviomagus er død. (Denne meddelelse er enten forhastet, for Paul Noviomagus døde 26. januar 1571, eller årstallet er forkert, men så passer 'for seks måneder siden' heller ikke.) Muls takker Gud for, at Noviomagus havde afkastet dyrets mærke og urokkeligt holdt fast ved den sunde lære og været mange til gavn. Han beder om, at han selv og andre, som havde været brændemærket på samme måde, må bevares i erkendelsen af Guds Søn og i en fast bekendelse.

25

Arnoldus Muls Geldrius Joh. Pistorio suo S.D.

Reverende vir et dilecte compater, Dominica die proxime adfuit mihi puer quidam missus huc ex Coldinga a Catharina Bartholomæana, quam nosti; is mihi rettulit de obitu Domini M. Pauli Noviomagi, communis nostri amici, et quod ante sex, ni fallor, menses e vivis excessisset. Hic casus sine dubio multis, imprimis vero suis, ingentem dolorem attulit. Fuit enim vir consilio, prudentia et multis singularibus virtutibus et donis Dei ornatus et præstans, veluti et nos, tu et ego, experti sumus. Multi multis ab ipso beneficiis affecti et sublevati sunt. Et memini te aliquoties ipsius humanitatem et beneficentiam prædicasse, et te id vere posse non est dubium, cum Haffniæ ipsi domesticus fueris et cum ipso habitaveris. Nunc Dominus eum exemit liberavitque ex turbulentissimo et tristissimo hoc mundo et transtulit in tranquilliores vitam. Gratiās ago Deo illius nomine, quod characterem illum, quem in papatu acceperat in fronte a bestia, abjecit et in confessione sanæ doctrinæ magna constantia perseveravit

no multo profuit. Misericors Deus me et alios, qui eodem caractere olim in fronte deturpati fuimus, in agnitione Filii sui ac constanti confessione conservet. Amen. Non potui committere, quin de hoc te certiores facerem, quum sciam, quanti tu hunc virum feceris. Si vero multo ante scivisti, facile hanc operam perdidero. Bene vale cum dilecta conjugē. Data in Woldt anno Christi 1570 die 4. Februarii.

158

Johannes Hamer, Husum, 9.marts 1570.

Hamer sender med tak en bog tilbage. Han beder om, at alt må gå vel for Volquard Jonn (m. h. t. hans forflyttelse til Rendsborg), og at der i hans sted (i Garding) må komme en mand, som er fremmed for Flacius' ondskab og bagvaskelser. Han har hørt, at det bliver Peter Aurifaber, men hvorfor ikke Arnold (Muls)? Ingen har større ret til dette embede end han. Hamer har ikke set Wittenbergernes skrift, men søgnepræsten (Peter Bokelmann) har nævnt det i en prædiken og mener, at fordi de er utilfredse med, hvad der er sket i Altenburg, skyr de lyset, og deres sag står slet, men det er Flacianernes bagvaskelse. Selneckers skrift har Hamer ikke, men Pistorius bedes sende det, hvis han kan. Hvad Pistorius har skrevet om en boghandler Johannes og en præst, der er kaldet til Kiel, holder Hamer for opdigtet. Selv lider han af ischias, som dels er arvet efter hans far, dels har sin årsag i mangel på mådehold.

26

M. Johannes Hamerus d. Johanni Pistorio S.D.

Remitto Cornicum, doctissime domine Johannes, et habeo tibi gratiam, quod tam diu ejus copiam mihi feceris. Volquardo nostro ut omnia feliciter succedant et eveniant precor, et vobis opto, ut vir bonus, alienus a Flacii malitia et calumniis, in ejus locum substituat. Audio Petrum Aurifabrum vocatum esse et præterita die Dominica ibi habuisse contionem. Cur non potius in hoc es et laboras, ut Dominus Arnoldus in pristinum restituatur locus? Tho dem denste is nemandt meher und bether berechtiget also he. Fugite, quantum potestis, Flacianos. Scriptum Witebergensium non vidi. Pastor noster ejus aliquando pro contione mentionem fecit, et quia Witebergenses editionem actorum colloquii Altenburgensis moleste ferunt, inde ipse colligit eos fugere lucem et malam habere causam, sed est Flaciana calumnia. Nec Selneckeri scriptum hic habemus; si mittere posses, prem gratam feceris. Quæ scribis de Johanne bibliopola et pastore vocato a Kilonensibus, judico conflictata esse. Si autem quid certi explorare potero, faciam ut scias. His felicissime cum conjugē et liberis valet. Cura autem valetudinem diligenter; mihi ad dies ferme 8 quotidiana conflictatio fuit cum immanissimo ischiatico malo, idque habeo hereditarium paternum, et mea intemperantia irritatrix causa est. Quibus soleo uti remediis contra maximos hos dolores, ea nunc nihil juvant. Igitur expectabo et experiar, num natura vincere et tollere malum possit. Husiæ 9.Martii anno 70.

159

Johannes Pistorius til Caspar Hoyer, udateret.

Pistorius spørger om, hvornår han kan besøge Hoyer, og beder om at få 10 mark for oste, han har købt til ham og ikke selv har penge til at betale. (Af Hoyers svar nr.160 fremgår, at dette brev er skrevet nogle dage før i juni 1570.

Nobili viro Domino Caspari Hoyer, amico suo præcipuo.

Eximie et carissime D. Caspar, adeo sum occupatus, ut hac septimana, quemadmodum promiseram, ad Præstantiam Tuam venire non possim. Volui igitur hunc puerum meum eo mittere et Præstantiam Tuam orare, ut uno aut altero verbo mihi significet, num usque ad proximum Lunæ vel Martis diem ibi adhuc sit commoratura, quod si futurum est, non intermittam, sed certo, volente Deo, uno illorum dierum veniam. Porro quod de emendis caseis Præstantia Tua mihi injunxit, ejus rei memor emi hic 200 libras pretio decem marcarum, quos tum etiam, cum venero, mecum adveham. Et quia mihi hoc tempore tantum pecuniæ non est in promptu, cuperem, ut Præstantia Tua cum hoc puero pecuniam illam, videlicet 10 marcas, mihi mitteret. His vale.

Tuus totus Joh. Pistorius.

160

Caspar Hoyer, Husum, 18. juni 1570.

Svar på brev nr. 159 angående besøg og oste; hermed de ønskede penge.

27

Casparus Hoyer d. Johanni Pistorio, amico suo, S.D.

Literæ tuæ mihi allatæ et traditæ sunt hoc ipso die circa horam duodecimam, ex quibus intellexi te propter inopinatas occupationes præstituto die ad me venire nequivisse, ceterum die Lunæ vel Martis te, si meus ultra id tempus discessus differretur, apud me præsto futurum et caseorum 200 libras una tecum allaturum etc. Quare, mi Johannes, cum mea intersit te priusquam hinc discessero videre et alloqui, majorem in modum oro, ut ante Mercurii proximum diem me convenias. Pretium emptorum caseorum habes cum hoc puero 10 marcas. Et ut casei boni lactis et saporis sint, tu videbis. Vale, et me, quod facis, ama. Uxori salutem. Raptim Husiæ 18. die Junii anno 70. Uxor mea te conjugemque tuam jubet salvere.

161

Johannes Pistorius til Superintendent Paul von Eitzen,
Tetenbüll, 10. juli 1570.

Pistorius plejer ellers ikke at se gennem fingrene med grove fejltrin, men han holder den ikke navngivne mand for en enfoldig sjæl, som bekender sin skyld og lover bedring, og han går derfor i forbøn for ham.

337

Reverendo Domino Doctori Paulo ab Eitzen Superintendenti
Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Clarissime Domine Doctor et Superintendens perpetua observantia et fide colende, facile possum conjicere, quid causæ sit, quod Reverenda Vestra Dignitas Divum Paulum citaverit. Ego etsi σφάλματα enormia palliare sive excusare nolo, tamen cum culpam fateatur et emendationem promittat ac alioquin natura sit non contumaci aut malitiose perversa, sed imbecilli et ingenio humili et tenui, miseret me ejus ac hac vice pro ipso intercedo ac oro, ne Reverenda Vestra Dignitas quid gravius in eo statuatur. Deus omnipotens Reverendam Vestram Dignitatem quam diutissime nobis incolumem et sal-

vum conservet et omnes ipsius conatus et labores ad divini nominis sui gloriam et ecclesiæ utilitatem dirigat et provehat. Amen. Datæ ex Tetenbul die 10. Julii anno 70.

162

Johannes Pistorius til Johannes Holmann, Tetenbüll, 21. juli 1570.

Pistorius undskylder sig for, at han så længe ikke har skrevet til vennen. Han har året før hørt om tvedragt mellem Holmann og hans kone, som er gået fra ham; det gør Pistorius bekymret for ham. Han formaner ham til ikke at forsynde sig mod Gud og næstekærligheden og volde forargelse i menigheden og blandt embedsbrødrene. Han tænker på at besøge Holmann efter høsten.

339

Reverendo Domino Johanni Holmanno Johannes Pistorius S.D.P.

Reverende et doctissime Domine Holmanne, frater carissime, agnosco et ingenue confiteor me male fecisse ac amicitiam nostram non leviter violasse, quod tanto tempore vel per literas te non sim allocutus, vel te non inviserim. Agnosco, inquam, et deprecor culpam, sperans et confidens te pro ingenuitate et candore tuo veniam mihi daturum. Deum testor, et is ita me juvet, ut non alius tibi sum quam dudum et ante annos aliquot fui, sed quod constanter in amore tui perseverem, et perseveraturus sum quoad vixero. Quod autem tanto temporis intervallo ad te non scripserim (etsi sæpenumero jam per vestrates, nunc per nostrates hinc inde commeantes te salutaverim), inter alias vel hac potissimum de causa factum est, quod sæpius ac singulis annis in animum habuerim Fördam ad conjugis meæ cognates proficisci et ita simul te invisere. Sed omni tempore quo impedirer et animi propositum mutarem mihi obortum est. Nihilominus quotiescunque potui et occasio oblata fuit, de te rerumque tuarum statu percontatus sum, quem si quando audivi esse bonum, oppido quam lætatus sum, sin minus, non leviter certe animo sum percussus. Itaque cum anno superiore audirem de discordia inter te et conjugem tuam ac ipsam ob causas nescio quas (nam non satis constat mihi quale et unde ortum sit inter vos dissidium) a te discessisse, crede mihi, quod vicem tuam vehementer doluerim, ac cum etiam hoc tempore audiam vos nondum in gratiam redisse, admodum tua causa adhuc dum, mi frater, sum sollicitus. Ac quamvis meo consilio et auxilio non indigeas, tamen te, mi frater, ex animo per Deum et amicitiam nostram oro, ut talem te in hac causa geras, ne contra Deum, pietatem et dilectionem proximi contumaciter egisse incuseris, ne irrites iram Dei et cumules poenas et calamitates, ne præbeas offendiculum ecclesiæ ac fratribus, sed milites bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Hujus ut te moneam, amor meus erga te me cogit. Omnino mihi proposui post hanc messem, volente Deo, te invisere, ut penitus omnia tua cognoscam. Deus me et meos omnes male perdat, si tibi non ex animo bene velim, et ut rebus tuis quam optime consultum sit, Deum toto pectore oro. Verum antequam adveniam, rogo ut ad me scribas et quidem, si ullo modo fieri potest, cum hoc Hermanno Scheve, cive Tönningensi, ut cognoscam, quid animi erga me habeas. Ego te ex animo amo et magnifacio; sive me ames, sive odio prosequaris, tamen amabo quoad vixero. Dominus tibi adsit et Spiritu suo Sancto te regat. Amen. Datæ ex Tetenbul Eyderstedt die 21. Julii anno 1570.

Johannes Holmann, Stade, 2. august 1570.

Tak for brev med trøst i Holmanns elendighed. Pistorius skal være velkommen og få at se, at Holmann er blevet forligt med sin kone.

28

Johannes Holmannus, secundus Nisus, Johanni Pistorio, Euryalo,
amico et fratri suo carissimo, S.D.

S. in Christo, unico σωτήρι ἡμῶν. In maximis ærumnis meis et doloribus, amice et frater colende, me non leviter consolata sunt litera tua, quas ad me amicus communis noster Hermannus Schevius, civis Tonnin-gensis, pertulit, amoris et benevolentiāe plenas, ex quibus liquido cognovi te veteris amici oblitum non esse, idque maxime declaras sollicitudine illa tua in meis miseriis, in quibus didici verum esse illud prophetæ: Vana salus hominis. Item: Maledictus, qui confidit in hominem, et ponit carnem brachium suum. Item illud Aristotelis: ὦ φίλοι, οὐδείς φίλος. Quanti ego te fecerim et quam flagranti te amaverim et complexus fuerim amore a primis, ut Græci dicunt, unguiculis, tibi obscurum esse non potest. Eundem amorem in te semper conservavi, sed tu visus es calumniis aliorum motus, ut suspicor, nonnihil remisisse, ut lenius dicam, de suavi illa benevolentia, qua me complexus es, ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθα ἔασομεν ἀχνώμενοίπερ, θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες, non, ut ille vir fortissimus apud poetam ait, ἀνάγκη, sed recordatione dulcissimorum officiorum et veteris benevolentiāe, quā ante in animis nostris viguit. Fuit ea tuarum literarum pars gratissima, qua significas te post messem me visitaturum. Venies nobis hospes exoptatissimus. Tunc de omnibus rebus coram suaviter colloquemur, et invenies, quod videris maxime in literis tuis cupere, reconciliationem scilicet cum uxore mea, quam sine dubio ex Schevio quoque cognosces. Interim bene et feliciter cum tuis vale. Data Stadii IIIII Nonarum Augusti, qui dies celebris est clade Cannensi et, Variana, anno MDLXX.

Tuus totus Nisus ex animo Joh. Holmannus secundus.

Nicolaus Moedt, Kating, 6. oktober 1570.

Moedt lider af fjerdedagsfeber; han har fået medicin hos magister Peter i Slesvig, som har rådet ham til også at få gode råd af Pistorius, som han derfor beder komme til ham den følgende dag.

29

Nicolaus Moedt, Pastor in Cating, d. Johanni Pistorio S.D.

Reverende frater et vigilantissime Domine Pastor, fortassis Tuæ Dignitati constat me aliquandiu molestissima et periculosissima febris quartana laborasse. Attamen hactenus nulla remedia adhibui. Nunc vero clarissimi viri Domini Magistri Petri, scribæ Slesvicensis, consilio utor, qui mihi potionem et electuaria cum aliis quibusdam pharmacis præparari curavit et per meum nuntium transmisit, simulque usum in suis literis ad me missis satis diligenter annotavit, ita ut ego usum et ordinationem pharmacorum facile intelligere possim; tamen cum M. Petrus Tuæ Dignitatis consilio in quibusdam uti suadeat, id minime aspernari volo. Peto igitur, ut cras ante meridiem ad me venire non graveris. Si ego vicissim tibi gratificari ullâ in re potero, habebis me tanquam famulum tibi obsequentissimum, neque de tuo erga me amore et fide dubito. Vale. Ex ædibus meis 6. Octobris anno 70.

Caspar Hoyer fra sit sedusianske landsted, 12. december 1570.

Hoyer har gennem et brev fra Pistorius fået meddelelse om digebrud og beboerne pålagte svære arbejder, men han håber meget, at fyrsten vil lette byrderne for dem. I øvrigt bør folk bære deres lidelser, som er blevet dem pålagt af Gud, med sindsro; det er bedre at falde i Guds end i menneskers hænder. - Hoyer kommer derefter ind på et pengelån til Pistorius' slægtning (se også brev nr. 180); Hoyer vil huske sit løfte om hjælp, men kan ikke love mere end 400 mark mod behørig sikkerhed. - Fra Danmark er der kommet meddelelse om fred, eller snarere våbenstilstand, mellem den danske konge og svenskerne. (Skulde rygtet om den 4 dage før i Stettin sluttede fred allerede være nået frem til Hoyer?) Tratziger har skrevet, at tyrkerne belejrer Famagusta og Nicosia på Kypern, og der er fare for, at øen snart kommer i deres besiddelse. (Hvis 'mit sedusianske landsted' skal tages bogstaveligt, er brevet skrevet fra Sydtykland; Hoyer har i alt fald ikke været hjemme, da han havde fået meddelelsen om digebruddet gennem Pistorius' brev.)

30

Casparus Hoyer Johanni Pistorio suo S.D.

Literas tuas, ex quibus didici mare æstuans ruptis aggeribus majorem opinione vestræ terræ ejusque incolis vastitatem et cladem intulisse, ante horas plus minus duas attulit mihi lator harum. Ego etsi magno-pere doleam vicem vestræ gentis, quæ tam inusitatis exactionibus, intolerabili laborum perpetuitate præfactorumque insatiabili avaritia vexata, maris etiam sævitiam est alieno tempore experta, magnam tamen spem concepi Principem nostrum clementissimum malorum, hominum consiliis postpositis, de solita et jam ferme inveterata exactione non-nihil remissurum istiusque populi ita habiturum rationem, ut suæ Celsitudini ac suis recte consuluisse videri possit. Quod fere omnino confiderem, ni certi quidam homines nostræ gentis extenuando per-pessum damnum Principem per se alias optimum a tam salutari consilio averterent. Mihi vero, quo vos in hac tabellarii festinatione con-solarer, in mentem non venit aliud, nisi ut moneam vos hominum in-jurias, qui estis nullo edito contumaciæ vel servitutis excutiendæ indicio perpassi, feratis etiam æquo animo mala quædam divinitus vobis irrogari, siquidem melius est incidere in manus Dei quam hominum. Cetera tu ipse colligito. Ex altera tuarum literarum parte intellexi permagni interesse affinis tui, ne spe promissæ pecuniæ frustretur, quare vobis ut persuadeatis velim me promissionis meæ non fore immemorem, quamvis ultra 400 marcas nihil possim polliceri, nec quicquam dubito, quin Tua Humanitas, quæ mihi pecuniæ mutuandæ auctor erit, officii mei, ne mihi id in detrimentum cedat, sit etiam rationem habitura. Pecuniæ numeratæ ultra id, quod in quotidianos usus expenditur, reliquum mihi est nihil, quod si esset, intelligeres sane me ob tuum in me amorem nequidem amicis tuis defuturum. Nolim affinem tuum Kiloniam proficisci; quo vero in loco pecuniam expectare debeat, faciam te finitis nundinis certiozem. Vestrum erit pro vestra in me fide et amore operam dare, ut mihi pignore et fidejussoribus pignus nullo pacto distractum iri idonee prospiciatur, quod quia ultro vos facturos non dubito, prolixiori scriptioni supersedeo.

Ex Dania proxime præteritis diebus mihi allatum est pacem, vel potius indutias inter Regem nostrum et Suecos, post tam diuturnum bellum et clades utrimque acceptas, nulla re memorabili gesta,

pactas, quibus autem condicionibus nondum ex quoquam cognoscere potui. Valde vereor, ne malum illud in Arctois regnis natum redundet tandem in nostrum caput. Sed de his aliquando plura coram. Orandus Deus, ut poenas flagitiosis hominibus omni scelere et turpitudine inquinatis et crimine læsæ Majestatis reis debitas clementer avertat. Scripsit mihi nuperrime noster Cancellarius D. Adamus Tratzigerus Turcas arctissima obsidione Famagustum et Nicosiam civitates in Cypro Venetæ ditionis obsidere, et quamvis in illa obsidione Turcarum 40000 sint desiderata, nihilominus submissis et suffectis novis subinde copiis obsidionem continuare, ita ut extimescendum sit illam insulam brevi in Turcarum potestatem venturam. Hæc ferme sunt, quæ hoc tempore scribenda ad te judicavi. His vale cum uxore et liberis, ac me, quod facis, ama, et tibi vicissim de me omnis benevolentia officia pollicitare. Uxor mea jubet te salvare. Dabantur festinanter ex prædio meo Sedusiano 12. Decembris anno 70.

Tui amantissimus
Caspas Hoyer.

166

Matthias Prætorius, Osterhever, 19. februar 1571.

Om en sag mellem Peter Ovens i Osterhever og dennes svigersøn angående 14 demat land. Ovens er rede til et forlig under rimelige betingelser, og Pistorius bedes nu gøre sit til, at denne sag snarest kommer for stilleren, så der kan blive en ende på stridighederne, for ellers bringer Ovens sagen for senatet. - Prætorius' lille datter har noget ved øjet, en søn Gregor har feber, og Pistorius bedes om et middel, hvis han har noget.

31

Matthias Prætorius, Pastor in Osterhever, Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor, frater in Christo dilectissime et compater suavissime, quid mihi cum meo parochiano Petro Oveni negotii fuerit, antequam eum in utriusque nostrum sententiam pertrahere vel adducere potuerim, vix credas, et cum convenerimus, aliquid de eo tibi narrabo. Hoc saltem te non lateat ipsum ex animo amicitiam cum genero optare et petere, ut omnem lapidem moveamus et quoad poterimus laboremus, ut pristina inter ipsos amicitia restitatur. Promisit se omnes articulos in contractu amicitia propositos accepturum lubens, modo æqui et tolerabiles fuerint, nec se quenquam arbitrorum spe sua frustraturum. Hæc dudum, suavissime compater, me tibi significasse oportuit, sed viæ ad te difficultas me deterruit, tum etiam negotia domestica sive rei familiaris me impediverunt. Spero autem te pro jure amicitia nostræ mihi hoc non male interpretaturum. Tu autem nunc tuas agito partes et tuum admoneto, ne tergiversatio aut mora ultra penes ipsum sit. Satis diu Diabolo gratificati sunt odio, contentionibus, amarulentia, conviciis. Et necesse est, ut quamprimum negotium hoc ad Dominum Præfectum Siegfridum deferas, ut et ipse nobis adsit et subveniat, ne diutius odium inveteratum protrahatur vel alatur. Quod si ante dies judiciales (Dinghedage ut vocant) reconciliatio inter ipsos tentata et facta non fuerit, difficulter mihi quispiam persuadebit futuram inter eos concordiam. Nam ex Ovenio audivi, dum verba facerem de reconciliatione et amicitia restauranda, se futuris diebus judicialibus provocaturum ex sententia Illustrissimi et clementissimi Principis nostri ad Senatum, ut cogant generum primum ad restitutionem istorum 14 demetorum, ut vocant, quos ipsi

extorserat, deinde ad refusionem damni accepti a die contestata litis, ex quo facile conjicere potes, quid sit subsecuturum. Sed sint hæc apud te sepulta. De statu domus meæ scias filiulam meam unicam per dies ferme 14 male habuisse et dolore manibus, ut suspicamur, oculum læsisse, ita ut periculum de visu. Nam videtur dextram pupillam altera obscuriorem esse, quod nos non parum sollicitat. Deus clementer avertat malum. Gregorius meus elapso proxime die Veneris coepit a febris infestari, heri habuit secundum paroxysmum et satis gravem; si plures subsequantur, ad te veniam, ut si quid remedii habeas, impartias. Et hæc est fundi mei calamitas. Sed Deus a nobis requirit diligentiolem et ardentiolem invocationem, in qua hactenus fuimus frigidiores et segniore. Vale in Christo feliciter cum tota domo tua; conjugii tuæ, foeminæ honestissimæ, ex me omnia bona dices, ac meæ domus sis memor apud Deum in precibus tuis; idem et de me tibi polliceberis. Iterum vale. Raptim ex Osterhever anno Christi 1571 die 19. Februarii.

167

Paul von Eitzen senior, Slesvig, 25. juli 1571.

Eitzen sender en mand, som har været huslærer hos dr. Knoppert og har et godt vidnesbyrd fra Københavns universitet, til Pistorius, som søger en lærer til sin skole. - Wittenbergerne har med deres Catechesis (contexta ex Corpore doctrinæ, 1571, til brug i gymnasi-erne) fremkaldt nye disputer, som vanskeligt vil kunne bilægges. Der fremføres tre indvendinger: Fortolkningen af Ap. Gern. 3 (vers 21, hvem Himmelen skal huse); at Kristi nærværelse i menigheden (kun) gælder hans guddommelige natur; at evangeliet er en mildnelse af loven.

32

Paulus ab Eitzen senior Johanni Pistorio, suo carissimo fratri.

S. per Jesum Christum. Carissime frater, indicavit mihi Dominus Præpositus vos ludimagistrum quærere. Cum itaque hic doctus et, ut videtur, bonus adolescens, qui puerorum Doctoris Knopperi pædagogus fuit et honorificum testimonium universitatis Haffniensis habet, a me peteret sibi de conditione aliqua prospici, jussi, ut ad vos proficisceretur et suam fortunam tentaret. Si itaque vobis placet, poteritis ei scholam vestram commendare. De rebus novis ecclesiasticis nihil jucundi possum scribere. Witebergenses imprudenter novas disputationes moverunt sua Catechesi, quæ non facile sedabuntur. Evolvant illi omnes Patres, tamen tria in ea Catechesi probare et defendere non poterunt, nimirum mutationem textus Actorum 3; item, quod interpellatio Christi et præsentia apud ecclesiam sint actiones divinæ naturæ et omnipotentis; etsi enim ipsi exclusivam tantum non ponunt, tamen manifestum est, quod exclusive loquantur, et qui ipsorum disputationem legit, quod actiones divinæ naturæ non communicentur, ille bene intelliget, quid illo paragrapho quærant; item, quod evangelium sit ἐπιείκεια legis. Sic enim lex et evangelium non differunt genere doctrinæ, sed sunt ejusdem generis etc. Nosti disputationem Aristotelis in 5 Ethicorum, an jus et ἐπιείκεια genere doctrinæ differant, ubi concludit, quod non differant, quia ἐπιείκεια non mutat genus doctrinæ, sed addit mitigationem propter circumstantias. Sed quid hæc philosophica ad theologiam? Certe monstrant rationem disputandi de distinctionibus doctrinarum etc. Memini me etiam aliquando in Wigandi Corpore Doctrinæ legisse, quod evangelium sit dispensatio legis. Is even so godt. Ita novi magistri pariunt

novas distinctiones et novas phrases et novas rixas. Deus servet nos, ut vivamus et moriamur in simplicitate nostra. Bene vale. Ex Slesvico anno 71 feria 4. post sextam Dominicam Trinitatis.

168

Johannes Hamer, Husum, 6. august 1571.

Boghandler Arnold sender Pistorius Wittenbergernes skrift om Kristi person og majestæt sammen med et forsvar for deres Catechesis. Hamer mener, de har gjort det godt. (Wilhelm) Bidenbach, som havde skrevet et brev mod Wittenbergerne, har i febevildelse (han led af melankoli) styrtet sig ud af et vindue og er således kommet elendigt af dage. (Iflg. Allg. deutsche Biographie døde han ved et fald fra et tårn 1572, så enten er dette årstal en trykfejl, eller denne bemærkning er en senere tilføjelse. Calvinisterne udlagde dødsfaldet på værste måde.) Westphal er den 31. juli rejst fra Hamburg til Braunschweig til et fa hertug Julius sammenkaldt konvent (vel et nyt efter det i december 1570 afholdte; se nedenstående brev fra Bernhard Horsten), hvor hertugen sammen med de fornemste sachsiske teologer vilde rådslå om en endelig afgørelse i disse teologernes stridigheder. Men kan man vente sig noget godt af Flacianerne? Hamers sognepræst (Peter Bokelmann, cf. brev nr. 158) har nævnt Wittenbergernes skrift og fordømt det. (At dette skete 'i går i en prædiken', viser, at brevets datering er rigtig nok, idet 5. august 1571 var en søndag.)

33

M. Johannes Hamerus Joh. Pistorio S.D.

Reverende vir ac amice carissime, librum Witebergæ editum de persona et majestate Filii Dei, Dei et hominis, una cum Apologia Catecheseos Arnoldus bibliopola tibi mittit. Video summa industria omnia esse conscripta et niti Witebergenses docta antiquitate et Patrum scriptis, ita ut illorum sententiæ non facile possit contradici. Utinam vero sepositis privatis affectibus theologi omnes in hanc Patrum et primitivæ ecclesiæ sententiam irent. Verum quæ est hujus seculi per-versitas; qui velit ingenio cedere, nullus erit. Malunt cum dispendio salutis multarum animarum sophisticando contentiones fovere et omnem religionem in discrimen adducere, quam veritati palmam tribuere. Sed redituri erunt Deo rationes gravissimas. Diligenter et attente, quæso, legas et relegas hunc librum. Videbis eruditione et judicio valere Witebergenses theologos, qui hæc congesserunt. Bidenbachius, qui epistolam classicam contra Witebergenses ad D. Andream Smidlinum scripsit, cujus exemplum est apud nostrum pastorem, ex febre maniacus factus semetipsum ex fenestra præcipitavit et ita misere vitam finivit. Pridie Calendarum Augusti Westphalus cum instructione certa Hamburgo ivit ad conventum Brunsvicensem. Nam Dux Brunsvicensis Julius præcipuos theologos ex Saxonice ecclesiis vocavit, delibera-turus cum eis, quid tandem in hisce certaminibus theologorum statu-endum sit. Faxit Deus, ut iste conventus non sine fructu exeat. Sed an bonus fructus a Flacianis sperandus est? Noster pastor solito more heri pro contione libri hujus Witebergensium mentionem fecit et eum damnavit, quia contra majestatem Christi sit conscriptus. Bene et feliciter vale in Christo cum dilecta conjuge et tota familia. Husiæ 6. augusti anno 71.

Bernhard Horsten, (Skt. Peter), 31. august 1571.

Horsten meddeler Pistorius, hvad han gennem sin broder har fået at vide om Holmann og hans vanskeligheder. Broderen har også omtalt Wittenbergernes skrift mod Selnecker angående Ap.Gern. 3 (vers 21) og et andet skrift. Hertug Julius' gemalinde venter sin nedkomst, og hertugen har indbudt en hel række fyrster og byer som faddere. I denne indbydelse har han også bedt dem om at medbringe deres fornemste gejstlige til en religionssamtale (cf. ovenfor nr.168).

34

Bernhardus Horstenius Johanni Pistorio S.D.

Reverende, doctissime humanissimeque domine pastor et compater dilectissime, cum me non lateat, quanti tu D. Holmannum facias quantumque ipsum ames, non dubito, quin unice expetas rerum ipsius statum cognoscere. Quare intermittere non potui, quin qua mihi de ipso per literas frater meus indicavit, tibi significarem, et ex literis ipsius transscribere. Sunt autem haec ad verbum: Causa Holmanni in eodem adhuc, de quo proxime, statu est. Vivit, ut hic asserunt multi, apud nobiles Brobergios, factum constanter negando. Puella adhuc apud nos captiva tenetur. Noster episcopus suos ad senatum misit et aliquoties scripsit literas intercessorias; si ita res exigeret et comprobaretur, libera dimitteretur. Senatus propter suas, easque gravissimas, causas hactenus liberationem vel dimissionem distulit etc. Addit frater: Ediderunt Witebergenses proxime scriptum contra Selneckerum de dicto Actorum 3: Oportet Christum caelo capi. Quid hinc sequitur, facile conjicis. Audio quoque eosdem promulgasse libellum continentem declarationem, fortassis disputationum illarum, de quibus proxime ad te scripsi, et scriptum ad te misi. Si ad manus meas pervenerit, quam primum dabitur, transmittam. Ducis Julii Brunsvicensis conjunx in puerperio est. Invitavit igitur Julius multos principes, inter quos et episcopus Osnaburgensis est, et civitates, ut Hamburgum, Bremam, Stadam, Lubecam, Dantiscum etc., in susceptores. Huic vocationi vel invitationi addidit etiam hanc petitionem, ut primarios contionatores vel superintendentes suos quique secum adducerent, quo cum suis theologis de religione conferant et in doctrina unanimos sint; in hac causa quid actum sit, adhuc latet; si scire dabitur, significabo. Has literas (scribit frater) cum scripsissem vesperi, mane adfertur nuntium puellam ex carcere perfracto tecto se per funem demisisse et evasisse, quod et verum compertum; ministri senatus illam nondum investigarunt etc. Haec sunt illa, qua te, humanissime doctissimeque d. pastor et compater carissime, caelare non potui. Scripsi autem cursorie petens, ut lectas literas vulcano committas cum propter Witebergensium, tum propter Holmanni causam. Salutabis meo nomine dilectissimam conjugem et liberos. Bene vale. Anno 71 die 31. Augusti.

170

Peter Aurifaber, Garding, 13. december 1571.

Aurifaber, hvis hustru har heftige feberanfald, beder Pistorius om opskriften på den medicin, der har hjulpet ham.

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Johannes, amice et frater in Christo carissime, scis nuper factam mentionem decocti cujusdam caponis ex præscripto D. D. Viti Winsemii, medici Witebergensis, cujus opera et divina clementia te pristinam valetudinem recuperasse ajebas post diutinum cum quartana conflictum. Hujus quæso decocti formulam nec non ingredientium simplicium numerum et pondus breviter annotare et ad me per grammatorum mittere, quibus etiam remediis aut catapotiiis usus sis ante hujus decocti usum, significare ne graveris. Vereor enim, si diutius moras nexuero, ne morbi diurnitate et incremento conjugii ægrota viribus nimium attenuatis et exhaustis sero medicina paretur. Proximum paroxysmum (qui fuit octavus) nudius tertius multo quam ante sæviorem experta est, qui etiam tempus consuetum anticipavit, et quum ante parum, tunc plurimum febrilis rigoris sensit. Ad septimum etiam paroxysmum mutatio insignis incidit; duabus enim horis ante, nimirum ad horam secundam pomeridianam, febrilis rigor illam invasit; octavi paroxysmi initium fuit ad meridiem, quæ res vel morbi diurnitatem vel insignem mutationem præagere videtur. Sed rem omnem clementissimi Dei paternæ et propitiæ providentiæ et voluntati committo, cujus tutelæ Tuam Dignitatem cum uxore, carissimis liberis et tota familia etiam atque etiam commendo. Gardingæ 13. Decembris anno 71.

171

Johannes Pistorius til en ikke navngiven præst, udateret.

Præsten, som i brevet kaldes Peter, er hæs. Pistorius giver ham gode råd; han kan desværre ikke prædike for ham den følgende dag, men henviser til Johannes Adam, som f. t. er tjenstledig. (Hvem denne hr. Peter er, kan ikke siges, men det ligger vist nærmest at tænke på Peter Aurifaber i Garding, da der i brevsamlingen ikke findes breve fra eller til Peter Mumsen i Tønning. Johannes Adam vides der meget lidt om, bortset fra at han havde været kapellan et par steder på Nordstrand og sidst sognepræst i Bupsee før 1572; måske har han som tjenstledig opholdt sig i Ejdersted. Man kan kun gætte sig til dateringen af brevet, men i betragtning af ovenstående er der her gættet på vinteren (hæshed og det barske klima) 1571/72.

334

Reverendo N. Johannes Pistorius S.P.D.

Doleo, mi Domine Petre, tantam tibi, ut scribis, raucedinem obtigisse, sed bono sis animo, brevi, ut spero, recedet, dummodo ipse prospicias tibi et aërem, qui hoc tempore plus justo est rigidior, quantum potes vites et aliis, quæ fortassis melius quam ego nosti, utaris. Linteis calidis collum circumdabis; id unicum profuerit multum. Quod autem a me petis, ut die crastino tuo nomine contionem ibi habeam, ea in re tibi, mi Domine Petre, et certe multo in majore, gratificarer et inservirem, si hoc tempore meæ res ita ferrent, ut id facere commode possem. Nam paro me rursus ad profectionem, et sunt mihi nonnulla negotia hisce potissimum diebus hic cum familiaribus nostris conficienda. Persuadeo autem mihi, cum Dominus Joannes Adam hoc tempore, ut existimo, non sit occupatus, quin facile possit et velit die crastino vices tuas agere. Itaque habeas me excusatum, mi Domine Petre, id etiam atque etiam oro. Vale.

Gognepræst Hermann Thomærus, Skt. Anna, Ditmarsken, 11. januar 1572.

En mand fra Pistorius' sogn er ved påsketid kommet til Skt. Anna, da han er blevet skyldig i manddrab og for den dræbtes slægtninges skyld ikke tør eller vil blive i sit hjemsogn. Han siger ganske vist, at han for længst er blevet forligt med den dræbtes pårørende, men at han ikke vil være i deres nærhed for ikke stadig på ny at minde dem om den dræbte og genopvække deres sorg. Thomærus tør ikke uden videre tro på hans fremstilling og beder derfor Pistorius om at undersøge nærmere, om manden virkelig er blevet forligt med den dræbtes slægtninge, og hvis det ikke er sket, da at gøre sit til, at det sker og manden må blive forligt med Gud.

36

Hermannus Thomærus, pastor ecclesiæ Dei ad S. Annam
in Dithmaria, domino Johanni Pistorio S.D.

Salus et incolumitas tua tuorumque, Domine pastor, frater reverende, est mihi grata et jucunda. Commigravit ad nos in præterito Paschate quidam ex tua parochia Broder Peters, præsens literarum exhibitor, qui interrogatus causam suæ migrationis hanc nobis rettulit, quod se apud vos homicidii contaminarit facinore ideoque se tuto ibi propter occisi consanguineos vivere nec posse, nec velle. Ex eo igitur tempore, quo primum ex ipso cognovi hoc hominis grande facinus, non destiti pro ratione officii mei eum hortari ad poenitentiam, peccati iræque Dei considerationem agnitionemque et ad reconciliationem cum eodem, ad quam rem cum esset paratus, insuper indicavi ei oportere quoque se ad Christi regulam Matth. 5 et 18 etiam hominibus a se offensis et contristatis reconciliari. Ille vero a se id jam dudum factum respondit, primarios enim consanguineos remisisse sibi animorum offensionem exinde enatum, se vero nihilominus ideo huc migrasse, ne crebro sui conspectu recordationem et dolorem de occiso ipsis renovaret. Et quidem ego, quod ad me ipsum et me solum attinet, huic ejus asseverationi facile assentior. Apparet enim ipsum, excepto hoc homicidio, natura sua non esse usque adeo malum. At vero nosti, reverende d. pastor, homines esse falaces, hac præsertim mundi ætate. Ideo fidei meæ assensum aliquo modo nolens volens suspendere coactus sum. Insuper officium meum non admittit totalem assensum, quandoquidem in ore duorum aut trium, etiam Mosis et Christi testimonio, consistat omne testimonium. Publica enim causa et politica quoque est magna ex parte. Hinc efficitur, ut licet vera asseveret, tamen non possim nec debeam tanquam insufficienti testimonio plene ei credere. Volui igitur eum hisce literis ad Tuam Dignitatem mittere, ut de toto negotio reconciliationis ejus cum occisi consanguineis per te certior et tutior factus scirem, quid et quomodo mihi cum ipso agendum procedendumve. Quare, mi D. Pastor, Dignitatem Tuam oratam velim, ut pro ratione officii et affectione sincerioris caritatis erga hunc miserum peccatorem tantum laboris suscipere non graveris, quo inquiras a consanguineis parochianis tuis, num vere cum ipsis sit reconciliatus, remissa animorum offensione et contristatione, seu minus ut omnem ponere operam et studium in id velis, quo animi mutuo redeant in gratiam et pacificentur, sicut nosti nostri hoc esse officii, Matth. 5. Hæc summopere quæso, huic miseræ et perditæ ovi ut præstes, quo via vere Deo reconciliandi ipsi expeditior efficiatur hoc tuo erga ipsum beneficio. Quicquid vero est, quod per ipsum effectum sit vel ante, vel per te jam efficiatur, id totum ut ad me

per hunc ipsum paucis perscribas, reverenter oro et fraterne flagito. His Tuam Dignitatem Christo, pacificatori Dei et hominum et inspectori ecclesiæ summo, pie commendo cum tua ecclesia, tum domestica, tum publica. Datæ ad S. Annam in Dithmaria die Veneris post Trium Regum anno 72.

173

Volquard Jonæ, Rendsborg, 5.februar 1572.

Jonæ er Gud taknemmelig for, at han har friet ham ud af skærsilden (i Garding) og ført ham til Rendsborg; han ønsker, at Pistorius også snart må komme til et bedre sted, og er villig til at hjælpe ham med det. - Smørret har han modtaget. - Kongen og fyrsterne har i otte dage været i Haderslev og tager den følgende dag til Flensborg til barne-dåb hos Peter Rantzau. Om Wittenbergerne siges det som sikkert, at nogle af dem er gået over til Calvinisterne og har opgivet Den augs-burgske Konfession m.h.t. læren om Herrens nadver og derfor er for-ladt af deres velydere.

37

Volcquardus Jonæ, pastor Rindesburgi, d. Johanni Pistorio suo S.D.

Post meum a vobis discessum nihil ad te, reverende et dilecte frater, scripsi, eo quod tuum adventum expectavi huc usque, et miror, quod tanto tempore a me abesse potueris, sed cogito te cum publicis, tum privatis negotiis occupatiorem fuisse. Gratum autem mihi facies, si futura æstate vel quandocunque libuerit me visitaveris. Statum mearum rerum procul dubio sæpius ex nostris civibus intellexisti, ideo non opus est, ut de eo scribam. Unum tamen indicabo, quod ipsi forte nesciunt, videlicet quod omnipotenti et æterno Deo, Patri Domini nostri Jesu Christi, semper gratias ago, quod me ex meo purgatorio in hunc locum transtulit. Et porro ardenter eum oro, ut me Sancto suo Spiritu semper regat et suggerat utilia et salutaria consilia in privatis et publicis hujus ecclesiæ et vicinarum negotiis, quibus me imparem esse agnosco. Experior etiam indies me divinitus in hunc locum vocatum esse et quotidie adjuvari. De te sæpius collocutus sum cum quibusdam amicis et ex animo opto, ut aliquando nanciscaris com-modiorem locum; voluntas quoque tibi in hac re et aliis gratificandi mihi nunquam deerit. Butyrum accepi a Gabriele; cum convenerimus, Deo volente, transigemus. Novi nihil habeo, nisi quod Regia Majestas et Illustrissimi Principes, clementissimi Domini nostri, die ab hinc 8 una fuerunt Haderslevii et, ut fertur, cras Flensburgi ad baptismum filii Petri Rantzovii fidejubebunt. Omnipotens et misericors Deus faxit, ut hic illorum conventus sit auspicatus et felix ecclesiæ et reipublicæ salutaris. Amen. De Witebergensibus pro certo affirmatur, quod quidam illorum ad Calvinistas transierint et a Confessione Augustana in articulo de Coena Domini defecerint atque idcirco a patronis ipsorum deserti sint. Deus conservet nos integros et rectos. Bene et feliciter vale. Saluta meo et uxoris nomine uxorem tuam carissimam et paternos nostros, nec non omnes mihi ibi notos et benevolos. Scripsi Rindesburgi anno 72 die 5. Februarii.

174

Johannes Pistorius til Volquard Jonæ, udateret.

Tak for, at Jonæ endelig har skrevet, og for at han vil være ham be-hjælpelig med at få noget bedre. Elendigheden i dette land (Ejder-

sted) tiltager daglig, og det er ikke så underligt, når synder og ondskab tiltager fra dag til dag. Der hviskes om, at Volquard Jonæ skal have sagt noget om stilleren Siegfried (Sivert Sivertsen) og sværtet ham hos fyrsten, så de nu skal møde hos denne og fremføre, hvad den ene har mod den anden. Pistorius fraråder at lade det komme så vidt, ikke fordi han er i tvivl om Jonæ's sag, men det er bedst at lade det, der er faldet til ro, hvile. Han har endnu ikke læst noget om, at nogle wittenbergske teologer skulde have nægtet Kristi nærværelse i nadveren, og derfor vil han ikke udråbe dem som Calvinister og fordømme dem; de strider for en stor, alvorlig og vigtig sag og vil, efter hans mening, kalde Flacianerne, som går over alle grænser, til orden. (Skønt brevet er udateret, er det ganske øjensynligt svar på det foregående brev.)

331

Reverendo viro Domino Volkwardo Jonæ Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum mediatorem, redemptorem et salvatorem nostrum, Deum et hominem verum. Reverende vir, frater carissime, pergratum fuit mihi, quod tandem ad me scripsisti. Nam crede mihi, varie me cogitasse et mecum agitasse, quod nihil hactenus scripseris. Quod vero ex eo tempore, quo a nobis discessisti, te non inviserim, plane, ut scribis, ideo factum est, quod non modo publicæ, sed et privatæ et domesticæ occupationes me impediverint. De felici rerum tuarum statu ex animo lætor et tibi gratulor ac Deum oro, ut eo quam diutissime fruaris et conatus ac labores tui ecclesiæ Dei tibi que sint salutare. Quod autem rerum mearum statum attinet, nescio an scribam aliud, quam quod sim et maneam Johannes in eodem. Expecto, dum Domino visum fuerit et tibi, mi frater, oblata fuerit occasio, ut rebus meis in melius consulatur, cujus te fore memorem et facturum, quantum in te erit, ut antea promisisti et nunc iterum in literis promittis, omnino mihi de te polliceor et confido. Miseriæ et angustię hujus terræ quotidie crescunt ac adaugentur. Et quid mirum est, cum peccata et malitia Indies crescant. Sed ea de re suo tempore coram plura referam. Porro quod spectat simultatem inter te, mi Domine frater, et D. Præfectum nostrum, mussitatur hic apud nonnullos ea de re te verba fecisse apud Illustrissimum Principem nostrum et (nescio an ita audiverim) te Sifridum atrusasse, ac demum nunc eo deductum, ut conveniatis et coram Illustrissimo Principe uterque vestrum proponat, quid adversus alterum habeat. Imo ipse Sifridus mihi dixit id futurum et Illustrissimum Principem dixisse, quod idipsum fieri cupiat. Ego autem, mi Domine frater, omnino dissuadeo, ut id fiat. Non quod tuæ causæ diffidam, sed quod, ut dicitur, κακὸν εὖ κοιμημένον μὴ κινητέον, malum bene dormiens non sit excitandum. Tu (ut in literis tuis facis) Deo gratias age, quod te in illum locum transtulerit. Spartam tuam orna et cetera Deo commenda. Quod autem Witebergenses theologos, de quibus etiam scribis, concernit, diligenter inquisivi et cognovi, qua de re certent et disputent. Nondum autem legi aperte ipsos præsentiam corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi in sacramento coenæ negare. Ideo temere illos ut Calvinistas proclamare et damnare nolo, et meliora mihi de ipsis polliceor. Causam quam agunt, magna, gravis et necessaria est. Et volunt, ut mihi videtur, Flacianos, qui extra metas vagati sunt et sibi de quolibet quodlibet licere imaginantur et præsumunt, in ordinem redigere et commonefacere, ne posthac sine lege loquantur, h. e. sine præscripto verbi Dei et consensu purioris ecclesiæ et piæ antiquitatis.

* Samme citat som i brev nr. 131, hvor εὐκοίμενον er læst som εὐκοί-

μύμενον; her har håndskriftet εὐκνημενον, og skal η bibeholdes, må det læses som ovenfor, eller ηὐκοληνημένον.

175

Peter Bokelmann, Husum, 8.februar 1572.

Bokelmann nægter kirkens medvirken ved indgåelse af et ægteskab mellem Jens Andersen og en enke, fordi denne har indgået trolovelse uden moderens, onkelens og broderens samtykke. De kan jo prøve i Slesvig!

38

Petrus Bokelmannus Johanni Pistorio S.D.

Reverende frater, convenerat quidem inter Jens Andersen et quandam viduam hic commorantem de copula conjugali, sed quia mulier inscia matre, patruo et fratre sponderat, horumque consensus, cum de imprudente hoc negotio ageretur, impetrari nullo modo potuit, nolui ego, ut hujus ecclesiae ministerio in re non licita uteretur, relicta tamen ei potestate libera, si Schlesvici experiri vellet. Vale in Christo, mi frater. Data Husiae 8. Februarii anno 72.

176

Johannes Hamer, Husum, 1.marts 1572.

Tak for tilsendt ost. Hamer sender Pistorius et brev til afskrift og et andet fra Westphal, som her (i Husum, bl. a. af Bokelmann) anses for et orakel, og beder om at få brevene tilbage snarest, så han kan vise dem til dr. Paulus (von Eitzen), som ventes at komme til byen og endnu ikke har set disse breve.

39

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Reverende Domine Johannes, amice singularis, officium tuum mihi gratissimum fuit, quod caseum misisti; pecuniae cum gratiarum actione tibi numerabitur, quamprimum huc veneris. Epistolam mitto illa conditione, ut quando illam descripsisti, statim remittas. Mitto etiam aliqua Westphali, quae pro Apollinis oraculo hic habentur. Expectamus adventum D. Doctoris Pauli, ideo velim, ut matures descriptionem. Is enim illas epistolas nondum vidit. Vale felicissime et boni consule, quod non plura scripserim. Occupatissimus nunc sum, nam Dominus Rischmannus graviter decumbit; ejus labores mihi obtruduntur. Salutabis conjugem et liberos. Raptim Husiae pridie Reminiscere anno 72.

177

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 7.marts 1572.

Pistorius har sendt ham nogle skrifter, som han siger tak for. Han lider af hæmorrhoider, mener, at han også har nyresten, og han har en træg mave, men har det dog nu bedre og er blevet opmuntret ved Pistorius' medfølelse. Han håber, at hans broder vil sende ham, hvad nyt der er om stridighederne i kirken.

40

Bernhardus Horstenius Johanni Pistorio suo S.D.

Pertulit ad me, reverende humanissimeque domine pastor, carissime compater, tua famula mea scripta et tua. De tardiore transmissione

est, quod sis sollicitus; nihil enim hic contra meam voluntatem commissum est. Utinam Tuam Humanitati in majoribus possem gratificari. Mea valetudine recte conjecturam facis. Constitit ille fluxus per multam aliquandiu et se circa festum Martini rursus, non tamen conuulso more, obtulit. An ex crassitie et concretionem sanguinis hoc factum sit, dubito. Post festum nataliciorum Domini recurrit, ita tamen, ut parum concreti sanguinis, deinde post aliquot dies largior fluxus promanarit. Passus sum primo acerbissimas punctiones in illis (ut nosti) partibus, præsertim quoties opus naturæ faciendum, quæ punctiones nec noctu, nec diu per octiduum aut ad 2 hebdomadas resisterunt et requiem mihi permiserunt. Punctiones illæ, cum postea aliquid largioris sanguinis proflueret, in continuum quendam dolorem, quasi in colo quadam esset exulceratio, mutata sunt. Tumores in exitu coli satis magnos sensi, qui an fuerint ex retentione sanguinis in hæmorrhoidibus, vel an ex alia causa, etiamnum dubito. Accessit meo iudicio calculi renum morbus. Sensi etiam stomachi sive ventriculi imbecillitatem. Sed nunc aliquantulum melius habeo et spero Dominum daturum, ut dolores paulatim plene desinant. Ex tua autem, carissime frater, compassione animus afflictus jam etiam recreatus et lætior redditus est; Dominus clementer remuneret. Pro consilio perscripto maximas habeo gratias, relaturus, cum possum, in dissimili et fortunatiori casu. Ingentes quoque habeo gratias, quod scripta illa transmiseris. Dabo operam, ut perlecta ad Tuam Humanitatem salva redeant. Ego quotidie expecto a fratre meo, ut quid istic de controversiis horum temporum ecclesiasticis extat, transscribat vel transmittat, quod si fecerit, ipsa re meam erga Tuam Humanitatem gratitudinem pro meo modulo declarabo. Bene vale, humanissime ac sincerissime amice et frater ac dilectissime compater. Saluta dilectissimam conjugem tuam cum meo, tum uxoris meæ nomine. Datæ ad 3. Petrum die 7. Martii anno 72.

178

Johannes Hamer, Husum, 9. marts 1572.

Stak for brev og meddelelse om, hvad hr. Doctor (von Eitzen) har fortalt. Sådant kommer Flacianernes uforskammede frem og de skamløse løgne om dr. Stössels tilbagekaldelse. Hamer fortæller, hvad han har hørt om intrigerne ved hoffet i Dresden, at bl. a. et brev fra dr. Stössel er blevet opsnappet og bragt til kurfyrstinden (Christian 3.s datter Anna), og at han i dette brev havde skrevet noget om kvinderegimente. Stössels bekendelse om Herrens nadver er noget helt andet end en tilbagekaldelse.

41

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Carissime d. frater, literas per puerum tuum ad me missas accepi, et gratissimum fuit, quod communicaveris, quæ Dominus Doctor rettulit etc. Sic undique impudentia Flacianorum innotescit. Sic impudentissima mendacia sunt, quæ sparguntur de D. Stosselio et ejus revocatione. Doctor Bentzius ex meis chartis descripsit, ut ostendat Stosselio, et remittet mihi, quid Stosselius ad hæc mendacia respondebit. Volui etiam tibi significare rem ita sese habere, ut Dominus Præpositus narravit, atqui non Pezelium, sed Stosselium Dresdam scripsisse ad D. Christianum Sagittarium, aulicum contionatorem. Istæ literæ a Listhenio, etiam aulico contionatore, fuerunt interceptæ et ad Electorissam, cui mirifice adulationes Listhenii placent, delatæ

sunt. Inter alia autem D. Stosselius fecerat mentionem τῆς γυναικοκρατίας, et id hujus mali initium fuit. D. Stosselii piam et eruditam confessionem περὶ δελφίνου κυριακοῦ legi, quam D. Electori legendam exhibuit, quæ diversum docet a revocatione, et ubi simul suum proditorem perstringit et simul monet Principem, ne istis scorpionibus nimium fidat, quam primum potero, describam et tibi communicabo. Tuas pagellas remitto cum gratiarum actione. Dominus sit tecum et cum omnibus tuis. Raptim, quia puer tuus diutius expectare non potuit. Husiæ, 9. Martii anno 72.

179

Caspar Hoyer, Nijmegen an der Waal, 13. september 1572.

Om et planlagt ægteskab mellem to ikke navngivne personer, som kansleren (Tratziger) er interesseret i og der åbenbart har været vanskeligheder med; Pistorius bedes snarest sende svar på kanslerens forespørgsel til Hoyer. →. Hvad (hertug Adolfs) ekspedition (til Nederlandene på hertugen af Albas side) angår, meddeler han adskilligt om hertugen af Alba, Wilhelm af Oranien og Admiral af Frankrig (greven af Coligny), Huguenotterne, Bartholomæusnatten i Paris og mordet på Coligny.

42

Casparus Hoyer Johanni Pistorio suo S.D.

Non dubito te ea, quæ ante septimanas plus minus septem in Eyderstedia de nuptiis tibi notis conficiendis tractata sunt, memoria tenere. D. Cancellarius easdem apud puellæ patrem suis literis cum urgeat, spero illum hoc consilii captaturum, quod per se pium et honestum, tum etiam ex re sua filiæque futurum sit. Quantopere autem sua intersit in tanta præfectorum superbia et injuria habere tutum aliquod præsidium et vindicem injuriarum, judicari facile ipse, qui inter alios ejus experientiæ plane experts non est. Persona, cujus causa agitur, mea commendatione usque adeo non indiget, cum ipse vobis et fama et facie notus sit. Tabellarium, qui has ad vos literas perfert, ea præsertim causa ablegavit ad vos D. Cancellarius. Vestrum erit illum cum literis et optato responso quamprimum ad nos remittere. Quantum ad præsentem statum nostræ expeditionis attinet, nolo te cœlare nos hinc (volente Deo) cras recta Bergam in Hannonia cum toto exercitu profecturos reliquoque exercitui nos conjuncturos. Bergam enim arctissime obsedit Albania Dux ingenti exercitu, numerum quindecim mille equitum et octoginta mille peditum excedente. Muri ex una parte tormentis conquassari coepti sunt, ita ut irruptio et expugnatio in nostrum adventum saltem differatur. Princeps enim Urania cum illis equitibus, quos Ernestus a Mandelslo impensis Admiraldi Gallia, nuper ipso die Bartholomæi Lutetia trucidati, conductos habet, non procul a Berga castrametatus est, eamque ob causam Albania Princeps irruptionem in nostrum adventum differre cogitur. Quam calamitose Admiraldus Gallia cum 60000 Huguenottis, inter quos principes viri et nobiles complures, trucidatus sit, item quæ præterea scitu digna sunt, ex Johanne Kalenio abunde cognosces, eamque ob causam brevior sum. Plura scripturus, ubi se scribendi occasio uberior obtulerit. Tu interim cum tuis cura ut valeas, et negotium illud nostrum tibi commendatum habeas nosque, quod facis, ama. Saluta conjugem et Johannem Hoyerum, cognatum meum et tuum affinem. Raptim Neomagi ad Vahalam die 13. Septembris anno 1572.

Tui amantissimus Caspar Hoyer.

Johannes Pistorius til Caspar Hoyer, Tetenbüll, 2.januar 1573.

Svar på ovenstående brev af 13.september 'i fjor' (hvormed årstallet for dette brev er givet). Pistorius ønsker Hoyer til lykke med en god hjemkomst. At han ikke har svaret før, har bl. a. hans dårlige helbred været skyld i. Om ægteskabssagen kan han kun meddele, at pigens forældre endnu ikke vil give hende bort. Hoyer har for to år siden lånt en slægtning af Pistorius 200 mark (cf. brev nr.165), som han nu kræver tilbagebetalt med renter; Pistorius beder på sin slægtnings vegne om et års henstand.

338

Nobili et præstanti viro Domino Casparo Hoyoero
Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Nobilis et præstans vir, imprimis et ex animo tibi tuisque gratulor et lætor de felici tuo reditu, et insuper æternum Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, oro, ut totius hujus anni curriculum tibi sit futurum prosperum et salutare. Amen. Porro, mi Domine Caspare, literas, quas superiore æstate 13. die Septembris Noviomago ad me dedisti, hic Calendis Octobris accepi, et quia de negotio illo, quod antea mihi commiseras, literis tuis me commonefacere voluisti, ut et illud urgerem et quid responsi consequutus essem tibi significarem, in neutro studium et diligentiam meam requiri passus fuisset, si non obstitisset et valetudo mea, aliquanto tum temporis imbecillior, et quod qui meas ad te referret literas nuntium non haberem. Nam etsi scriberes vos inter cetera et hac potissimum de causa nuntium cum literis huc ablegasse et Dominum Cancellarium etiam ad illum nostrum literas dedisse, tamen nec nuntium illum, quis et ubi esset et an literæ Domini Cancellarii illi nostro traditæ essent, cognoscere potui. Cum autem, mi Domine Caspare, literas tuas accepissem, statim denuo illum nostrum conveni ac me a Tua Præstantia accepisse literas ipsi indicavi, et quidem de negotio illo, de quo antea cum ipso egissem. Rogavi igitur eum, ut quid animi haberet, mihi aperiret et certi aliquid responderet. Ibi, etsi hactenus et huc usque responsum distulerat, dixit se quidem cum uxore locutum esse et deliberasse, sed se in ea esse sententia, quod filiam nondum vellent elocare. Ego vero monui ac consului, ut omnia diligenter et dextre perpenderent, et cum animadverteret Dominum Cancellarium et te rem hanc serio agere et ut succedat imprimis vos expetere, ne tergiversaretur et consilio ac voluntatibus vestris obniteretur, ac quæ commode inde expectare et consequi posset, utrumque pro meo captu indicavi et delineavi. Sed etiamsi nec dum optati aliquid responderet, dixit tamen se Domini Cancellarii literas expectaturum. Ita tunc ab invicem discessimus. An vero Domini Cancellarii literæ postea ad ipsum pervenerint, me latet. Quæsivi quidem ipsum de eo semel atque iterum, verum se eas accenisse negavit. Ulterius causa hæc non est deducta. Verum cum in hisce vestris nundinis ipse noster ille ad vos sit venturus, vellem, ut ipsi, cum ibi alloquerimini, et coram causam hanc ageritis. Sed hæc hactenus; nunc ad alia pergo. Præstans et carissime Domine Caspar, proximis hisce diebus apud me fuit affinis meus, qui ante biennium ducentas a Præstantia Tua marcas utendum accepit. Is non solum mihi indicavit te eas repetisse et velle, ut in his nundinis sortem una cum usura numeret et solvat, sed et simul conquestus est de difficultate, quod et quare idipsum hoc tempore præstare nequeat, et etiam me rogavit, ut suo nomine ad

Præstantiam Tuam scriberem et eam obtestarer, ut vel hoc saltem adhuc anno sorte ipsi utendum concedas et cum ipso patientiam habeas. Quod cum me facturum in me receperim, te, præstans et amantissime Domine Caspar, oro, ut, quemadmodum mihi de tua humanitate et benevolentia polliceor et confido, facias et promittas illi hoc anno pecunia illa utendum, et ut consideres, quod cum sit novus maritus (ante triennium enim cum consanguinea mea matrimonium iniit), non ob unum aut alterum annum pecuniam illam a te petierit et acceperit. Et si illud nunc restituere debet, id sine magno suo detrimento non posse fieri, quod te pro tua humanitate et probitate non cupere nobis persuademus. Illi, qui pro ipso fidem suam interposuerunt, non dubito, quin nihil hæsitando id ipsum facturi sint diutius, quod de illis experieris. Et ego si scirem, mi Domine Caspar, aliquid esse in hac causa, cur metuere et vel de sorte, vel de usura periclitari quoquo modo deberes, id de illo potius te monerem, quam ut pro ipso intercederem. Oro igitur, mi Domine Caspar, ut hoc tantum anno cum illo patientiam habeas, et ut sors diutius apud ipsum sit, si permittere non poteris nec velis, id illi denunties, ut se præparet ad solutionem in sequentem annum. Quacunque in re ego pro meo modulo vicissim Præstantiæ Tuæ gratificari et inservire possum, omnibus viribus annitar et contendam. Commendo Præstantiam Tuam et honestissimam conjugem ac liberos suavissimam curæ et protectioni omnipotentis et misericordis Dei, qui vos omnes Spiritu suo Sancto donet et regat, ut sitis *οικεῖν ἑλέους* vobis et aliis salutaria. Amen. Datæ ex Tetenbul 4. Nonas Januarii [1573].

181

Johannes Pistorius til Volquard Jonæ, udateret.

Undskyldning for ikke at have skrevet til eller besøgt Jonæ i så lang tid, men forsikring om trofast venskab. Pistorius har siden Jonæ's bortgang haft mange vanskeligheder og besværligheder, så han er led og ked af at være længere på dette sted. Efter forårsarbejdet håber han at besøge Jonæ. I denne vinter er han ene, da kapellanen omkring Mikkelsdag har fået sin afsked; han ved endnu ikke, hvem han får i hans sted, men skulde Jonæ kende en velegnet mand, bedes han sende ham. (Brevet følger i håndskriftet efter brev nr. 331, her nr. 174, fra Johannes Pistorius til Volquard Jonæ fra omkring februar 1572, hvorefter altså 'idem ad eundem' i overskriften skal forstås. Det er udateret, men Jonæ's brev af 20. januar 1574, som synes at være svar på det, daterer det til 6. januar 'i fjor', altså 1573. Er dette rigtigt, skal 'biennium fere' siden sidste brev ikke tages alt for bogstaveligt, og Egidius von Meldert vilde herefter have forladt Tetenbüll i efteråret 1572, hvilket så også giver en mulighed for, at den i brev nr. 106 fra 1559 nævnte Egidius er identisk med Egidius von Meldert.)

332

Idem ad eundem.

S. per Jesum Christum. Reverende vir et carissime Domine Compater, ante omnia tibi et honestissimæ conjugii tuæ ex animo opto et a Deo omnipotenti oro, ut totius hujus anni curriculum vobis sit faustum et salutare. Amen. Idem et te mihi meisque optare et favere etsi non

dubitem, metuo tamen et nescio, quid non de me cogitare, suspicari et etiam dicere possis, quod tanto tempore vel nihil literarum ad te dederim vel te non inviserim. Sed, reverende et carissime frater, utut ita factum sit vel etiam posthac fiat, velim statuas nihil ejus a me ἐκ προαιρέσεως fieri, et me nihilominus illum tibi esse, qui et qualis esse debeo et me decet tuaque in me beneficia et merita requirunt, h. e. tui amatissimum, studiosissimum et observantissimum, quod Deum καρδιογνώστην testor, qui mihi sic faciat, ut tibi conjugique tuæ ab ipso fieri velim ac optem. Biennium fere elapsum est, cum ultimo ad te scriberem, et scripsí tunc quædam, quæ tibi occasionem et causam præbere poterant mihi respondendi, sed cum nihil rescripseris, dubito literas illas ad te esse portatas, quod sane nollem. Interea temporis sæpe mihi proposui te invisere, sed semper aliud ex alio abortum est, quo impediēbar et propositum mutare cogēbar. Ipse nosti, quibus et quam variis rebus, curis et molestiis paterfamilias distineatur, ita ut non facile quæ animo alludent aggredi et exequi possit, et præsertim qui ita vivit ut ego hic, ruri nempe et inter operas rusticas, ubi semper una alteram subsequitur. Sed spero Dominum his aliquando daturum finem. Nam nunc tandem me vere tædet in hoc loco diutius vivere. Circumvallant et obruunt, imo cooperiunt calamitates hic nos ut innumeræ, ita et magnæ. Mi frater, quæ et qualia hic post tuum discessum acciderint, longum esset narrare, sed non dubito, quin tibi maxima ex parte comperta sint; verum Dominus dederit, ut conveniamus et inter nos de his colloquamur. Fuimus Troës; actum est de Eyderstedia. Sed satis, et valeant hæc usque in suum tempus. Nam si Dominus voluerit, constitui post tempus arationis et sationis vos invisere et fabulari tecum usque ad tædium etiam. Nunc vero et tota hac hieme sedeo alligatus domi, propterea quod collega caream, qui impetrata dimissione circa diem Michaëlis alio migravit, et cum nondum sciamus alium, qui ad futurum Pascha illi succedat et sacellani (ut vocant) munere fungatur, mi reverende Domine frater, si tu quem nosti aut intra breve tempus tibi oblatus fuerit, qui nobis usui esse possit, cujus et pietas et modestia tibi probata sit, eum huc ad nos mittas te rogatum velim.

182

Georg Crusius, Kotzenbüll, 24. januar 1573. :

Crusius skriver om nogle breve, som Superintendenten har skrevet til kurfyrsten af Sachsen. Daniel Toussain har skrevet mod (Johann) Marbach; han er Calvinist, og Crusius sender Pistorius bogen som en slags gift.

43

M. Georgius Crusius, pastor ecclesiæ Dei, quæ est in Cottzenbul,
Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor et frater carissime, Slesvico abii 20. die Januarii, salutato D. Superintendente, qui binas has literas tradidit mihi describendas atque Tuæ Humanitati communicandas, ea tamen conditione, ut quamprimum remitterentur Slesvicum. Ajebat apud nos esse octonas literas, verum ego, ut est, negavi mihi visas, quod mirabatur. Quare, vir reverende, meum famulum ad Tuam Humanitatem misi, ut binas has offerret, mihi vero octonas illas et eas, quas ad Septemvirum Saxonicum ultimo, quod sciam, noster D. Superintendens scripsit, referret. Contra Marbachium scripsit Daniel Tossanus Germanice, quem librum D. Doctor perlegendum quoque mihi tradidit; ubi perlegero,

quod intra triduum spero fiet, a me Tua Humanitas poscat. Calvinista is est et ubicuitarium dogma insectatur sub pallio Augustanæ Confessionis, ut simplices et incautos irretiat. Itaque ego obsignatum librum tanquam toxicum præsens Tuæ Humanitati transmittam. Tuam Humanitatem cum conjugè et liberis Deo optimo maximo commendo.

Ex Cottzenbul 24. januarii anno 73.

183

Peter Aurifaber, Garding, 7. februar 1573.

Da modsætningen mellem stilleren (Sivert Sivertsen) og landsdelens befolkning forventes snart at komme til bristepunktet og han skal rense sig over for fyrsten, beder han, som er uskyldig og har en god samvittighed, gennem Aurifaber Pistorius om både offentligt og privat at bede Gud om en lykkelig udgang.

44

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Johannes, amice et frater in Christo carissime, quum propediem expectanda sit motæ inter D. Præfectum et provincialium aliquot tragoediæ epistasis, quæ gravis admodum et periculosa ob controversiarum multitudinem et magnitudinem timenda erit, amanter orat D. Præfectus (utpote cui ob plerorumque traductionem et calumnias mandatu Illustrissimi Principis, Domini nostri clementissimi, sui purgandi necessitas incumbit) pro se studiose ad Deum (non tamen expresso suo aut adversariorum nomine) a Tua Præstantia publice et privatim intercedatur, quo clementissimus Deus huic controversiæ (multo profecto, quam multi existimant, graviori) salutarem et optatum exitum largiri dignetur. Et quia innocentia sua et bonæ conscientiæ testimonio fretus confidit se justa apologia objecta crimina refutaturum, non dubitat se Tuæ Præstantiæ precibus adjutum majori cum fructu causam dicturum, promittit etiam gratitudinem pro hoc pietatis officio. Bene et feliciter in Christo Jesu cum carissima uxore et liberis vive ac vale. Gardingæ pridie Invocavit anno 73.

184

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 3. marts 1573.

Horsten sender Wittenbergernes skrift (cf. 177) m.m. tilbage. Hans hustru har efter en fødsel været syg og svag, og han har hørt, at Pistorius' hustru heller ikke er rask. Forskellige midler har ikke hjulpet, og han beder derfor Pistorius, hvis han kender et middel, om at meddele ham det. Hans broder har meddelt ham, at nogle steder i Bremen stift udelades exorcismen i dåbsritualet, som lysene tidligere også er blevet fjernet fra altrene.

45

Bernhardus Horstenius Johanni Pistorio S.D.

Redit tandem ad Tuam Humanitatem, reverende humanissimeque D. Pastor, compater dilectissime, scriptum Witebergensium ante annum aut ultra mihi concessum una cum reliquis scriptis, sat quidem sero, nisi Tuam Humanitatem mihi boni consulturam hanc dilationem omnino confiderem. Causa dilationis præcipua fuit morbus gravis et diuturnus dilectæ conjugis meæ, utpote qui 3. hebdomadibus ante diem S. Jacobi, id est a tempore partus incipiens huc usque duravit, et etiam invalescit. Hinc perlegendi scripta otium non fuit ante festum Paschæ, nunc autem

notiorem partem perlegi, agoque immensas gratias pro communicatione. Audivi tuam quoque conjugem adversa laborare valetudine. Dominus Jesus utramque pristinae sanitati clementer restituat. Mea perpetuo fluxu menstrui laborat, ideo, ut facile colligere potes, admodum est imbecillis et viribus prostratis et enervatis. Varia adhibuimus remedia, sed frustra. Si quid Tuæ Humanitati cognitum esset huic malo adhibendum remedium, obnixè orarem, ut impartiri dignareris. Spero nos brevi coram visuros vos et collocuturos. Interim feliciter vale et saluta nostro nomine conjugem tuam dilectissimam. Novarum nihil habeo, nisi quod nuperrime a fratre meo mihi significatum est aliquot in locis dioecesis Bremensis in forma baptizandi omitti exorcismum, ut et antea etiam lumina ab altaribus remota sunt. Datæ ad S. Petrum 3. Martii anno 73.

185

Georg Crusius, Kotzenbüll, 18. marts 1573.

Noget om 'fyrsternes breve' og en 'epistola Pomeranica', som superintendenten (von Eitzen) vilde svare på. Pistorius bedes sende dem hurtigt, så Crusius' collega, superintendentens stedsøn Conrad (Volckmar) kan tage dem med til Slesvig.

47

M. Georgius Crusius Johanni Pistorio S.D.

Reverende et doctissime vir, nisi me tuus antevertisset, meum ad te famulum hodie misissem. Nam præterquam quod epistolas Illustrissimorum Principum misurus eram, D. Doctoris nostri de epistola Pomeranica tibi sententiam eram intimaturus. Nam scripsit mihi se ad eam responsurum, ideoque expetere relectionem ejus, verum non vult tuis sumptibus tabellarium ad id conducere, posse enim ad D. Pastorem Husensem non incommode mitti oblata occasione. At cum privignus D. Superintendentis, meus collega Conradus, Slesvicum cogitet [proficisci] die Martis post Paschatos celebritatem pomeridiano tempore, poterit Tua Humanitas mature hac septimana ad nos mittere. Ego vero Tuæ Humanitati de commodatis magnas ago gratias et mea tibi officiola, si qua sunt, defero vicissim. Vale. Cotzenbüllii die Mercurii post Palmarum anno 73.

186

Georg Crusius, Kotzenbüll, 6. maj 1573.

Svar på ovenstående brev med tak for de tilsendte breve. Noget om (Johannes) Sturms bøger, bl.a. hans Prodromon på tysk.

46

M. Georgius Crusius Johanni Pistorio S.D.

Gratias tibi, vir reverende, ago quas possum maximas, quod in tempore tradideris. Meo enim damno cras aurigam conducere decreveram, qui ea, quæ istic construuntur, huc adveheret. Verum cum intelligam nondum confecta esse, jactura sumptuum nondum facta, te meis rebus festinatione tua consulente, iter differetur. Sturmium ante quatrimum D. Aurifabro misi; mirarer nondum traditum, nisi D. Petrus tua absentia fretus in reditum tuum forte distulerit. Collega meus Slesvico rediens nihil nisi πρόδρομον Sturmii Germanice versum attulit, quamlibet illum Latine audire [velim], et præsertim decernente justo proelio quod emissarius ille velitator denuntiat et classice canit. Si quæ alia

171

tradidit, ut spero (nam se facturum reverendus D. Superintendens promisit), ea, quæso, communicare ne dedigneris. Festinante calamo Cotzenbulii 6. Maji anno 73.

187

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 1. august 1573.

Tak for Pistorius' svar på brev nr. 184 og for al umage, ligeledes for nogle lånte bøger. Hvis Pistorius kender nogen, Horstens datter kunde være til tjeneste om vinteren, bedes han tænke på dem. Noget om fyrreplanker til Pistorius.

48

Bernhardus Horstenius Johanni Pistorio S.D.

Reverende humanissimeque compater ac dilectissime in Christo frater, me vocato ad ægotum famulus tuus ædes meas accessit, quem ad reditum meum familia detinuit. Pro studio ac promptissima nobis exhibita diligentia immensas ago gratias, relaturus si quando dabitur. Deus optimus maximus, præstantissimus medicus, pro immensa sua misericordia uxorem pristinæ sanitati ad honorem nominis sui, uxoris salutem, meam liberorumque refectionem et emolumentum restituere clementer dignetur. Amen. Libellis mihi concessis quantum me tibi devinxeris, carissime d. compater, non possum satis scribere; adeo delector lectione illorum, ut aliis legendis ne horulam quidem concesserim. Dabo operam, ut perlecti, et ubi quædam ad cognitionem necessaria descripta sunt, salvi et integri ad te redeant quamprimum. Si pro transmissis ad nos quid addidisti pretii pro nostra amicitia, salva et bona fide restituatur. De privata filia mea proxime locuti sumus; si quem noveris, cui pro sua condicione pie et honeste famulari posset per hiëmem sub justa disciplina, precor nostri meminere. Si nos qua in re vobis gratificari posse nostis, non petite, sed imperate. Cum Hermanno Koster de asseribus pineis tuo nomine mihi fuit sermo (rediit enim hesterno die Stada); dixit, si sibi non sint, posse se tum ab aliis commode in vestrum usum accipere. Quid hic faciendum, deliberabitis inter vos. Bene vale cum dilectissima conjugè et liberis. Spero nos brevi coram latius collocuturos. Datæ ad S. Petrum Calendis Augusti anno 73.

188

Johannes Hamer, Husum, 1. oktober 1573.

Hamer kan desværre ikke optage Pistorius' nabos søn i sit hjem. Georg N(icolai) gør ilde i at henvise elever, som på grund af dårlig undervisning ikke har lært noget i skolen, til andre skoler. Johannes Oldenburg er blevet indsat som (kon)rektor, og man er lykkelig over at have fået en så dygtig mand til skolen.

49

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Commendas mihi in literis tuis, vir reverende ac frater in Christo carissime, vicini tui filium et petis, ut eum ad me recipere ejusque rationem habere velim etc. Facio certe quæcunque tibi et tuis grata sunt, verum in hoc tibi gratificari non possum, idque propter certas causas, quas in præsentia coram exponam. Male autem facit Georgius N. instigans miseros et rudes pueros, ut qui vix prima rudimenta (quum negligenter instituti sint) gustarunt, ut hinc ad alias scholas

se conferant. Sed cur id faciat, omnibus nobis satis superque notum est. Sed valeant illa. Dominus Johannes Oldenburgius novus nunc ludimoderator heri in scholam introductus est, et a Pastore juvenus nostra ipsi est commendata. Seniores hujus oppidi, et præcipue qui literarum aliquam cognitionem habent, per intimationem antea invitati adfuerunt frequentes, ut declamationem ipsius audirent. Habuit orationem profecto satis splendidam de utilitate scholarum, quam memoriter recitavit per duas ferme horas cum summa omnium admiratione. O divinum ingenium! Ecce qualis sit Deus noster, erigens ex pulvere pauperem! Gratulamur merito patriæ nostræ de tali ornamento et peculiari Spiritus Sancti organo, eumque oramus, ut regat hunc adulescentem et nos omnes gubernet, quo ipsi grata, nobis et auditoribus nostris salutaria dicere et facere possimus. Vale, carissime frater, et uxori carissimæ ex me salutem plurimam dicito. Ex Husia 1. Octobris anno 73.

189

Volquard Jonas, Rendsborg, 20. januar 1574.

Tak for brev af 6. januar 1573 (nr. 181). Jonæ har med sorg hørt om forandringer og genvordigheder i Ejdersted og er stadig glad for, at han er sluppet derfra. Han ønsker også, at han engang må kunne besøge Pistorius på et bedre sted, og vil ved lejlighed gerne hjælpe ham til forfremmelse. Han håber snart at sende en lærd og from mand til Pistorius, men er i tvivl, om han ikke først skal anbefale ham til provst Bartholomæus (Embs). (Pistorius har åbenbart stadig ikke fået en kapellan i stedet for Ægidius von Meldert.)

50

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio suo S.D.

Literas tuas, carissime d. compater, 8. Idus Januarii anni superioris scriptas accepi. Sed ad eas tum nihil respondi nec respondere volui, eo quod tuum adventum quotidie expectabam. Postea apud vos acciderunt variæ mutationes et rerum vicissitudines, quas non sine magno animi motu et dolore audivi. Visus autem sum mihi quasi que prævidere quosdam exordiri telam, quæ unius anni spatio vix pertexeretur. Sed de his aliquando plura coram. Quod mihi felix et salutare totius anni curriculum precaris et mihi tacite gratularis eam felicitatem, quod ante turbas istas apud vos exortas discesserim, gratias ago et habeo quam maximas. Felicitatem quoque istam non minimam duco ac Deo gratias quotidie ago, quod me et ante diluvium et turbas istas ex eo loco eduxit. Tibi vicissim, mi frater, et carissimæ conjugii et liberis dulcissimis omnia felicia precor Deumque oro, ut mihi aliquando te in splendidiore aliquo loco visitare contingat. Voluntas te promovendi certe mihi hactenus non defuit, sed occasio non est oblata: si ea dabitur, experieris mihi citius omnia defutura, quam voluntatem defuisse tibi gratificandi, idque ut tibi certo persuadeas oro, et me, quamprimum per occupationes licet, visites, ut possimus simul de publicis et privatis rebus conferre. Spero me brevi ad te missurum hominem satis doctum et bonum, sed nescio, an ipsum prius commendare debeam D. Præposito vestro M. Bartholomæo. Oro autem, ut mihi, quamprimum poteris, tuum consilium communices. Oventus vester procul dubio brevi aliquem huc mittet, illi potes literas tuas perferendas tradere. Bene et feliciter vale cum dilecta conjugee et liberis. Scripsi Rendesburgi ipso die SS. Fabiani et Sebastiani anno 74.

Johannes Hamer, Husum, 10. juni 1574.

Hamer sender Pistorius Exegesis (perspicua et ferme integra de Sacra Coena, 1574). Han ønsker, at forfatteren (den schlesiske læge Joachim Cureus), som skriver om en kun åndelig nydelse i nadveren, må komme til bekendelse af Kristi virkelige og substantielle nærværelse i dette sakramente. Luthers sidste bekendelse om nadveren (vel hans 'Yurzes Bekenntnis des Sakraments', 1544, eller hans teser mod 'theologisterne i Löwen'), som Wittenbergerne havde udgivet, er en 'gylden bog'; hvis disse virkelig mener og lærer således, kan de ikke beskyldes for calvinisme. Hamer sender også et brev fra Nicolaus S. (Selnecker?), som giver oplysning om forfatteren til 'Exegesis', men mener ikke, at den kan være skrevet af en læge. Til sidst et 'kvinderne tie i menigheden' (mod kurfyrstinde Anna).

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Reverende vir et frater carissime, Exegesin, cujus nuper in meis ædibus facta est mentio, mitto, ea tamen condicione, ut intra octiduum remittatur immaculata et sine scholiis sive annotationibus marginalibus. Eam enim licentiam sibi unicus Bokelmannus (et ipsum sequens P. Aurifaber) sumit, ut in alienis, ad se non pertinentibus libris scribat. Vides doctissimum esse scriptum, et rationes, quibus nititur, ut nobis spiritualem tantum manducationem in sacra coena persuadeat, non esse aniles. Ego cum gemitu legi, subinde vota mea addens, ut talem huic viro animum Dominus largiatur, ut nobiscum veram et substantialem corporis ac sanguinis Christi in coena præsentiam profiteatur. Mitto etiam ultimam Lutheri sanctæ memoriæ de Dominica Coena confessionem. Aureus iste liber est, et si theologi Witebergenses sic sentiunt ac docent, certe ob Calvinismum traduci non poterunt. Eo autem consilio editum ab ipsis, ut suspicio de Calvinismo amoveatur, non dubium est. Verba inscriptionis non a Luthero, sed ab ipsis sunt addita: Wider die alten und neuen Sacramentsswermer. Divino autem consilio factum, ut liber iste ante mortem Lutheri ederetur, quod si non fuisset factum, priores confessiones et reliqua ipsius scripta contra sacramentarios ipsum non potuissent defendere, quin invitus cogeretur Cinglianus esse. Epistolam etiam Nicolai S. mitto, ut videas scripti auctorem. Non credo medicum composuisse. Tabellarius nihil certi narrare potest de professoribus etc. Nonnullos vocatos ait et statim dimissos ab Electore. Si aliquid certi a Nicolao cognovero, faciam ut scias. Adsit nobis Deus suo Spiritu et regat nos, ut simplicem ac veram sententiam testamenti Christi simplicibus verbis ab ipso unico Magistro nostro propositam retineamus ac constanter defendamus. Mulier in ecclesia taceat. Raptim ex meo musæo 10. Junii anno Christi 1574.

Johannes Pistorius til Albert Meyer, Tetenbüll, 29. juni 1574.

Pistorius returnerer 'Exegesis', som åbenbart er gået på omgang hos flere præster (cf. nr. 190), og andet, deriblandt 'Epitome Chronicorum' fra Peter Aurifaber. (Årstallet er givet med Pistorius' alder.)

Reverendo M. Alberto Meiero, Pastori in Lintholm Risingmoræ,
Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Christum. Reverende Domine Magister, amice et frater carissime, remitto tibi Exegesin et alia, quæ mihi benevolo ac candido animo communicasti, pro quo gratias tibi habeo et ago quam maximas. Antea remissem, sed ab eo tempore, quo nuper tibi adfui, usque ad hoc certus nuntius mihi non est oblatus. Ignosce igitur mihi, quod præscriptum tempus non servarim. Quum autem nuper volueris, ut Epitomen Chronicorum a D. Petro Aurifabro tibi peterem et transmitterem, feci ea in re, quod voluisti, ac plura et majora, si modo possim, tua causa semper et sedulo sum factururus. Bene et feliciter vale in Christo Jesu, amice et frater dilectissime, una cum conjugæ et liberis dulcissimis. Datæ in Tetenbull ipso die Petri et Pauli, quo die ante annos 46 in hanc lucem editus sum.

192

Peter Aurifaber, Garding, 17. juli 1574.

Aurifaber beder om Pistorius' og hele hans menigheds forbøn for en anfægtet kvinde.

52

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor, amice et frater in Christo observande, ignitis Satanæ telis graviter sauciata et continuo dolore, mæstitia ac insomniis afflicta honesta quædam foemina, quam antiquus ille serpens variis tentationibus assiduo exagitat, excruciat et in desperationis barathrum præcipitare machinatur, obnixè expetit, ut Tuæ Dignitatis precibus privatim et totius vestræ ecclesiæ solenni ad Deum deprecatione pro se intercedatur, ut Pater misericordiarum et Deus omnis consolationis Satanæ conatus impedire seque ex illius laqueis expedire, necnon Spiritus Sancti salutari consolatione spem vitæ æternæ et lætitiæ in Deo acquiescentem in corde ipsius accendere velit. Huic pio ipsius voto te annitutum certo confido et te cum uxore et carissimis liberis Deo commendo. Gardingæ 17. Julii anno 74.

193

Johannes Hamer, Husum, 5. september 1574.

Hamers sognepræsts (Peter Bokelmanns) brev og en bog, som Bokelmann var knotten over at Hamer havde ladet Pistorius få, bedes omgående tilbagesendt, da Bokelmann samme dag venter besøg af provsten (Schrøder), sin søn (antagelig sognepræst i Oldenswort Hermann B.) og svigersøn (sognepræst i Morsum på Nordstrand Volquard Ingwersen) til en samtale 'om disse ting'.

53

M. Johannes Hamerus Joh. Pistorio S.D.

Reverende Domine Johannes, Dominus Pastor iniquo animo tulit, quod tibi literas ipsius et librum istum communicaverim, ita ut non sine stomacho diceret se posthac nunquam mihi quicquam communicaturum. Hodie expectat Præpositum, filium et generum suum, ut cum illis loquatur de rebus istis. Jussit igitur, ut librum repeterem. Quare

rogo, ut sine mora cum hoc puero mihi remittas et literas et librum bene chartis involutum, ut sine maculis redeat. Cum abitus tuus mihi esset nuntiatus et te domum, quæ miseram, tecum sumpsisse, vehementer sum consternatus; præsagiebat animus me malam apud Pastorem gratiam initurum. Sed de his satis. Vale feliciter cum uxore et liberis, quibus ex me salutem dicito. Husiæ 5. Septembris anno 74.

194

Abraham Pape, Tating, 18. september 1574.

Pistorius mindes om, hvad der ved et konvent i Garding 'er sket og afgjort i vor sag', og hvis han fra broderen Michael har modtaget hertug Johannes' (vel hertug Hans d. æ.s) mandat, bedes han meddele, hvornår og hvor Pape kan opsøge ham for at tale med ham om sagen.

54

M. Abrahamus Papa, pastor Tatingensis, d. Johan. Pistorio S.D.

Quid Gardingæ in nostra causa in proximo conventu actum conclusumque sit, mi Domine Compater, procul dubio adhuc recenti tenes memoria. Commissarios venisse audio. Si mandatum Illustrissimi Principis Ducis Johannis a d. Michaële, fratre nostro, acceperis, vellem ut tempus et locum indicares, quando et ubi te accederem, ut omnia ad nostrum institutum et propositum pertinentia eo melius et rectius curare possemus. Tu quid optimum factu sit, facile pro tua prudentia percipies. Bene et feliciter cum tota domo in Christo Jesu vale. Tatingæ 18. Septembris anno 74.

195

Volquard Jonæ, Rendsborg, 15. november 1574.

a) Privathrev. En pengesag: Peter Jacobsen har ved Jonæ's mellemkomst fået henstand til Helligtrekongersdag, men nu har Pistorius bedt Jonæ om at være behjælpelig med at skaffe manden 1000 mark. Jonæ vil gøre et forsøg, men tvivler om udfaldet. Adelsmændene hos ham vil ikke have noget med Ejderstedernes handelsforetagender at gøre. - Tak for gode ønsker og bøn om en lykkelig tilbagekomst for Jonæ's 'affinis' magister Jacob (Bergelen; cf. 132). - Hertug Hans d. Æ.s kansler har meddelt, at de wittenbergske teologer Peucer, Cruciger, Pezel, Møller, Stössel og Wiedebram er blevet forvist til bestemte steder. - Fyrsten (hertug Adolf) er med følge vendt tilbage fra det øvre Tyskland til Holsten. - Edsformularen for præsterne har Jonæ modtaget fra superintendent Paul von Eitzen.

b) Beretning om sammenkomsten af Ejdersteds præster i Garding den 15. september 1574, hvor superintendenten har fremført hertugens gode hensigt med den forelagte edsformular, hvorefter alle tilstedeværende sognepræster og kapellaner i kirken i Garding har aflagt eden og givet deres underskrift.

c) Edsformularen, som forpligter præsterne på 1) den hellige, guddommelige bibelske Skrift i alle stykker og efter dens ordlyd; 2) den apostolske trosbekendelse og de oldkirkelige symboler samt den (på synoden i Kalchedon 451 vedtagne) lære om den uløselige forbindelse mellem de to naturer i Kristus; 3) Den augsburgske Konfession af 1530, Apologien, De schmalkaldiske Artikler og begge Luthers katekismer; 4) især den i de nævnte lutherske bekendelsesskrifter indeholdte lære om nadveren; 5) forkastelse af alle vrang-

lærdomme, som strider mod Skriften og de nævnte bekendelsesskrifter, og 6) især af gendøbernes, sakramentsværmernes, Karlstadianernes, Zwinglianernes, Calvinisternes, Bezaisternes og desliges gudsbespottelige lære om de to sakramenter, med løfte om ikke at ville have noget som helst med dem at gøre, men gøre alt for at bevare og udbrede den sande lære.

Volcquardus Jonæ Johanni Pistorio suo S.D.

Reverende et dilecte domine compater, accepi literas tuas et valde miror, quod scribis me tanto tempore non scripsisse et te a nemine nostrorum vel salutatum esse. Nam ad postremam tuam epistolam respondi et hactenus responsum tuum expectavi. Tum etiam nostrates et alios hinc ad vos proficiscentes sæpius rogavi, si in te inciderent, te nostro nomine amanter salutarent. Adventum etiam tuum exoptavi et expectavi et admiratus sum, quod tempore æstivo ad nos non veneris. Itaque, dilecte frater, non habes justas causas perturbationis vel sinistræ alicujus suspicionis. Et rogo, ut tibi certo persuadeas, sive scripsero, sive non scripsero, animum meum erga te fore eundem, qui semper fuit, hoc est benevolentissimum et tui amantissimum. Petri Jacobi negotium apud consulem expedivimus Dettlevus Widerkes et ego; concedit Petro propter nostram intercessionem dilationem usque ad festum Trium Regum, ut vocant, sed ea lege, ut tunc certo solvat, quod et Petrum facturum speramus. Quod porro ipsius nomine flagitas meam operam in acquirendis mille marcis ad usuram, equidem polliceor et tibi et ipsi meam operam, sed de successu dubito. Nobiles enim hujus loci videntur abhorrere a commercio Eyderstedianorum et exiguam nunc ipsis adhibere fidem. Faciam tamen periculum, et quid sperare possit Petrus, tibi significabo. Et hæc de rebus Petri tui. Quod affini meo M. Jacobo optas et precaris felicem redditum, gratias ago et te oro, ut ipsius sis memor in precibus tuis et ecclesiæ. De Witebergensibus nihil certi habeo, nisi quod Dominus Cancellarius Illustrissimi Ducis Johannis Senioris hisce diebus ad me scripsit ex Molbergo hæc sequentia: De controversiis Witebergensibus brevi coram, Deo dante. Peucerus, Crucigerus, Pezelius, Mollerus, Stosselius, Widebramus ad certa loca proscripti sunt. Hæc Dominus Cancellarius. Heri hic nuntiatum est Illustrissimum Principem cum aulicis suis redisse in Holsatiam ex superiore Germania. Itaque veram narrationem totius rei gestæ auditurum me brevi spero, cujus postea et te certiore faciam. Formulam Juramenti vestri accepi a D. D. Paulo Superintendente. Si quid aliud novi habes, oro ut tecum feras, cum veneris, et veni tandem, carissime frater. Vale. Scripsi Rendesburgi anno 74 die 15. Novembris. Salutat te, uxorem et liberos vestros mea Anna.

Formula Juramenti, cujus hic mentio facta est.

Anno Christi 1574 die 15. Septembris reverendus et clarissimus vir D. Paulus ab Eitzen, Sacræ Theologiæ Doctor et Superintendens Slesvicensis, synodum ministrorum evangelii in Eyderostedia coëgit Gardingæ, in qua postquam, fratribus congregatis, Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri, Domini Adolphi, Ducis Slesvicensis et Holsatiæ etc., pium animum et voluntatem in asserenda, confitenda et propaganda coelestis doctrinæ veritate et puritate exposuisset, et universos et singulos, ut non modo hanc Illustrissimi Principis mentem, voluntatem et studium agnoscerent et collaudarent Deumque precarentur, ut in eo ipsius Celsitudo per Spiritum Sanctum conservaretur

et corroboraretur, sed ut et omnes una cum Celsitudine ipsius vellent et studerent, quo ita apud nos coelestis doctrinae veritas et puritas sancta, illibata et integra maneret, graviter hortatus et obtestatus fuit, ex mandato ejusdem Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri proposuit Formulam Juramenti, juxta quam omnes denuo jurare et sese obstringere voluit et postulavit. Omnes igitur et singuli qui adfuere pastores et diaconi in verba subsequencia non modo jurarunt, sed et manu propria subscripserunt in templo Gardingensi die supra indicato.

Formula Juramenti.

Ick N.N., prediger des hilligen Evangelii Jesu Christi, ordentlicher wisse dorch den willen Gottes geeschet und beropen, Swere by dem hilligen Namen Gottes und seines Sohns Jesu Christi, mines Erlösers, dat ick de hillige Gottlike Bibelsche Schrifft in allenn puncten, Artikelen und wortten holde und gelove warhafftich.

Thom andern, dat ick ock dat hillige Apostolische Symbolum und de anderen waren Symbola, welche van der hilligen allgemeinen Christlichen Kercken sint approbert und angenamen, holde und gelöve warhafftich in allen Artickeln unsers christlichen Gelovens, und also ock van dem Artickel der untrenliken vereinigung der twier Naturen, Gottliker und Menschliker, in der einigen ungedelden Personen Christi, welche untrenlike vereinigung keine tidt oder Stede in ewicheit kan lösen und delen.

Thom drudden, dat ick ock de Augsborgische Confession, Anno 1530 geschreven, sampt der Apologia, Schmalkaldischen Artickelen und beiden Catechismis des hilligen Lehrers Doctoris Martini Lutheri holde und gelöve warhafftich.

Thom veerden und besonderen, dat ick ock de wortt mines Heren und Heilandes Jesu Christi in sinem hilligen Aventmahll und Testament, nomlick, dat is min lieff, welch vor yw gegeben wert; item: dat is min Blodt, des nien Testaments, welch vor yw und vor velen vergaten wert thor vergevinge der Sunde, holde und gelove warhafftich in dem einfoldigen waren verstande der klaren wortte, nemlich, dat dat ware wesentliche Liff mines Heren Jesu Christi, welches vor my in den doedt am Crutze gegeben is, und dat ware wesentlike Blodt mines Heilandes Jesu Christi, welches vor my vorgaten is, in dem hilligen Aventmahll warhafftich sy jegenwardig und warhafftigen uthgedelet werde an allen orthen der werldt, dar dat hillige Aventmahll na der insettinge Christi gehalten wert, und ock van allen Menschen, de in der Christenheit tho dem dische des Herrn gahen, entfangen wert, also des Heren Christi wortte luden: Nemet hen und ethet, dat is min liff, welchs vor yw gegeben wert; drincket alle daruth, dat is min Blodt, des nien Testaments, dat vor yw und vor velen vorgathen wert thor vorgevinge der Sunde. Item also ock de hillige Apostel secht, dat dat Brodt des h. Aventmals sy de gemeinschop des lives Christi, und de gesegende kelck sy de gemeinschop des Blodes Christi, dat is, woll dat gesegende Brodt des aventmahls entfanget, de entfanget dat liff Jesu Christi, und woll denn gesegenden kelck entfanget, de entfanget dat ware Blodt Jesu Christi, de Gelövigigen thor voreinigung mit dem Heren Christo und thor saligheit, de ungelovigen thom Gerichte, gelieck wo dusse Lehre vom hochwerdigen Sacrament is erkleret in der Augsborgischen Confession, Apologia, Schmalkaldischen Artickelen und beiden Catechismis des hilligen Lehrers und Vaders Martini Lutheri, welchers Böker, Schrifte und Bekentnisse ick ock in dussem Artickel holde und gelöve recht und warhafftich. Und by dussem minem Ede vorplichte my dorch de hulpe und Gnade Gottes, desolve ware einfoldige

Lehre vom hilligen Aventmahl miner befahlen Gemeine getruwliken un-
vorfelschet und unvorandert vorthoholden und tho leren beth an minen
ende.

Thom vofften, dat ick alle falsche Lehre und Erdome alle derjen-
nigen, de van der warheit der hilligen Gottliken Schrift und van dem
hilligen Apostolischen und anderen approberten und angenamenen waren
Symbolis, thodem ock van der waren reinen Lehre der Augsborgeschen
Confession, Apologia, Schmalkaldeschen Artickelen und des Catechismi
Lutheri affwiken und jegen desulven Lehre nie erdichtede opinionones,
erdome, falsche und vorföhrische duding in jennigen punct und
Artickel hervorbringen, darmit se de reine Lehre vorfelschen und de
hillige einicheit des Gelövens thostören und de simpelen lude im Ge-
loven erre maken, mit warhafftigen Iffer hate, vorwerpe und vordöme
und my densulven in ehren Secten, wo desulven mogen genommet werden,
nicht will heimlich edder apenbar anhengig maken.

Thom sosten und besondern, dat ick der Wedderdöper, Sacrament-
swermer, Carolstadianer, Zwinglianer, Calvinisten, Bezaisten, oder
wo desulvigen nu edder in thokamenden tiden mogen genöhmet werden,
Gotteslesterliche Lehre jegen de nödigheit und krafft der hilligen
Döpe und jegen de ware jegenwardigheit, uthdeling und entfanginge des
warhafftigen wesentliken Lives und Blodes Jesu Christi im hilligen
Aventmahl, woer datsulve dorch de gantze werlt in der Christenheit
na des Heren Christi insettinge gehalten wert, vor unrecht, falsch,
logenhattich und vorföhrisch holde und bekenne und derhalven mit
warhafftigem Iffer hate, vorwerpe und vordöme und mine befallen
Gemeine na minen gaven dorch de gave und hulpe des Hilligen Geistes
flitigen und getruwliken beth an minen ende will vor solchem Erdome
warnen. Und will my ock nicht solcher Gotteslesterliken geselschop
weder apenbar edder heimlick deelhattig edder anhengig maken, ock
gefahrliker ergerliker wise, dar idt de noedt tho wedderspreken nicht
erfordert, van den sacramentererschen Gotteslesterschen und anderen
vorföhrischen Erdomen vor den Leyen nichtes disputeren, sonder will
de unwandelbare warhafftige Lehre und Geloven van der warheit und
allmechtigheit unsers Heren Jesu Christi und van der warhafftigen
wesentliken jegenwardigheit des waren Lives und Blodes Jesu Christi
im hilligen Aventmahl dorch de Grade Gottes und bystandt des Hilligen
Geistes helpen erholden und vortpfflantem. Duth alles Swere ick ane
falscheit und argelist mit guder conscientien, so wahr also my Gott
helpe. Amen.

196

Johannes Hamer, Husum, 12.marts 1575.

Hamer giver udtryk for sin bedrøvelse over, hvad der er sket med
Niels Hemmingsen (efter udgivelsen af hans 'Syntagma institutionum
Christianarum'), denne gamle og for kirken fortjenstfulde mand.

56

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. frater, munus tuum fuit nobis gratissimum, et dabimus
sedulo operam, ut non verbis modo, sed re ipsa gratitudinem nostram
aliquando declarare queamus. Quæ de Domino Hemmingio refers, non
leviter me affecerunt; doleo certe vicem venerandi senis de ecclesia
optime meriti. Talia dicteria et scommata virum cordatum durius
feriunt et gravant quam vulnera altissime inflictæ et periculosissima.
Ita nunc et tam hostiliter inter se theologi pugnant. Tecum igitur

oro, ut Deus suo Spiritu nos regat, quo unum simus in ipso, et faciat ex nobis vasa misericordiæ et organa ecclesiæ salutaria. Amen. Confitentibus quia nunc audiendi sunt, ideo breviter tibi respondeo, alias plura. Salutabis officiose meis verbis uxorem, filium cum filiabus. Husemo pridie Latare anno Domini 1575.

197

Abraham Pape, Tating, 5.april 1575.

I en sag mellem Pape og hans ikke navngivne kollega (Rudolph Berens?) er denne nu kommet til fornuft, har taget skylden på sig og bedt om tilgivelse, men Pape vil, at forliget skal ske i nærværelse af nogle embedsbrødre og gode venner, som nævnes (hr. Bernhard og hr. Hinrich er antagelig von Horsten, henholdsvis von Riesen).

57

M. Abraham Papa Johanni Pistorio S.D.

Reverende vir, compater carissime et amice integerrime, ego pro salutari tuo consilio, quod proxime mihi dabas, gratias tibi ago quam maximas. Collega meus rediit ad sanitatem, modo confessioni oris credendum sit. Præterito die Solis finita contione in templo in præsentia Georgii me convenit, confitebatur totam culpam et dicebat: Jam pœnitet me iniquæ in te actionis; quicquid factum est, ex nimia præcipitantia linguæ factum est; ick hebbe idt in hastigheit gedahen; peto remissionem delictorum, et cupio tecum reconciliari. Ego nolui illi statim meum animum declarare, sed paucis illi respondi; deinde discessi ab eo. Reconciliationem non recuso, sed illud prorsus mecum decrevi, ut fiat in præsentia aliquorum ex fratribus et amicorum fidelium, videlicet in tua et D. Bernhardi præsentia. Ich will mit ehm nene hundesone alleine maken. Nam ita non servabit fidem. Si videtur vobis adjungere D. Henricum, per me licebit, dummodo ante sciam, quid D. Henricus respondeat, et quo die huc venturi sitis. His paucis vale, dilectissime compater, cum dilecta tua et tota domo. Datæ Tatingæ feria 3. Pasce anno 75.

198

Johannes Hamer, Husum, 5.maj(?) 1575.

Nyheder, som Hamer har modtaget gennem sine venner: Arnold (Muls) er kommet tilbage fra Wittenberg med meddelelse om Flacius' død i marts i Frankfurt am Main. (Georg) Cracow er i Leipzig død i fængsel; Peucer er kommet (i fængsel) i hans sted, men han dør nok også snart (han levede dog til 1602!). Kejserens indtræden for de landsforviste teologer hos kurfyrst August har ikke nyttet noget. (Wittenberger) digteren (Johann) Major er meget anset, men hvor længe? (Andreas) Bauchenius (Pouchenius, d.Æ.) er valgt til superintendent i Lübeck, Cyriacus Simonis til superintendent i Hamburg. Universitetet i Wittenberg har kaldet (David) Chytraus, men han har givet afslag. (Brevet er i håndskriftet dateret 5. marts 1575, men det kan ikke være rigtigt, da Flacius døde 11.marts s.å. På grund af dette og placeringen i brevsamlingen mellem breve af 5. april og 11. juli har man nok lov til at formode, at marts er en skrivefejl, og at det i stedet for skulde være maj.

M. Joh. Hamerus Johan. Pistorio S.D.

Reverende Domine frater, has novitates ex scriptis amicorum collegi et tibi mitto, ut perlegas; quando perlegisti, quæso ut prima occasione mihi remittere velis. Vicinus meus Arnoldus heri domum rediit Witeberga; narrat Illyricum mense Martio Francoforti ad Moenum mortuum. D. Cracovius Lipsiæ in carcere extinctus est. In ejus locum substitutus est D. Peucerus, forte brevi etiam moriturus, quia valetudinarius est. Ipse Imperator sua intercessione nihil apud Augustum efficere potuit, ut theologi exules aut ad pristinam dignitatem veniant, aut dimittantur, ut ad alias academias se conferant. D. Major poëta est in magna existimatione (sed quamdiu?), reliqui professores omnes nullius fere pretii sunt. Coadjutor D. Chemnitii Rauchenius vocatus est ad munus superintendentis a Lubecensibus. Noster condiscipulus Lunæburgi Cyriacus Simonis, qui apud M. Fridericum Henninges superintendentem victitabat, Hamburgi electus est superintendens et nunc profectus est Rostochium, ut gradum doctoris suscipiat. Academia Witebergensis vocavit D. Chytræum, sed is recusavit venire. Raptim ex meo musæo die Martii 5. anno 75.

* Se ovenfor.

199

Johannes Hamer, Husum, 11. juli 1575.

Tak for noget skriftligt, som Hamer har givet videre til hr. Doctor (Paul von Eitzen). Han har gjort, hvad Pistorius havde bedt ham om. (Pistorius') moder har skiftet sind, efter at Hamer havde foreholdt hende, at hun forsyndede sig mod naturens og Guds lov ved at undrage arvingerne, hvad de retbligt havde krav på; har hun noget tilovers, skulde hun hellere i sin alderdom sørge for sig selv end for andre.

59

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio S.D.

Reverende Domine Johannes, frater carissime, accepi pagellas, quas misisti, et Domino Doctori communicavi, qui valde cupidus fuit diu desiderata legendi; quando exaravit, quod intra triduum se facturum promisit, remittam. Negotium mihi commissum expedivi. Mater, re altius considerata, animum mutavit. Dicebam se peccare contra legem naturæ et divinam detrahendo legitimis heredibus, quod jure ipsis debetur, deinde cum alere velit alia corpora, non satis proprium corpus languidum, ætate ac curis multis fere confectum, considerare. Sibi reservaret, si quid residui haberet. Ignorare nos, quando hinc nobis discedendum sit etc. Illa tandem non modo nudis verbis testabatur, sed etiam juramento affirmavit nunquam se ipsis copiam domus facturam. Etsi locum in stabulo concessit, ubi foenum recondant, vaccam tamen ibi locum non habituram, ne aditum sibi ad alia parare possent etc. Sic mihi respondit, quod brevibus significare volui, ut nonnihil mærorem tuum mitigarem. Reliqua, cum huc veneris, narrabo. Interim felicissime cum conjuge dilecta et liberis carissimis vale. Ex meo musæo 11. Julii anno 75.

Tetenbøl kirkes prædikestol, der er fra 1575, er fremstillet i provst Pistorius' tid.



Det indre af kirken i Tetenbøl.



Paul von Eitzen og Bartholomæus Embs, Slesvig, 26.juli 1575.

Pistorius' kollega har været i Slesvig og medbragt et brev fra stalleren Sivert Sivertsen. Efter en alvorlig formaning har han lovet at afstå fra dårlig vandel, føre et fromt liv og rette sig efter Pistorius' formaninger. Han afviser onde rygter om ham. Sagen overgives derfor til Gud og myndighederne, og han har fået lov til at fungere i sit embede; der er sendt en skrivelse herom til stalleren, som Pistorius kan henvende sig til. (Kollegaen kan næppe være nogen anden end Egidius von Meldert; hans i brev nr. 181 nævnte afsked i efteråret 1572 synes herefter at have været en suspension.)

60

D. Paulus ab Eitzen Superintendens et M. Bartholomæus Embs Præpositus
Johanni Pistorio S.D.

Reverende Domine Pastor et carissime frater, fuit apud nos tuus collega et nobis attulit literas nobilis Domini Præfecti Siverdi Siversen, et post nostram seriam admonitionem promisit, quod velit ab omni specie mala abstinere et pie vivere tuisque Christianis admonitionibus obtemperare. Constanter etiam se contra rumorem malum excusat. Itaque nos eam causam Deo et magistratui commendamus et ei concessimus, ut fungatur suo officio, eaque de causa ad nobilem Dominum Præfectum scripsimus et petimus, ut ipsum accedas. Procul dubio tibi nostras literas monstrabit. Bene vale. Ex Slesvico 26.Julii anno 75.

201

Peter Westhof, Lütjenburg, 10.august 1575.

Indbydelse til Westhofs og Engela Feurbergs bryllup i Oldenswort den 4.september 1575. (Da indbydelsen kommer fra Lütjenburg, har Westhof nok opholdt sig der hos sin 'affinis' præsten Georg Gladovius, måske fader til Hinrich Gladovius, ca. 1588-1645, som var fra Lütjenburg; navnene på præsterne i Lütjenburg i 1570erne mangler hos Arends.)

61

Petrus Westhovius Johanni Pistorio S.D.

Gratiam et pacem per Christum. Si quis omnia consilia Dei in creatione inscrutabilia enarrare posset, reverende Domine Pastor, certe non postremum locum occuparet illud de institutione conjugii, quod in arcano venerandæ Trinitatis consilio sanctum* et decretum est, quandoquidem Deus æternus, Pater Domini nostri Jesu Christi, auctor, conservator et defensor est conjugalis tori, qui et maritum et uxorem conjungit ipse, ut et Christus Matthæi 19 testis est: Quos Deus conjunxit, homo non separet, et hisce versiculis pulcherrime expressum est:

Quid moror? Humanæ non est opis, abdita res est
conjugii ratio, fato connubia fiunt,

conservat etiam ac tuetur hoc vitæ genus, ut sit quasi coelestis academia et ἐργαστήριον multarum illustrissimarum virtutum, fidei, invocationis, patientiæ, obedientiæ, dilectionis, castitatis, quibus et ad Deum proxime accedimus et conformes imagini Dei efficimur, ut venuste Stigelius inquit: Conjugium humanæ divina academia vitæ est. Quantis etiam beneficiis et amplissimis honoribus Deus sanctum conjugii foedus exornarit quamque horribilibus poenis ejus contemptores

et violatores affecerit, sacra litera et omnium temporum historia gentium docent, et rerum experientia testatur. Etsi autem in vita conjugali et oeconomia execrandus ille Dei et hominum hostis Satan plura fabricetur mala quam in vita caelibis, de quo ethnici illas sententias protulerunt, ut Euripides: Μεγάλη τυραννίς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή, item: ἀθάνατόν ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή, et astrictus nuptiis non amplius liber est, uxorem duxi, libertatem vendidi. Unde et tritum videtur natum proverbium: Sine conjugio vivere est libere vivere. Tamen si e contra honores, dignitates et fines matrimonii, necnon insignes consolationes, quas Scriptura sancta ejus difficultatibus opponit, considerabimus, longe praestantiora sunt, quam quod molestiis et calamitatibus (si modo calamitates conjugio inesse dicendum est) conferri possint vel debeant. Ac odiosa sane libertas est, quae sibi soli vivit, et exitio est generi humano, quod necesse est interire, si omnes ea libertate frui velint. Rectissime igitur Metellus hunc finem perpetuam rerumpublicarum salutem appellat, cum inquit: Si sine uxoribus esse possemus, omnes ea molestia careremus, sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, salutem perpetuam potius quam brevi voluptati consulendum est. Haec cum ipse saepe animo volutarim, et ab amicis et cognatis proposita mihi sint saepius, jamque tale munus subierim, quod aliud vitae genus flagitat, praecipue Dei et monitu amicorum meorum, praecipue carissimi ac reverendi Domini affinis mei Georgii Gladovii, consilio parendum esse duxi. Quam ob rem cum honesta ac pia virgine Engela Feurberges, honesti civis Slesvicensis piae memoriae Theodorici Feurberges filia, matrimonium contraxi, quam ut mihi in nomine venerandae Trinitatis ex singulari Dei providentia et utriusque partis amicorum consensu legitime desponsatam habeo, ita etiam nuptias (quae de Lutheri consilio non diu differendae) 14. Dominica a festo Trinitatis, quae erit 4. Septembris, pro more et ritu ecclesiae Christianae in Oldenswordt Eyderstediae in praedio Ivari Ivers celebrare constitui, ad quas cum multis de causis plerique boni viri, amici et consanguinei invitari soleant, teque inter eos habeam, quos perpetuo mihi colendos et observandos proposuerim, cum meo, tum sponsae nomine officiose rogo, ut una cum uxore, liberis et tota familia pridie supra citati diei in dicto loco compareas, nuptiarum ceremonias tua praesentia exornes, una pro felici conjugii nostri auspicio ad Deum preces fundas ac nuptiarum diebus convivam praebes, nec ullam absentiae tuae causam praetendere velis. Ego rursus omni officii genere me tibi obligo ac omne meum studium et operam tibi tuisque defero atque polliceor. Vale. Data Lutkenborgi 10. Augusti anno 75.

* Håndskriftet har sancitum.

202

Paul von Eitzen og Bartholomæus Embs, Slesvig, 22. november 1575.

Superintendenten og provsten anmoder Pistorius om snarest muligt at komme til Slesvig 'for at tale med ham om visse ting'.

62

Paulus ab Eitzen, D. et Superintendentens, et M. Bartholomæus Embs
Præpositus Johanni Pistorio S.D.

Venerabilis Domine Pastor, frater carissime, cum hodie cum nobili et inclito Domino Præfecto Johanne Blomio de causa tibi cognita colloqueremur, visum est fore consultum, ut antequam amplius aliquid

agatur, ad nos venias. Sumus enim tecum de aliquibus rebus collocuturi. Quare petimus, ut quamprimum fieri a te poterit, iter ad nos suscipias. Bene vale in Christo. Ex Slesvico anno 75 die 22. Novembris.

203

Paul von Eitzen, (Slesvig), 22. januar 1576.

På egne og provstens vegne anbefaler von Eitzen Jacob Bornholt som kapellan til Tetenbüll.

63

Paulus ab Eitzen D. Johanni Pistorio S.D.

Venerabilis Domine Pastor, miramur Dominus Præpositus et ego, cur ad nos non veneris. Si ita res sese dabit, ut ecclesia vestra indigebit sacellano, tunc meo et Domini Præpositi nomine commendo tibi Jacobum Bornholt, qui diu in nostra schola honeste et pie vixit et diligenter bonas artes et doctrinam pietatis didicit, et adjuvante Deo erit procul dubio ecclesiæ Jesu Christi utilis. Saluto te nomine Domini Præpositi, qui decumbit podagra et chiragra, alioqui etiam scripsisset. Bene vale. Dominica 3. post Epiphania anno 76.

204

Arnold Muls, Welt, 25. februar 1576.

Anbefaling af en skrædder fra Tønning, der for tiden er skolelærer i Vollerwiek, som skoleleder hos Pistorius.

64

Arnoldus Muls Johanni Pistorio suo S.D.

Reverende et dilecte compater, hic multis suis precibus perpulit me invitum, ut ad te pro se scriberem, existimans me aliquid apud te valere, et ut sic simul ad tuum colloquium admitteretur. Obiit officium instituendi pueros in Vullerwieck anno uno aut altero; queritur miser parum lucri inde sibi accedere, et se valde anguste et incommode habitare. Locum commodiorem optat, si contingere posset. Natus est in Tonningen. Sartor est. Arithmeticam et Geometriam novit. Voce et cantando plurimum valet. Tandem talis est, qualem, si res ita ferret, mihi optarem, et quo inprimis mihi opus esset. Quandoquidem autem audivit vestrum ludimoderatorem dimissum, offert tibi suam operam, et omne studium, diligentiam et sedulitatem pollicetur. Sed tu pro tua prudentia scis, quid faciendum sit, quare oro diligenter, ne meum scribere moleste feras. Bene vale cum dilecta conjugate et liberis. Optarem apud te esse et tecum colloqui de aliis rebus necessariis, et quæ chartis committere non est tutum, sed prohibeor hujus ætatis meæ difficultatibus. Tu si potes, ad me venito, id percipio, et ut facias etiam atque etiam te oro. Datæ in Weltd die 25. Februarii anno 76.

205

Peter Aurifaber, Garding, 7. marts 1576.

Om en retssag mellem Pistorius og en vis Melchior, som er rejst til Belgien og ikke kan efterkomme en stævning til det fastsatte retsmøde.

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor, amice et frater in Christo carissime, heri fui apud D. Præfectum, qui mihi ostendit literas fratris adversarii tui, quibus scribit Melchiorem, probum illum (si diis placet) adolescentem, evocatum cum aliis doctis viris ad Principem Urania, in Belgium profectum esse, priusquam libellus citationis ad se delatus est, ideoque ipsum sui purgandi gratia ad dictum diem in iudicio comparere non posse; orat D. Præfectum elaborare dignetur, ne quæ in absentem gravior sententia feratur etc. Advocatum, si id necessitas flagitet, qui absentis causam dicat, promittit; tandem bona fratris repetit, quod nulli in hac provincia ære alieno obstrictus esset. Animadverto D. Præfectum, necnon ipsius piissimam conjugem, profugi istius fuga et tergiversatione graviter offensos, tuis autem partibus nunc plurimum favere. Decrevit etiam D. Præfectus rescriptum ad Illustrissimum Principem et Dominum Superintendentem mittere, et quid ipse inde conjecturæ ceperit, una perscribere, de quibus coram tecum prolixius. Cuperem, ut hodie me accedere non gravareris, et, si fieri posset, etiam Dominum Præfectum accederes, quod se tui colloquii cupidum tuæque innocentia patrocinium suscepturum non obscure sit testatus. Bene et feliciter in Christo Jesu vive et vale cum honestissima uxore et carissimis liberis. Gardingæ 7. Martii anno 76.

206

Paul von Eitzen og Bartholomæus Embs, Slesvig, 27. marts 1576.

Jacob (Bornholt) sendes (d.v.s. vil blive sendt, cf. 207) til Pistorius, for at han kan høre ham. Da han efter stallerens ønske allerede har fået superintendentens og provstens anbefaling (cf. 203), vil Pistorius' samtykke være tilstrækkelig.

67

Paulus ab Eitzen, D. et Superintendens, et M. Bartholomæus Embs
Præpositus D. Joh. Pistorio S.D.

Venerabilis Domine Pastor, carissime frater, mittimus vobis, sicut petivistis, Jacobum, ut eum audiatis. Non dubitamus, quin volente et dante Deo sit vobis placiturus. Nos, sicut ante scripsimus, bonum ipsi testimonium vitæ et diligentia tribuimus. Illud etiam tibi significandum duxi, quod nobilis Dominus Præfectus Siverdus a nobis per literas postulavit, ut hic Jacobus vestra ecclesie commendaretur. Cum autem antea hic Jacobus vobis et ecclesie commendatus sit, peculiaribus ei literis ad juratos sive ædiles opus esse minime putavimus, verum solam auctoritatem vestram consensumque ei sufficere plane confidimus. Bene vale in Christo. Ex Slesvico anno 76, feria 3. post Oculi.

207

Paul von Eitzen, Slesvig, 26. april 1576.

Pistorius bedes have Jacob (Bornholt) undskyldt for, at han er blevet i Slesvig så længe. Han kan ikke tage derfra; før hertugen er kommet tilbage, da han endnu ikke af denne har fået sin afsked (fra skolen) bevilget; von Eitzen er dog ikke i tvivl om, at han vil få bevillingen. (Han fik da også kapellanembedet i Tetenbüll.)

Paulus ab Eitzen D. Johanni Pistorio S.D.

Carissime frater, rogo, ne tu et ecclesia tua ægre feratis, quod Jacobus tam diu hic hæret. Non potest ante Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri reditum hinc discedere. Nondum enim impetravit ab Illustrissimo Principe dimissionem, sed non dubito, quin eam mox impetraturus sit. Interim habebitis eum excusatum. Bene vale. Ex Slesvico 26. Aprilis anno 76.

208

Bartholomæus Embs, Marne, 6. november 1576.

Pistorius bedes sende de gæs, Embs har købt i Garding og sendt til ham, videre til (sognepræst) Michael Hein i Ülvesbüll.

68

M. Bartholomæus Embs Præpositus Johanni Pistorio S.D.

Reverende et clarissime vir, amice et frater carissime, hos Gardingæ coëmptos anseres ad te transmissos ut curru tuo ad D. Michaëlem Heinen in Ulvesbul devehi cures, etiam atque etiam te oro. Ego vicissim mea tibi defero polliceorque officia. Et ne de tua promptitudine benevolentiaque dubitare videar, hac utor brevitate. Tu si tibi quid a me præstari posse existimaveris, itidem duobus aut tribus hoc verbis non rogabis, sed mandabis. His te Domino una cum honestissima conjugæ commendo. Raptim Marnæ 6. die Novembris anno 76.

209

Peter Aurifaber, Garding, 15. december 1576.

Da stridighederne mellem stilleren og landsdelens befolkning (cf. 183) endelig er blevet bilagt, bedes Pistorius 'i morgen' (søndag) efter prædikenen takke for bønghørelsen af så mange åars bønfoldelse.

69

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor, amice et frater in Christo colende, quum divina providentia et clementia, auctoritate Illustrissimi Principis, Domini nostri clementissimi, nobilium ac præstantium virorum intercessione et transactione controversiæ inter Dominum Præfectum et provinciales, ut scis, compositæ sint, cupit Dominus Præfectus, ut post tot annorum supplicationes ad Deum gratiarum actio fiat cras finita contentione ob exauditas preces, in quo Tuam Præstantiam ipsi gratificationem minime dubito, et te cum carissima uxore et liberis Deo commendo. Datæ Gardingæ 15. Decembris anno 76.

210

Georg Crusius, Kotzenbüll, 27. januar 1577.

I anledning af en søns døb indbydes Pistorius med hustru til et festligt samvær 'i morgen' (4. s. e. H. 3 K.).

70

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor et frater colende, mea suavissima conjunx enixa est filiolum, qui cras, volente Deo, baptizabitur. In id, ut par est,

accitis testibus et fidejussoribus adhibitis amicisque vocatis convivium instruitur, ut Deo gratiæ agantur et vota et preces cum nostris jungantur. Quare, quam mihi bene velle certo scio, Tuam Humanitatem cum conjuge honestissima ad convivium et gaudia nostra voco, etiam atque etiam rogans, ne causa futilis prætexatur absentis. Ego mea Tuæ Humanitati tuisque officiola vicissim defero. Collegam tuum ejusque conjugem meo nomine invitari Tuam Humanitatem volo et oro. Cottzenbulii 27. Januarii anno 77.

211

Matthias Prætorius, Osterhever, 29. januar 1577.

Prætorius' hustru har haft en meget vanskelig fødsel; barnet er død under fødselen. Desuden har hans kapellan Peter en søndag efter prædikenen i kirken yppet strid med ham til forargelse for menigheden, som endnu var udenfor på kirkegården.

71

Matthias Prætorius Johanni Pistorio S.D.

Reverende D. Pastor, amicorum optime et compater carissime, ne ægre feras, quod libellos tuos tanto apud me retinui tempore. Statueram apud me, ipse eos tibi reddere et ad te deferre, quo simul, ut soliti sumus, dulces inter nos misceremus sermones et colloquia de rebus ecclesiarum exterarum, tum etiam de nostris, et quidem tempore hoc exulceratissimo. Sed impeditus et remoratus sum cruce et calamitate domestica eaque admodum gravi, de qua te audivisse non dubito. Enixa est quidem carissima mea conjunx, sed infans in partu extincta est. Quapropter maximo sumus mærore et luctu. Uxor in difficillimo partu vix in vita servata est, et hæc calamitas accessit, ut in consolando eam multum mihi sit negotii. Sed de hoc alias coram plura. Audi autem aliud. Vix in hac nostra calamitate aliquid laxamenti consecuti eramus, ecce, conterranei tui, et inprimis collega meus die Dominica finita contione in ipso templo me adoritur, incipit litigare, conviciis et maledictis me lacescere et, nescio qua de causa, non aliter se gessit, quam si furore correptus fuisset. Ego nihil aliud dixi et respondi quam hoc: Mi D. Petre,* considera tempus et locum hunc, atque habe rationem auditorum nostrorum, qui adhuc in coemeterio una sunt et turbas has audiunt et scandalizantur; si quid contra me habes, alio tempore et loco id proponito. Ille per hoc magis in me debacchatus est. Cessi autem furori ejus et domum me contulit. Ita, mi Domine compater, angustior undique, et tempus hoc tempus est nostræ cribrationis et tribulationis. Diabolus invidet nobis quietem. Sed resistam ei fide, patientia et spe, ac nescit, quod me incitet et occasionem det ardentius Deum invocandi. Nihilominus injuriam, qua me collega meus affecit, reverendo Domino Superintendenti conquerar, antea autem volente Deo ad te veniam et rem tibi coram exponam. Interea bene vale cum dilecta conjuge. Data in Osterhever 29. Januarii anno 77.

* Efternavn ukendt; mangler helt hos Arends.

212

Johannes Pistorius til Matthias Prætorius i Osterhever, udateret.

Trøstebrev, svar på ovenstående. - Prætorius bedes besøge Pistorius og forinden undersøge, om hans kollega i sit gode bibliotek har Pindar på græsk, og hvad han har af Melanchthons værker.

Reverendo Domino Matthiæ Prætorio, Pastori in Osterhever,
Johannes Pistorius S.P.D.

Reverende et carissime Domine Compater, audivimus hic Dorotheam tuam peperisse, et quidem tanta cum difficultate, ut infans mortuus sit, ac ipsam etiam num admodum esse imbecillem, et te ideo in luctu et mærore esse non dubitamus. Cum autem vera et sincera inter nos sit amicitia et pia animorum conjunctio, partem luctus tui et nos sustinemus ac tibi conjugique tuæ condolemus. Sed succurrat nobis id, quod et ethnicus Sophocles sensit: οὐν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κώδύρεται, id est: Omnes Deo volente et rident et lugent. Quare cum ita Deus velit, ordinarit et dixerit: Valde multiplicabo dolorem tuum, cum eris grvida; in dolore paries filios, consolemur nos consilio et voluntate Dei et ei præstemus obedientiam. Porro, carissime Domine Compater, ante aliquot dies cum quispiam tuorum parochianorum apud me esset, rogavi eundem, ut tibi indicaret me cupere, ut me inviseres, nam habere me, de quibus coram tecum agerem, qui an promissis steterit et tibi idipsum indicaverit cum dubitem, volui et hac de causa nunc ad te scribere et petere, ut aliquando nos accedas; conferemus de iis, quæ tua intererunt. Antequam autem ad nos venias, cum audiam collegæ tuo esse bibliothecam utcunque instructam, quæso a te, ut explores, an habeat Pindarum Græce, item an habeat omnes tomos declamationum reverendi et carissimi Domini Præceptoris nostri, item an habeat tomos operum Domini Philippi, et quidem, si habet, quid tertius et quartus tomus in se contineant, nam 1. et 2. tomum habeo, 3. et 4. nondum emi; ideo libenter vellem scire indicem opusculorum, quæ in ipsis comprehensa sunt.

213

Egidius von Meldert, Wesselburen, 19.februar 1577.

Meldert minder om samtaler, han i sin tid i Tetenbüll har haft med Pistorius om Flacius og hans tilhængere, (som Meldert åbenbart har haft sympati for). Da han senere kom til Ditmarsken, kom det imidlertid for dagen, at han ikke var helt enig med Flacianerne i Wesselburen. Som følge heraf blev både absolution og nadver nægtet ham, og han blev beskyldt for at være accidentarier, synergist og en ny slags sakramenterer og af den grund anklaget hos superintendenten (Paul von Eitzen), en mand af samme slags (vel fordi von Eitzen i sin tid i Hamburg havde arbejdet sammen med Westphal og andre for bilæggelse af striden mellem Flacius og hans modstandere), og han skal nu også med større list end den, hvormed han blev fjernet fra embedet i Tetenbüll, afsættes fra degneembedet (i Wesselburen); han må ikke engang udføre klokkeringningen eller stå fadder ved en barnedåb, ja, man hvisker endda om, at han skal udstødes af kirken som en kætter. Alderdommen nærmer sig, han har mange børn, og hans hustru venter et til. Han tager derfor sin tilflugt til Pistorius og hans menighed, som han har tjent i næsten tretten år, og med tak for det vidnesbyrd, han fik ved sin afgang dengang, anmoder han nu om et nyt vidnesbyrd om, at han hverken er papist, anabaptist, sakramenterer eller Calvinist, men har kæmpet for Den augsburgske Konfession.

74

Egidius a Meldert d. Johanni Pistorio S.D.

Gratiam et pacem in Christo. Mi reverende Domine Pastor, dilecte in Christo frater, tibi et tuis omnibus ex animo bene precor. Quodsi

tribulationibus illis, quibus te annis aliquot a quibusdam bene probatum et examinatum non ignoro, vel extinctis vel sopitis, jam quiete et pacifice vivis et res ex voto succedunt, merito gratulor et Domino Deo tuo nomine gratias ago, cui cum Christo quiete vivere donatur, præsertim cum passim satis multi sint, quibus cum Christo crucem ferre et pati vel inquiete vivere contingit, in quorum numero et ordine me etiamnum versari credo tibi ex delatis rumoribus jam dudum bene notum, de quibus ut tandem certi aliquid cognoscas, non tam ex meo quam tuo ore et animo exordiri libet. Inter alia, quæ tempore ministerii et servitii mei apud vos in privatis colloquiis pie abs te dicta et prolata, a me autem non plene percepta et intellecta ideoque tacite in corde abscondita, paucis vel nullis manifestata, peto ut cum venia liceat mihi jam duo in medium proferre. Primo, quod te audiverim pronuntiantem excellentem virum Dominum Doctorem Paulum ab Eitzen sic sentire: Omnes sacramentarios, omnes anabaptistas non tantum nocuisse religioni nostro seculo, atque illos, qui Flaciani nominantur. Huic accedit alia sententia, quam post expugnationem Gothæ ipsemet protulisti. Cum enim de hac eadem expugnatione invicem verba haberemus, indicabas inter alia te librum habere, qui totius rei gestæ narrationem contineret, proferens simul de Flacianis sententiam quandam in eodem libro comprehensam, quam hic non opus est pronuntiare, sed sufficit librum monstrari. Quod tales voces audiens admiratus obticuerim, si non modestiæ, at inscitiæ et inexperientiæ meæ imputes, ut qui multorum dissidiorum et certaminum essem ignarus vel non ita, ut decebat, in iisdem exercitatus, simplicitati doctrinæ, quam ex Locis communibus D. Philippi et ab aliis acceperam, contentus. Occasionem admirationis merito mihi dabat multorum excellentium virorum de Illyrico iudicium tanquam de vero imitatore Lutheri, unico conservatore puræ et sinceræ religionis adversus corruptelas omnes (ut ipsimet Flaciani loqui solent). Verum postquam vobis relictis Dithmariam intrassem et ibi (Deo res meas ita gubernante) in eos incidissem, quibus vere Lutheranum et Flacianum esse idem est, et juxta suum Flacianismum me tanquam puerum examinandum suscepissent, coepi non raro, et quidem cum gemitu, duarum illarum vocum et sententiarum meminisse et, quamvis corpore absens, animo tamen propior, tacite vobiscum idem sentire et dicere idipsum. Et ut hujus tam subitanæ mutationis (si modo mutatio dicenda est) causam uno vel altero exemplo vobis ostendam, hæc accipe. Parochiam hanc nondum ingressus paulo ante Paschatis festum cum ad nundinas Wesselenburenses me contulisset et ibidem præsens esset piæ memoriæ Hermannus N.,¹ symmysta Lundensium, coepit taxare Witebergenses, ut qui de majestate corporis Christi non docerent nec sentirent, ut antea Lutherus fecerat, et sub titulo majestatis etiam urgere ubi-quitatem, hoc modo, extenso brachio et palma in mensa, talia proferre: Ecce, inquit, est quidem Christus corpore ubique, etsi non possum ubique comprehendere his meis manibus, ad hanc vocem manum complicans. Ego assidens et auscultans ratione ministerii quondam apud vos functi nolui nec potui penitus silere, sed dixi: Quemadmodum tempore humiliationis, Christo hic in terris degente, verum fuit Johan. 3: Filius hominis, qui est in coelo, ita nunc etiam tempore glorificationis vere dici Filius hominis, qui est in terris, aliquid dicens, aliquid etiam subjiciens, ne plane obmutescens vel nimia loquacitate me ipsis suspectum redderem, quod venissem ad ipsos Witebergensium causam acturus, quam tamen suspicionem nec illo quidem responso effugere potui, sed audio paulo post: Cujus (inquiunt) est ecclesiæ? Respondit alius quidam: Heidensium, intelligo, est. Sic primo quoque anno et congressu

deprehendo in Dithmaria unam ecclesiam ab alia distingui, unam Flacianicam in Wesselenburen, alteram procul dubio eorundem iudicio Majoristicam, in qua et ego constituebar ab iis, ad quos simplici animo eram venturus, relinquens alios. Aliud exemplum accipe non dissimile. Alterq² die introitus mei in hanc parochiam confero me ad mdes D. Pastoris, hoc meo accessu ipsemet illi daturus occasionem, dat he my wollkamen hetede. Cum venissem et alter alteri bonum diem precatus esset, dixit: Egidii, eundem mihi est ad tonsorem, sed colloquere cum Domino Petro,³ qui tunc temporis ibi erat præsens. Ille post pauca ex proposito coepit mecum agere de conversione hominis, non tam mentem suam aperiens, quam quid ego dicturus essem expectans. Ibi ego juxta doctrinam, quam ex Locis communibus D. Philippi didiceram, dixi in conversione hæc tria concurrere: Verbum Dei, Spiritum Sanctum et voluntatem hominis non repugnantem, sed consentientem et sinentem se trahi. Hoc responso videbatur tunc esse contentus. Sed post dies aliquot audio publice, idt si ein sonderlich arth lehrers, de synergisten genomet, de dar lehren, dat de minsche sich dorch sine egene kreffte tho Gott bekeren konne. Erat hæc vox mihi antea inaudita. Dabant igitur hæc et similia mihi occasionem non solum ingemiscendi, sed etiam diligentiam aliquam in legendo adhibendi, bibliothecam nostram et antiquitatem introspectiendi. Et ut verum fatear, quo diligentius causam, quam agunt publice et privatim, introspecti et consideravi, quanto zelo nova quædam defendant et quam faciles sint in quibusvis condemnandis, eo factus sum ab ipsis alienior, ita tamen, ut vocationis meæ memor permiserim ipsos suo sensu abundare, contentus, si quando in colloquium ipsorum incidi, mentem meam ingenue ipsis aperire. Cum igitur jam dudum bene animadverterint non plene inter me et ipsos convenire, hoc ipsum, quod in cordibus eorum jam dudum latitavit, diutius secum detinere non potuerunt, sed magnus zelus, quo impleti sunt, tandem semet manifestare compulit. Venio sabbato Dominicæ Quasimodogeniti volens confiteri et accedere sacram synaxin; post factam confessionem incipit⁴ mihi quædam proponere, ad quæ cum ex animo ipsius ipsi non responderem, factum est, ut nec absolutionem nec communionem impetrare potuerim, sed passus repulsam jussus sum etiam alios accedere et cum illis etiam colloqui. Huic jussioni me accommodo, et die Mercurii proxime subsequente post factam contionem accedo Franckium et Bokelmannum⁵ in choro obambulantem. Dixi me habere, de quibus cum ipsis conferam, venisse me sabbato præcedente ad d. Pastorem et voluisse confiteri, sed passum repulsam petere me, ut placide me velint audire et fieri mei intercessores. Ibi Franckius continuo erupit in hæc verba: Quid vis nobiscum conferre de tua confessione? Pastor dixit mihi, quod solummodo actualia et non originalia ipsi sis confessus. Ad quod ego admiratus respondi: Wo kumt he dartho? Longe aliter res sese habet; potero formula meæ confessionis aliud demonstrare. Ipse rursus: Sis confessus quidquid sit; tu tenes de peccato tanquam de accidente et es unus ex illis accidentariis, quibus cum tempore os ita obturatum est, quod bene debebunt posthac tacere. Nec sic contentus incipit argumentis mecum agere. Si peccatum (inquit) est accidens, num Christus mortuus est pro accidente? Et quamvis responsum acciperet non incommodum nec indoctum, meo iudicio (videlicet Christus mortuus est, ut nos miseros peccatores redimeret a peccatis nostris, non est mortuus, ut redimeret peccatum, tacite notans illam confusionem et ἀταξία in substantia, quam faciunt in descriptione peccati), hoc responso non contentus perguit quærendo. Ad quod ego: Non veni, ut ad omnia vobis respondeam, sed ut amice et modeste vobiscum agam de iis,

quæ mihi cum Pastore etc., et ut vestra intercessione ipsum placem. Verum ipse perguit improperando: Ita etiam audio (inquirebat) te non recte sentire de Coena Domini et sigillatim de consecratione, an continuo prolatis verbis corpus Christi adest. Respondi me ad illam fidem non teneri ex verbo Dei, et quero, num velit me trahere ad dissidium Beati. Dico mihi sufficere, quod credam et confitear, quando panem illum benedictionis accipio et manduco, me tunc accipere et manducare Christi corpus, et id corpus, quod pro me tradidit, modo a Christo instituto. Hic continuo audio ab utroque: Num os meum, num sumptio mea faciat sacramentum? Respondi meam sumptionem et manducationem non facere per se sacramentum, sed ex institutione et ordinatione divina, et cum Filius Dei sic ordinaverit, ut in tali celebratione panis ille acceptus et manducatus sit illius corpus, requirique sumptionem ex ordinatione divina ad formam substantialem sacramenti. Hic quidam mihi obganniebat: Tu non solum es accidentarius, synergista, sed et novus sacramentarius, dignus qui hic non feratur. Ecce hic est fons et origo hujus meæ afflictionis, quæ nullis mediis hactenus sedari potuit. Habet illa suum initium et exordium a confessione facta, et incrementum sumpsit ab intercessione. Ut igitur cognoscat Reverentia Tua, qua forma verborum ego confessus sim, ita me Deus amet, hæc fuit: Me miserum esse peccatorem non solum [propter] corruptionem agnatam corpori, ubi concupiscentia suum habet domicilium, verum etiam propter horrenda vitia animæ, quæ et explicavi, unde hæc proveniant, quod nunquam Deum ita timeam, fidam, amem. Si tibi mihi confitendum fuisset (quod sæpius feci, dum una essemus), ausus fuissem dicere: Agnosco me miserum peccatorem, qui obedientiam illam, quam Deus a me requirit, nunquam illi exhibui; non dubito, quin fuisses contentus. Hic recordor corruptionis et corporis et omnium virium animæ, unde illa inobedientia oritur. Nec his sinit se placari, sed ulterius audio: Cum non ignores, in qua ego sim sententia in doctrina de peccato originis, admonitum te volo, ut illi te accomodes, nec tradas te in castra adversariorum, nempe, quod peccatum originis non solum sit vitium in natura, sed natura ipsa ita transformata, quod in se et per se sit mala et origo omnium malorum. Ad quod ego: Mi reverende Domine Pastor, amice peto, ne spinoso illo dissidio mihi velis esse molestus, sed simplici hac mea confessione esse contentus, quam non a pueris didici, sed ex Locis communibus Domini Philippi, cui viro me multum debere ingenue fateor. Dedit illi hæc responsio occasionem pro defensione suæ sententiæ aliquid in medium proferendi et mihi denuo ad eadem respondendi. Mentione Philippi ventum est ad alia, videlicet num ergo in omnibus cum illo sentiam, de quibus suo tempore aliquando coram. Taceo singulare examen, ad quod me pertraxerunt, ubi de his me examinerunt. Primo, quid sentirem de hoc Lutheri dogmate: Natura est peccatum. Secundo, quid sentirem de consecratione, de vi et causa pronuntiationis verborum; quid crederem ministrum habere in manibus in ipsa distributione. Tertio etiam de synergia verba inciderunt, et quamvis talia responsa acceperint, quorum non est, quod pudeat pigeatve, tamen per ipsos accusor apud Superintendentem, ejusdem farinae hominem, Flacianum scilicet, me sentire naturam hominis in se bonam, me nihil sentire de consecratione, ministrum scilicet ante etiam sumptionem, antequam communicantis ori inseratur, corpus Christi vere et substantialiter in manibus habere, ut scias, de quibus accuser. Taceo conventum Heidæ servatum, ubi singulari scripto de his tribus doctrinæ partibus, de peccato originis, de libero arbitrio, de Coena Domini meam sententiam aperui. Sed vix concessum fuit legere, tantum abest, ut recepta sit, quin potius in visitatione postea in parochia servata,

absentibus ministris ceteris, Superintendens et Pastor coëgerunt me ad palinodiam sub poena expulsionis e patria, me errasse sentiendo panem ante sumptionem non esse corpus Christi. Ostenderam illis sententia quadam ex Augustino vias, media et rationes, quibus hoc potest defendi, ut panis etiam ante manducationem corpus Christi dicatur et sit; si traditam confessionem introspicere voluissent, deprehendissent me confitentem etiam manibus ministri Christi corpus distribui, sub certis tamen condicionibus ex Luthero, Brentio et aliis sumptis, et tamen, compellunt me ad revocationem. Hic inter alia a quodam etiam interrogor, wat idt vor ein pastor were, dar ick so lange mit gedenet hadde, et quid interea temporis de Sacra Coena docuissem. Ecce, mi reverende Domine Pastor, sic se habent res Egidii, tui quondam in ministerio verbi collegæ et socii, ut quibus artibus apud vos ministerio verbi privatus sum, iisdem, imo modis longe indignioribus, jam etiam a ministerio custodiæ amovear, et sic pro pia fidei confessione, quæ aliquot annis in his ecclesiis sonuit, tandem ab ingrato mundo accipiam plenam mensuram, ut nec sonandis vel pulsandis campanis amplius mihi detur locus. Verum cum hæc afflictio non solum cedat in me cum adjunctis contumeliis et impropriis, cum etiam in vestram ecclesiam, sigillatim in tuam, D. Pastor, personem, quasi tot annis talem foveritis, qui nesciat, quid de peccato originis sit sentiendum, sed ad numerum illorum pertineam, qui sentiunt naturam hominis in se bonam esse, hoc est, ut ipsi calumniantur, puram, propterea quod perplexo dogmati de peccato, ut Flaciani de eodem jam dudum docere coeperunt, non arrideam vel applaudam, rursum, qui de Coena Domini non recte docuerim vel adhuc sentiam, et quod hac questione, quid minister habeat in manibus, me non multum occupaverim, nec eadem meis ovibus multum molestus fuerim, quod ingenue confitear, verum esse contentus dicere, quid juxta institutionem Domini accipiant, visus sum mihi rem non ingratham vobis, nec inutilem mihi præstiturus, si etiam ad te, reverende Domine Pastor, et ecclesiam vestram confugiam, amice, humiliter, obnixè rogans et obsecrans, ut misero et afflicto consilio, auxilio subvenire dignemini, quantum potestis. Cogitate, obsecro, quæ, qualis et quanta sit crux, quæ me miserum jam senio appropinquantem, numerosa sobole onustum, et intus et foris premat, cum ante annos plus minus 25 juxta vocem angeli in Apocalypsi pie a Babylone et Papatu defecerim, jam a crasso vulgo, cui res et causa ignota est, audire papista; cum piissime, Deo teste, de baptismo infantum senserim et sentiam, fideliter apud vos pro eodem certaverim, jam in suspicionem venire apud multos, quod sim anabaptista; cum in ecclesia vestra audiendis confessionibus, visitatione infirmorum diligentem operam navarim annos fere 13, jam a quibusdam talem judicari, qui nesciam ipse confiteri, a communione corporis et sanguinis Domini arceri, imo indignum quidem reputari, qui officio compaternitatis in dispensatione baptismi fungar, et nescio propter quas causas. O Flacianorum malitia, quæ major est quam credidi; ideo experiri me oportuit. Si quæritis, quid mihi præstari postulem, rem gratam mihi feceritis, si circa futuram synodum post Paschæ festum servandam honesto testimonio me ornare dignemini, quo testemini (id quod cum veritate et bona conscientia potestis) me non esse papistam, me non esse anabaptistam, me ex professo non fuisse apud vos sacramentarium vel Calvinistam, sed pro sententia Augustanæ Confessionis pugnassem, me eidem non contradixisse palam vel privatim, sermones et verba coram quibusvis ita temperasse, ut per me alieni nihil imberent auditores et in eo, quod suscepèrunt, sint detenti, ut nesciatis, quid in me amplius desiderari possit, sperare vos me

etiamnum eo animo adversus ecclesiam harum terrarum affectum, tanto magis, quod offeram me ad piam declarationem faciendam in omnibus, in quibus me hic suspectum habent, simulque querelas omnes purgandas, quas adversus me habent. Hoc enim debito agnosco me vobis omnibus astrictum propter testimonia, quæ mihi discessuro communicastis. Si quid adversum illa a me peccatum est, vel peccasse judicor, ut vel ore præsens vel scriptis absens me excuse, declarem et sic non me solum, sed et manus omnium vestrum purgem et cuilibet notum faciam me non alium esse absentem, quam præsens fui, paci et concordie, non turbis excitandis studere, sed Diabolum, inimicum generis humani, ut antea, ita etiamnum hanc quietem mihi non fuisse, sed de novo ansam quæsisisse me affligendi, et quidem occasione piæ factæ confessionis. Hoc testimonium, mi reverende Domine Pastor, scito me non alia de causa postulare, quam quod audiam quosdam susurrare me non solum ministerio custodiæ privandum, quin etiam tanquam hæreticum ab ecclesia expellendum. Et quamvis a me exigua eruditionis homuncione nihil cuiquam sit periculi, tamen scire debebant quidam, quantum numerus ipsorum hujusmodi expulsionibus hactenus creverit et, Deo favente, posthac crescat modo simili. Ego non dubito, quin propter commune ministerium, propter veterem familiaritatem et consuetudinem, si non ea perfectione, qua decuisset, tamen, ut in Domino gloriari uterque potest, suo modo pie, modeste, pacifice et non turbulente servatam, mei meæque pauperculæ familiæ commiseratus huic meæ petitioni auscultabis et consilio auxilioque succurres, quantum poteris. Ego offero me ad omnem gratitudinem denuo et vicissim exhibendam pro mea virili. Si non potero aliam, Deum pro te orabo, cui ut me ante omnia, ita etiam Tuam Reverentiam commendo. Piam et caram tuam conjugem, et si qui sunt mihi bene adhuc affecti, meo nomine saluta. Meam Elizabetham jam partui appropinquantem, cum altera vel tertia vice vix viva eluctata sit, ut in precibus vestris commendatam habere velitis, humiliter rogo. Vale. 19. Februarii ex Wesselenburen anno 77.

Ubi aura grata et æquior fuerit et res meæ domesticæ hoc patientur, veniam, Deo dante, ad te latius de rebus omnibus tecum collocuturus.

Tuus Ægidius a Meldert.

¹Hermann Lonerus. ²Jacob Berndes. ³Peter Francke, se nedenfor.
⁴Sognepræsten. ⁵Johannes Bokelmann.

214

Georg Crusius, Kotzenbüll, 13.maj 1577.

Crusius beder på en from og ærbar kvindes vegne Pistorius om offentlig forbøn for hende i en vanskelig sag.

72

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio S.D.

Nostra fides Dei solius orare et expectare debet opem, cum nihil est toto pectore consilii, 2. Paral. 30. In ardua igitur et ambigua re matrona quædam pia et honesta oculos ad Dominum dirigit atque confugit ad publicas et privatas piorum preces tanquam ad asylum et propugnaculum tutissimum et petit a Tua Humanitate, ut tuas preces cum nostris jungas publice, quo Deus optimus maximus cor suum ipsius et aliorum iis consiliis instruat, quæ ad gloriam Dei, anima-

rum et corporum salutem et concordiam animorum maxime sint profutura. Faciet Tua Humanitas non tam nobis quam Deo officium acceptissimum, cui Tuam Humanitatem commendamus. Data Cotzenbulii anno 77 die 13. Maji.

215

Jacob Jacobi (Wolf) fra Odense, København, 30. juni 1577.

På grund af pesten på Sjælland havde J. J. næsten et halvt år måttet blive hjemme (i Odense), men studerer nu i København. Hans farbror Jacob Wolf har lovet ham penge til studiet, men det er blevet ved løfterne. Nu beder han Pistorius lægge et ord ind for ham hos farbroderen. Niels Hemmingsen lever og har det godt; han holder daglig offentlige forelæsninger, men har ikke ringe genvordigheder på grund af sin i Syntagma fremsatte opfattelse af sakramenterne. Hans søn Johannes er på grund af et udsvævende liv faldet i unåde hos kongen og gået til militæret, en eneste datter er død af pest. I anledning af prins Christians fødsel 12. april og dåb i Vor Frue Kirke Trinitatissøndag (2. juni) har studenterne (vi) opført to komedier, (rektor, senere biskop, i Ribe Peder Jensen Hegelunds) 'Susanna' på latin og 'David fælder Goliath' på tysk. Af fremmede fyrster var der kun to, hertug Ulrich af Mecklenburg og hertug Hans d.Æ.

73

Jacobus Jacobi Otthoniensis Johanni Pistorio S.D.

Reverende et doctissime vir, etsi nihil, quod momenti alicujus esset, habebam, de quo ad Tuam Humanitatem scriberem, tamen commodo et certo nuntio ad Tuam Humanitatem mihi oblato nolui eum sine meis literis dimittere. Et quia antea, quum ibi apud vos essem, benevolentiam et amorem tuum in me sæpius expertus sim, cogitavi et non dubitavi gratum tibi fore, si de rerum mearum statu aliquid tibi significarem. Anno superiore a vobis et patruo meo Jacobo Wolffio digressus et in patriam reversus toto fere semestri propter pestem passim in Selandia et ita Haffniæ etiam sævientem domi manere coactus sum; illa autem postea (Dei benignitate) aliquo modo mitigata contuli me ad academiam Haffniensem, ubi intercessione et auxilio quorundam amicorum medio-crem nactus sum condicionem, qua adhuc hic fruor. Expectavi pecuniam a patruo, quam sæpius coram, tum etiam in literis ad me missis largiter promisit, et promissis ejus confisus huc ad academiam profectus sum, sed quid et quantum ab ipso accepi, nunc non dicam. Sed ut ille inquit: Pollicitis dives quilibet esse potest. Excusationem aliam ex alia semper invenit, sed temporis brevitatis non patitur, ut plura de eo referam. In specie autem promisit mihi quotannis ad studia mea continuanda 20 taleros. Quapropter hac de causa nunc ad ipsum scripsi cum studioso hoc adolescente Olao N., sympatriota meo, cui, si eos mittere velit, tuto tradere et concedere potest, et ut tua intercessio pro me apud ipsum mihi subveniat, quam amanter et officiose Tuam Humanitatem oro. Multum enim apud ipsum valet. Ideo ne mihi in hac causa desis, te obtestor. Nihil novi tibi ignotum hoc tempore scribere possum. D. Hemmingius vivit et valet ac quotidie publice legit et nos docet, quamvis in tribulatione non modica est ob sententiam de sacramentis in Syntagmate suo proditam sive prolatam. Filius ipsius M. Johannes Hemmingius ob vitam dissolutam et libidinem Regis gratia excidit et nunc inter milites in summa inopia vitam traducit. Filiam unicam, quæ nupta fuit professori dialectices, hoc anno mense Januario peste amisit. Die Aprilis 12. inter 5. et 6.

horam pomeridianam Regi nostro natus est filiulus Fridrichsburgi, Haffniæ postea ipso die Trinitatis in æde Divæ Virginis baptizatus et avi paterni nomine nominatus Christianus. Pompam regiam et apparatus recensere supersedeo nisi hoc, quod comoedias duas, unam Latinam de Susanna, alteram Germanicam de Davide trucidante Goliath, in convivio regio exhibuimus. Exteri principes hic erant tantum duo, Dux Ulricus Megapolitanus et Dux Johannes Senior. Collectis tandem undique velis in portum appellabo tecum cum conjugæ castissima et liberis Deo optimo maximo commendo. Salutes meo nomine, peto, Petrum Jacobi optime de me meritum et ejus uxorem. Datæ Haffniæ 2. Calendas Julii anno 77.

* Nicolaus Hammer, 1542-85.

216

Johannes Hintze fra Stade, Stade, 12. september 1577.

En vis Bartholomæana er opsat på at forblive i sin enkestand hele sit liv, men det er tvivlsomt, om det kan lade sig gøre. Hvad det end bliver til, vil Hintze overlade alt til Gud, som nok engang vil tage sig af ham; i denne forbindelse nævnes en magister Peter (vistnok Peter Mumsen i Tönning) og en borgmester Martin. Endvidere omtales et møde med hertugen og kansleren, muligvis om en ansættelse.

75

M. Johannes Hintzius Stadensis

Johanni Pistorio, veteri et optimo suo amico, S.D.

Valetudinem tuam tuorumque omnium spero eam esse, quam proxime coram perspexi, mi suavissime Domine Pastor, et Deum toto pectore oro, ut sit diuturna, et ut in ceteris rebus omnibus prospere et feliciter agas. Fui apud Kilonienses, quando Eyderostedia et a te discessi, ibique inter alia mea negotia hoc quoque intellexi a Margarita Holtingiana, quod altera illa (Bartholomæana scilicet) viduitatem ita complexa sit, ut in ea totam vitam transigere velit. Sed procurator hunc articulum non credit esse verum, quia non est de jure canonum. Verum si hoc ita est, bene est, sin minus, et hoc mihi erit, quia causam et statum rerum mearum æterno Deo commendo; is aliquando providebit mihi, si non ad voluntatem, saltem ad utilitatem meam. Te oro, si occasio ita feret, ut cum M. Petro loquaris idque ei referas, quod Holtingiana mihi respondit. M. Petrus voluit, ne cum Martino consule hac de re conferrem; vellem autem propter certas causas, ut id fecissem. Apud Illustrissimum et clementissimum Principem et D. Cancellarium fui in Reinebeke in reditu et discessu meo a Kilonio, sed Principem, ut volui, convenire et alloqui non potui propter plurimos astantes, quamvis clementer et familiariter mecum jocabatur. Cancellarius autem, modo verbis inest fides aliqua, se mei fore memorem dixit et promisit, imo se jam pridem cum Principe locutum esse mea causa rettulit. Magnifica mihi insuper Hamburgi promisit; quid futurum sit, nescio. Honoris verba, ut jureconsulti loquuntur, non sunt obligatoria, quia vulpeculæ caudam attingunt. Vale felicissime cum tuis omnibus, et si quando poteris, apud hunc nautam mihi rescribito. Dominus Holmannus noster te quam amanter resalutat. Salutabis meis verbis D. Simonem Henrici, quem nunc pristinæ valetudini restitutum statuo. Datæ Stadis 12. Septembris anno 77.

Matthias Prætorius, Osterhever, 14. januar 1578.

M.P. lover at komme til Pistorius den følgende dag. Han er af Herren kaldet og bestemt til at være udsat for urettens kasteskyts fra en utaknemmelig verdens side.

Matthias Prætorius Johanni Pistorio S.D.

Non eram nescius me in tacitam indignationem tuam incurrisse ob moram, quam longius huc usque traxi, sed de ea coram causis referam, quas justas esse confiteberis. Quia autem iterum et misso puero tuo vis et petis, ut ad te, carissime compater, veniam, Deo volente crastino die me coram videbis et non alium quam veterem illum Matthiam, qui in hoc vocatus et a Domino constitutus est, ut injuriarum tela ab ingrato mundo excipiat. Vale in Christo cum carissima compare, cui ex me salutem plurimam dices, et liberis tuis obsequentissimis. Raptim in Osterhever 14. Januarii anno 78.

Johannes Danckwert, præst ved Skt. Johannes, Lüneburg, 22. april 1578.

J. D. er meget glad for at have modtaget brev fra sin gamle ven og fortæller om sig selv med hustru og børn, en broder og en søster og deres familier, samt om en broder, som er druknet for ni år siden. Han nævner dr. (Jacob) Andreæ bestræbelser (m.h.t. Konkordiebogen), som der er forskellige meninger om, og lover at tage sig af Hermann (vel en Hoyer, måske Caspar Hoyers søn), som Pistorius har anbefalet ham.

Johannes Danckwers, Lunæburgi ad Divum Johannem ecclesiastes,
d. Johanni Pistorio, præceptori suo, S.D.

Salutem per eum, cui est salus nostra. Quanto inopinato gaudio literæ tuæ admodum humaniter 10. Martii ad me scriptæ, reverende et doctissime vir, me cumularunt, nec literis mandare, nec verbis consequi possum. Pistorium enim meum, unice mihi semper dilectum, quem ex hac vita migrasse putaram, mihi superstitem et incolumem reddidere. Sæpius enim mihi de tuo nomine et persona apud conterraneos tuos studiosos (politicos enim non novi) anxie sciscitanti nemo oblatus est, qui se tuam personam novisse affirmare aut certi aliquid de ea referre potuit. Quare tandem cogitavi te aut in longe dissitis vivere regionibus, aut vitam cum morte commutasse. Sed cum re quasi desperata ea percontari desino, præter omnem expectationem tuæ mihi adferuntur literæ, quæ non solum te vivere, sed etiam de consilio et voluntate divina ad gubernacula ecclesiæ Tetenbullensis in Eyderstedia sedere affirmant, quibus me ita exhilaratum affirmo, ut præ summo gaudio lacrimas continere non potuerim easque non semel atque iterum legerim, sed cum summa animi admiratione et voluptate per subsequentes multos dies sæpius relegerim jamque inter carissima κειμήλια repositas habeam. Ago autem gratias æterno Patri Domini nostri Jesu Christi per et propter unigenitum Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum, quod te hactenus umbra alarum suarum adversus omnia mala clementer protexerit ecclesiæque suæ incolumem conservaverit, mihi usuram lucis tam diu concesserit, donec aliquid certi de te et rerum tuarum statu

explorare contigerit, eundemque propter unigenitum Filium suum veris gemitibus oro, ut utrumque organum faciat salutare et vas misericordiae. Amen. Quandoquidem vero, reverende vir, rerum mearum statum cognoscere vehementer desideras, repetam eum aliquanto altius et scire te velim, quod me anno 57 circa festum Paschatos Witebergam studiorum gratia contulerim ibique totum septennium hæserim, donec tandem revocatus sum ab amplissimo hujus reipublicæ senatu, studiorum meorum Mæcenate, ad munus docendi in schola, in quo cum per tres quadrantes anni desudassem, ab eodem ad sacrosanctum ministerium promotus sum, in quo jam Dei gratia annum jam ago decimum tertium. Deus faxit, ut ipsi multa grata et ecclesiae suae multa salutaria dicam et faciam. Amen. Ante decennium duxi uxorem virginem, filiam Georgii Stangen, quem novisti, ex qua jam Dei beneficio suscepi liberos 5, foemellas 4 et masculum unum nunc 8 ferme annorum. Fratrem Georgium adhuc habeo superstitem, hic civem agentem atque mediocri re familiari a Deo donatum, qui etiam ex ducta conjugè virgine suscepit liberos 6, masculos 3 et foemellas totidem. Adhæc Mettha soror etiam adhuc vivit, quæ ante annos 7 nupsit civi Lunæburgensi Georgio Hilmers, cui jam peperit liberos 3, masculos duos et filiam unam. Magnum vero fratrem ante annos 9 amisimus, in undis, pro dolor, periit, cujus tristissimus casus me tam graviter afflixit, ut jam canos alam, quamvis sperem illum non amissum, sed tantum præmissum esse. Habes jam, quo in statu simus collocati. De tuis vero rebus etiamsi aliquo modo per popularem tuum Hermannum, mihi a te commendatum, certior factus sim, tamen libenter etiam de iis cum affine tuo contulisses, si ad nos venisset, sed cum illud factum non sit, acquiescendum censeo, donec aut illum aut te (quem unice desiderat anima mea) præsentem habeamus. Nam sicut tu vehementer cupis, ut nos aliquando invicem videamus et alloquamur, ita et ego nihil magis in votis habeo, quam te intueri, tuas audire et meas reddere voces. Ait enim Plato: οὐδὲ χρυσός, οὐδὲ ἄδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄφιν, ὥσπερ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις. Et si animum induxisti ad nos venire et me invisere (quod quidem vehementer cupio), ut ad me divertaris etiam atque etiam rogo. Quid de conatibus D. Doctoris Andreæ futurum sit, adhuc est incertum, nec omnium de iisdem idem judicium, quare et ego de his aliquid scribere supersedeo. Experietur etiam tuus popularis Hermannus commendationem tuam multum ponderis apud me habuisse. Quod superest, Patrem Domini nostri Jesu Christi ardentibus votis oro, ut te cum conjugè suavissima pignoribusque dulcissimis diu servet incolumem. Bene in Christo vale. Datæ Lunæburgi fluctuanti calamo anno 1578 pridie Georgii, quo die Deo dante annum 42. ingressus sum. Salutari ex me cupio costum tuam, quamvis mihi ignotam. Salutem tibi dicit per me frater Georgius. Iterum vale ad Nestoris annos, et me diligere perge.

Tuus discipulus
Johannes Danckwers.

Nicolaus Knutzen, Mildstedt, 8. december 1578.

Pistorius har på superintendentens vegne bedt N. K. om at sende ham Jacob Andreæ skrifter. Han sender to bøger med dennes prædikener om de hovedsagelige stridspunkter i de lutherske kirker (1573). Han vilde gerne være rejst med Pistorius til Slesvig, men er syg; kommer måske et par dage senere. Hilsener fra de hos ham forsamlede embedsbrødre. (Årstallet er 1579, men det er vistnok det lige begyndte nye kirkeår.)

M. Nicolaus Knutzen, pastor Milstediensis, d. Johanni Pistorio S.D.
 Literas tuas pie et erudite scriptas legi, frater in Christo dilectissime, in quibus nomine clarissimi Domini Superintendentis a me petis, ut scripta Jacobi Andreæ ad te mittam, id quod libenter facere volui. Mitto itaque duos libros continentes contiones Jacobi Andreæ de præcipuis controversiis in doctrina nostrarum ecclesiarum. Ego libenter una tecum Slesvicum versus proficiscerer, nisi diuturno meo morbo et totius corporis mei imbecillitate impedirer. Si autem venire potero, elapsis diebus duobus aut tribus, Deo me servante et gubernante, sequar. Interim te una cum aliis fratribus nostris ibi congregatis Filio Dei, Domino nostro Jesu Christo, commendo eumque oro, ut adsit nobis omnibus et regat nos et studia nostra et actiones omnes, ut faciant ad sui nominis gloriam et sint salutiferæ ecclesiis et honestis rebuspublicis. Amen. Datæ ex ædibus meis 8. Decembris anno 79.

220

Arnold Muls, Welt, 4.marts 1579.

Der er uvenskab mellem Muls og hans svigersøn, især mellem denne og svigermoderen. Svigersønnen passer ikke sine sager og er kommet i gæld. Han skal efter stallerens (Caspar Hoyers, fra 1578) ordre opgive sine kreditorers navne og hvor meget han skylder hver af dem. Pistorius (i hvis sogn han synes at opholde sig) bedes overtale ham til at tage mod svigerforældrenes tilbud om hjælp. (Cf. nr.226, hvoraf det fremgår, at svigersønnen hed Caspar Jacobs, og der gives yderligere antydninger af, hvad det drejede sig om.)

81

Arnoldus Muls Geldrius Joh. Pistorio S.D.

Humanissime Domine Compater, paucis respondeo ad tuas literas 12. Septembris ad me datas. Primum, quod versipellis iste prætextu et nomine reconciliationis cum socru sua vafre omnia eludere conatur, non recipio. Nam nulla tunc reconciliatio aut culpæ deprecatio facta est; tantum inter eos convenit, et hoc ipsam unice expetere, ut proximo vere ad nos cum filia nostra commigraret, quod et mihi placet et a multis, et præcipue a Volch Boiens, suo patruo, comprobatur; aliter illi consultum nescio, et sic amice ab invicem discesserunt. Quantis injuriis et contumeliis affecerit me et animum meum excruciarit, id totum depono apud Christum, qui causam meam tandem judicabit. in hoc enim negotio bonam habeo conscientiam, et miror quosdam viros graves et prudentes posse persuaderi, ut fidem habeant homini futili, et istud facit suis fucosis excusationibus, in nos rejiciens, quorum ipse reus est; querulatur se peti a socru sua improbis verbis, sed nebulo causam quare reticet? Existimo non opus esse, ut detrudat aliquos, qui reconciliationem inter nos tentent et perficiant. Falso enim id, et simulato animo id faciet. Nihil nobis gratius aut optatius esse poterit, quam si mutet mentem et incipiat curare rem familiarem, de verdderver siner nering. Agit omnia ex consilio matris suæ, quæ est mulier malitiosa et nos extreme odit. Quod attinet ad executionem mandati et voluntatis clarissimi et nobilissimi D. Præfecti, ut nomina suorum creditorum, et quid cuique debeat, conscribat et annotet, censeo omnino instandum et urgendum, ut id faciat. Est enim e re nostra, nec occasionem neglegendam judico. Quid ipsum detineat aut

deterreat, non prorsus scio; latet insidiosus anguis in herba. Si dabitur occasio, suade illi, ut amplectatur oblatum illi a nobis beneficium. Hoc pacto socrus suæ animum sibi conciliabit. Mi compater, omnia tuo subijcio iudicio, a cujus consilio ne latum quidem culmum discedere volo. Bene vale cum honestissima conjugē tua in Christo. Datæ in Welt 4. Martii anno 79.

221

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 17. marts 1579.

Horstens hustru er død dagen før; Pistorius bedes komme til begravelsen den følgende torsdag og holde ligprædikenen.

80

Bernhardus Horstenius Joh. Pistorio S.D.

Reverende, doctissime humanissimeque D. Pastor, compater carissime, evocavit Dominus secundum suam voluntatem ex hac vita, miseriarum valle, uxorem meam dilectissimam hesterno die hora 2. pomeridiana, quanto mærore animi mei, ipse novit, qui cuncta scit, sed Domino obediendum est, qui dedit et abstulit. Scripsi igitur ad affinem Petrum Broderum hesterno die statim post obitum uxoris, sed accepi responsum neminem hoc tempore ad nos inde venturum. Cupio tamen pro meo in illam caritatis affectu... honeste et decenter ipsam terræ mandari. Recurro igitur ad Tuam Humanitatem, quem non secus ac fratrem meum amo, non aliter quam compatrem meum dignissimum veneror et complector, pro nostra in Christo caritate fraterna petens, si possibile sit, ut proximo die Jovis (quia tamdiu sepultura propter tardius responsum Husemense differretur) nos accedere, deductioni funeris et sepulturæ interesse ac in honorem meæ non amissæ, sed præmissæ costæ contionem funebrem habere dignetur. Ego quas non referre possum gratias, habeo tamen semper. Dominus consoletur omnes mæstos! Et quid hujus fieri possit, per præsentem certo renuntiari cupio. Vale plurimum, dilecte compater, et saluta carissimam tuam conjugem. Datæ ad S. Petrum die Martis post Reminiscere anno 79.

222

Jacob Jacobi fra Odense, København, 12. juli 1579.

Meddelelse om datoerne for Peder Palladius' og (Johannes) Machabæus' død og Justus Jonas d. Y.s henrettelse, som opgives til henholdsvis 3. januar 1557 i en alder af 60 år (i stedet for 1560 i en alder af 57 år), 6. december (i stedet for 5. december) 1557 og juli 1566 (i stedet for 20. juni 1567). Endvidere nævnes Anders (Sørensen) Vedel, Jacob Wulfeld og Hans Frandsen; denne sidste sender hilsen og en bog om det menneskelige skelet med indbydelse til Pistorius om at bo hos ham, når han kommer til København.

79

Jacobus Jacobi Othoniensis Joh. Pistorio S.D.

Negotium, quod mihi, vir reverende et amice dulcissime, a te discedenti commisisti, fideliter expedi. Negotium autem hoc erat, ut inquirerem tempora, quibus ex hac vita discesserint Doctores Petrus Palladius et Machabæus, et quoque, quando supplicio capitali D. Justus Jonas hic affectus sit. Obiit igitur diem suum D. Palladius 3. Januarii anno 57, ætatis suæ 60, et D. Machabæus die 6. Decembris anni 57,

quod uxoris superstitis relatione habeo. Justus vero Jonas supplicio capitis punitus est anno 66 mense Julio; diem rescire nondum potui, spero tamen exploraturum, et primo quoque nuntio ejus te certiore faciam. Reditum enim M. Andreae Wellei historiographi nostri (qui eremerides varias, ut dicitur, collegit singulari diligentia) Roschildia (ubi nunc comitia ob legationem D. Jacobi Wulffeldii in Russiam instituta sunt) expecto. Doctorem Johannem Francisci tuo, ut voluisti, nomine salutavi, cujus rei testis est libellus hic de ossibus humanis, quem tibi dono mittit; libenter ipse tibi scripsisset, si per occupationes potuisset. Admodum enim quotidie a patientibus sive aegrotis molestatur. Jussit igitur, ut te suo nomine quam officiosissime salutarem, et simul te orat, ut si huc aliquando veneris et scholam hanc nostram invisere velis (quod te adhuc aliquando facturum, cum apud te essem, dixisti), ut apud ipsum hospitari velis. Plura, de quibus hoc tempore scribam, non habeo. Quare te Deo optimo maximo commendo, et uxorem tuam et D. Matthiam Prætorium meo nomine amanter salutes velim. Datæ Haffniæ 12. Julii anno 79.

223

Johannes Danckwert, Lüneburg, 8. oktober 1579.

lygter om den nye Konkordieformel, som skal være trykt i Dresden, men alle eksemplarer holdes tilbage af kurfyrst August af Sachsen. (Trykningen var begyndt i 1578, men offentliggørelsen fandt sted på 50årsdagen for Den augsburgske Konfession, 25. juni 1580.) I Lüneburg har man underskrevet den, dog med forbehold på visse punkter. I naboegnene er der mange, som rakker ned på Melanchthon, men ikke i Lüneburg, hvor man tager afstand fra Flacius og derfor hos andre er suspect. Som et vidnesbyrd om, at Danckwert ærbødigt mindes læreren Melanchthon, sender han Pistorius et billede af ham med en indskrift ved Camerarius.

82

Johannes Danckwerts Lunæburgensis Joh. Pistorio, præceptori suo, S.D.

Reverende et doctissime vir, præceptor, amice et frater carissime, suavissimæ et humanissimæ tuæ literæ, quibus meis ante annum ad te exaratis respondes, ut exoptatissimæ, ita etiam gratissimæ mihi fuere, nam me uno momento omni metu atque suspicione liberarunt. Propter diuturnius enim tuum silentium suspicatus fueram aut meas fuisse interceptas et non redditas, aut tibi adversi aliquid accidisse. Sed cum ex literis tuis intellexerim omnia esse salva et integra, tibi gratulor, mihi gaudeo. Constitueram cum hoc adolescente Hermanno superiore vere iter ad vos facere, sicut inter nos convenerat, sed morbus, quo tunc tenebar, propositum nostrum evertit. Faxit Deus, ut nos aliquando revideamus, et ne in ea spe, quam mihi de futuro Paschatis festo fecisti, fallar. Nihil enim mihi exoptatius, nihil jucundius, quam te videre et tecum colloqui evenire potest. De formula novæ concordiæ quid scribam, incertus sum, nam non omnes idem referunt. Spargitur hic rumor typis eam Dresdæ excusam esse ante aliquot menses, sed omnia exemplaria a Principe Electore Augusto in conclavi multis seris munito tam diligenter asservari, ut ne unius quidem cuique facta sit copia. Utrum autem verum sit nec ne, pro certo affirmare non ausim. Nos quidem illi subscripsimus, sed antea explosis explodendis et illis, quæ lima opus habebant, emendatis. Non enim consensimus in prodigiosam ubiuitatem, præsentiam Brentii, qui coelum, terram, infernum et fere omnia ubiuitaria facit, nec etiam

admisimus paradoxa Jacobi Andrea, neque ex aliis fundamentis præsentium corporis et sanguinis Christi in Sacra sua Coena defendimus, quam ex verbis Christi, quibus eam instituit. Reperiuntur multi in vicinis locis, qui Dominum Philippum, præceptorem nostrum, virum canone ecclesiastico et aterna memoria dignum, conviciis publice et privata proscindere et sanctissimos ipsius manes lacerare non erubescunt, id unice agentes, ut nomen tanti viri, tam bene de ecclesia Dei meriti, obliteretur: sed nemo in nostro est ministerio, qui non honorifice ejus mentionem faciat. Nunquam etiam, quamdiu ego in ministerio fui, addicti fuimus fanaticis hominibus Flacianis omnia turbantibus et coelum terræ miscentibus, sed ipsis quantum potuimus contradiximus, maxime in loco de peccato, quod, uti scis, substantiam faciunt, et propterea etiam a plerisque vicinis nostris suspecti habemur, quod non recto pede ad veritatem incedamus. Sed ferenda ista sunt, quandoquidem contra morsum sycophantæ nullum sit remedium. Non tamen dubito nos recte facere et rectius posteritatem etiam judicaturam esse. Et ut testatum faciam me memoriam Domini Præceptoris sancte conservare, mitto tibi imaginem ejus versibus disertissimi Domini Camerarii ornatam atque commendatam, ex quibus constat, quid vir ille longe doctissimus de Domino Præceptore senserit. Atque gratias tibi ago pro communicato symbolo novæ concordiæ antea nondum viso. Quod superest, te Deo optimo maximo cum conjugate et liberis commendo, quos meo nomine salutatos esse cupio. Bene et feliciter in Christo vale, reverende et colende d. præceptor, qui te Spiritu Sancto suo semper gubernet atque organum salutare facere non desinat. Amen. Datæ Lunæburgi 8. die Octobris anno 79.

224

Paul von Eitzen, Slesvig, 15. januar 1580.

von Eitzen er tilfreds med, at degnen Abraham kaldes til Kotzenbüll. Der nævnes hessiske skrifter, som v. Eitzen har sendt til den kongelige statholder Henrik Rantzau og vil sende til Pistorius, når han har fået dem tilbage. (Det drejer sig vel om forhandlinger i Hessen angående Konkordieformlen.) 'Vort skrift' kan han endnu ikke sende (hvad det så end er for et skrift; v. Eitzen havde i 1579 skrevet et ikke offentliggjort skrift, Bedencken von der Formula Concordiæ etc.). Der nævnes også et kongeligt brev, som von Eitzen ikke har set, men han har hørt om en sådan kristelig formaning.

83

Paulus ab Eitzen, D. et Superintendens, Johanni Pistorio S.

Reverende vir, carissime frater, accepi scriptum a custode Abrahamo, et quod ad ipsum attinet, libenter sum contentus, ut a Cotzenbüllensibus vocetur. Ad una epistola ad dominum pastorem M. Georgium efficere poteris. Scripta Hessica, quæ petis, misi ad inclitum Dominum Vicarium Regium Henricum Rantzovium; quamprimum recepero, mittam ea tibi. Nostrum scriptum nondum possum mittere, quia ab Illustrissimo et clementissimo Principe nostro nondum est ad Electores missum. Regias literas, de quibus scribis, non vidi, sed Christianam talem admonitionem factam esse cognovi. Sit Deo laus et gratia in omnia secula. Amen. Bene vale in Christo. Ex Slesvico 15. Januarii anno 80.

Johannes Pistorius til en ikke navngiven præst,
Tetenbüll, 30. januar 1580.

(Adressaten kaldes i brevet Laurentius og er vel Laurentius Addi, på dette tidspunkt rektor i Tönning, den eneste Laurentius i Ejdersted; cf. nr. 231.) Pistorius beder om at få superintendentens skriftlige udtalelse om kurfyrsternes fortale til Konkordieformlen tilbage sammen med et par andre breve og om lån af Peter Ramus' kommentarer til Ciceros taler med forfatterens levnedbeskrivelse.

336

Reverendo N. Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Christum. Eximie Domine Laurenti, cum ante dies aliquot ad nobilem et omni virtute præstantem Dominum Casparem Hoyerum, Mæcenatæ nostrum, miserim pagellas aliquot continentes cum judicium reverendi Domini Superintendentis nostri de præfatione Illustrissimorum Dominorum Electorum proponenda Formulæ Concordiæ Bergensi, tum duas epistolas 80. [anni], et sciam Præstantiam ipsius eas tibi tradidisse, ut suo tempore a te eas reposcerem et reciperem, ideo hac eadem de causa hunc puerum meum ad te mitto etiam atque etiam orans, ut per ipsum eas mihi remittas. Et quia superiore ætate apud te vidi librum cuendam continentem commentaria clarissimi et doctissimi viri Domini Petri Rami in aliquot, ni fallor, orationes M. T. Ciceronis, quibus narratio historica vitæ ejusdem P. Rami adjuncta et præposita est, simul a te peto, ut librum illum per dies aliquot mihi commodes. Nam tanti viri, quem per Dei Spiritum singulariter illuminatum laudavi nostræque religioni et doctrinæ addictissimum fuisse, vitam legere et cognoscere admodum desidero. Cum perlegerim, remittam tibi librum et una etiam exemplar illud grammatices; si omnino carere nolueris, cum gratiarum actione tibi restituam. Si qua in re vicissim tibi gratificari et inservire poterò, nihil libentius sum facturus. Bene et feliciter in Christo Jesu vale. Datæ in Tetenbüll 30. Januarii anno 80.

226

Arnold Muls, Welt, 3. marts 1580.

Mere om svigersønnens og hans mors bedrifter (cf. nr. 220). Hun har fået stilleren til at afskedige Svend Hansen som formynder for en datter af Jasper Jacobs. Endvidere har svigersønnen solgt resten af sin ejendom til samme Svend Hansen, men nu påstås det, at han kun har solgt en del af den lille ejendom. Pistorius bedes derfor informere stilleren om sagens rette sammenhæng. Muls plages af svigersønnens kreditorer.

84

Arnoldus Muls, pastor Weltensis, Johanni Pistorio S.

Reverende vir, carissime compater, si vales bene cum tua familia, plurimum gaudemus. Nos hic non admodum ex sententia valemus, uxor est valetudinaria, ego altero pede laboro, major digitus pedis intumescens me claudicare cogit, causam morbi ignoro. Hodie summo mane fuit apud nos Swein Hansen Tatingensis sanguine junctus filia Jasper Jacobs et ei constitutus olim tutor; ab hoc officio amovit eum, nescio qua de causa, Dominus Præfectus vel Senatus hisce diebus instantia improba et injusta accusatione matris Caspari generi nostri.

Igitur hoc non male habet. Existimo te adhuc meminisse, quomodo
 literas generi noster vendiderit ipsi Swein Hansen partem adhuc re-
 liquam, idque legitime et juxta contractu coram testibus fide dignis
 uxore mea: nunc improba illa mulier, mater generi mei, will den
 oop thorügge driven, quum ex ore ipsius egomet saepe audiverim se
 emendasse Swein Hansen, necessitate coactus, agelli partem. Quando
 citur e re Caspari Jacobs et filia nostra est, imo et nostri etiam
 maximum interest, ut emptio rata cognoscatur, summopere petit Swein,
 ut nos petimus, ut missis literulis ad Magnificum Dominum Praefectum,
 vivo viva voce, patrocinetur huic justae causae et Magnificentiam
 proius de causa ipsa, ut in se est, instruas. Furit enim mater impia
 a manustias redacta. Sed nihil tibi impero, absit hoc a me. Nos
 reditoribus generi valde molestamur et urgemur. Confido nobilem et
 dignificum D. Praefectum nos non deserturum, et ex te brevi aliquid
 inter haec re cognoscere cupio. Et si scribere Domino Praefecto velis
 intercessionem, literas deponantur apud filiam meam Gardingæ; ibi eas
 cœcet Swein Hansen. Perendie autem causa hæc in iudicium veniet
 cognoscenda et judicanda. Bene vale in Christo. Data in Weldt anno
 C die 3. Martii.

227

Dr. med. Johannes Benz, Hamburg, 26. marts 1580.

Benz sender noget skriftligt tilbage sammen med et skrift af Kasimir
 af Pfalz, ligeledes Richard af Pfalz' svar angående fortalen (til
 Konkordiebogen) og Apologien samt nogle rhingrevers bemærkninger.
 Benz ønsker at få mere at vide, og det formodes, at der vil fremkomme
 en fuldstændig fremstilling af, hvad der er foretaget m.h.t. enighed
 mellem Luther og Zwinglianerne. (Johannes) Sturm vil selv svare (Lukas)
 Osiander (d. F.). Jacob Andreae og (Martin) Chemnitz (d. E.) har haft
 en samtale med deres modstandere, de anhaltiske teologer. Hele
 en teologiske bygning synes at hvile på de to søjler. Af (Nicolaus)
 Alneckers fortælle til hans for nylig (i 2. nybearbejdede oplag,
 579) udkomne Institutio fremgår, at han ikke har tillid til fore-
 tagendet, og nu er han kommet i strid med de to. (David) Chytraeus
 esværer sig over, at han helt lukkes ude fra forhandlingerne. De
 øvrige er kun statister i dramaet. Benz beder om meddelelse af dr.
 Julius' (von Sizens) brev til kurfyrsten og om Pistorius' bemærknin-
 ger til Konkordiebogen.

86

Johannes Benzius, Doctor Medicinæ, Johanni Pistorio populari suo.

Reverende vir, remitto pagellas tuas, pro quibus gratias ago.
 Adidi hisce scriptum Casimiri Palatini, quod (si recte memini) coram
 postulabas. Interim ad nos allata sunt et alia, Richardi scilicet
 Alatini de prefatione responsio et Apologia ad Electores, item
 omittum Rhenensium quorundam hypomnemata, argumentis politicis fir-
 mata, quæ quia non ingrata fore tibi cogitabam, una mittere volui,
 ut nostra salva et integra per certos homines remittes, vel Henrico
 anglicio affini remittenda mandabis. Poteris de tuo et D. D. Paulo
 tuis amicis communicare. Expectamus propediem e nundinis Francoforten-
 sibus plura, et putatur proditura integra historia Actorum Concordiæ
 inter Lutherum et Zwinglianos. Sturmius quoque ipse Osiandro respon-
 dit. In Saxonia nuper cum Anhaltinis theologis denuo collocti sunt
 Jacob Andreae et Chemnitius, de quibus hoc asseritur, quod ad inter-
 rogationes propositas respondere adversarios cogere voluerint. Videtur

... tota arx theologica his duabus tantum columnis niti. Nam
Belvedere cause non fidere ex prefatione Institutionibus nuper
editis. pr. fixa apparet, et litem ipsi esse cum hisce duabus ajunt.
Cyprii vero querelas, quod ab actionibus et deliberationibus prorsus
excludatur, verbis notas esse puto ex epistola, quam ad legatum
Bellicum in Dania scripsit. Reliqui sunt *κατὰ πρόσωπα* dramatis. Si
aut habes communicanda vicissim, una cum meis remittas, inter cetera
D.D. Pauli ad Electorem, notationes quoque vestras ad Librum Concordiæ
restremas, si quando haberi poterunt et communicare licebit. Bene
vale, et saluta amicos. Hamburgi 26. Martii anno 80.

228

Peter Aurifaber, Garding, 28. marts 1580.

På anmodning af Joachim Voss' hustru beder Aurifaber Pistorius om hos
stalleren at tage sig af deres sag; de er med deres gæld i helt for-
tvivlede omstændigheder, og kreditorerne stiller urimelige og uret-
færdige fordringer. Hr. Michael (Hein?) er også i pengevanskeligheder.

85

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.

Reverende D. Pastor, amice et frater in Christo carissime, petiit a
me presens tabellio, uxor Joachimi Vossii, ut Tuæ Dignitati maritum,
se et liberos commendarem, si quo modo fieri posset, ut tua inter-
cessione sapientissimi et prudentissimi Domini Præfecti consilio et
patrocinio, ipsorum rebus pæne deploratis, consuli possit, ne ad
rectim res redeat, debitorum solutionem urgentibus creditoribus. Hæc
scio, num ades et fundi alieno ære solvendo sufficiant, præsertim si
creditoribus integrum sit pro suo arbitrio non sortem modo repetere,
sed et usuram et quod interest taxare. Neque dubito, si ullum ob-
eratis salutare consilium humana prudentia suppeditari debeat, quin
ad a prudentissimo Domino Præfecto hisce calamitosis hominibus expe-
tendum expectandumque sit, qui pro sua auctoritate creditorum im-
moderatas et iniquas exactiones inhibere et moderari et pro sua
eximia prudentia, quid oberatis ex usu sit, in medium consulere com-
modissime poterit. Et quia omnino confidunt nobilissimum et sapien-
tissimum Dominum Præfectum ipsorum rebus pæne deploratis (salva tamen
justitia) clementer et benigne patrocinatorum, studiosè et amanter
oro, si per occupationes liceat, Domino Præfecto vel coram vel scripto
Joachimi causam commendare et una in medium, quid facto opus videatur,
consulere digneris. Ecquidem ex animo ipsius vicem doleo et familiam
calamitatem miseror. Neque dubium est, si quis ipsius rebus, præce-
desperatis et deploratis, auxilium præstiterit, quin a bonis et piis
viris laudem, a Deo vero pietatis præmium sit reportaturus, cujus
tutelam Tuam Dignitatem cum carissima conjuge, liberis et domesticis
etiam atque etiam commendo studiosèque et amanter oro operam dare
velis, ut intelligant hanc meam intercessionem sibi nonnihil pro-
fuisse. Bene et feliciter in Christo Jesu vale. Data Gardingæ
postridie Palmarum anno 80.

Oro etiam te D. Michaëli patrocinatorum apud Dominum Præfectum,
pro creditoribus suis satisfacere possit.

Paul von Eitzen, Slesvig, 11. juni 1580.

Kurfyrsten af Pfalz (Ludwig 6.) har skrevet til de andre to kurfyrster, at han ikke vilde lægge hindringer i vejen for udgivelsen af Konkordiebogen, kun at hans navn ikke sættes foran. (Det står der nu alligevel.) von Eitzen håber, Gud vil gøre Jacob (Andreas) og hans kollegers planer til intet.

Paulus ab Eitzen D. Joh. Pistorio.

S. per Christum. Carissime frater, scripsit ante dies paucos ad me bonus amicus, quod Elector Palatinus scripserit ad alios duos Electores se nolle impedire editionem Libri Concordiæ, modo suum nomen non præfigatur. Sic spero, quod Dominus dissipabit consilia Jacobi et collegarum ipsius. Gott wirts wol machen, das sein wort die uberhandt behalte. Bene vale, et saluta officiosissime Magnificum Dominum Præfectum. Ex Slesvico 11. Junii anno 80.

Paul von Eitzen, Slesvig, 14. juli 1580.

Om en sammenkomst mellem kejseren og seks kurfyrster i Nürnberg. Jacob Andreas har været hos kurfyrsten af Pfalz for at få ham tilbage til sin opfattelse. Kurfyrsten af Sachsens kammermester har begået selvmord. Pistorius anmodes om, ved given lejlighed at bede stalleren (Caspar Hoyer) have von Eitzens stedsøn Johannes (Volkmar) i velvillig erindring.

D. Paulus ab Eitzen Joh. Pistorio S.

Carissime frater, novi jam nihil habeo, nisi quod hoc tempore Imperator et sex Electores celebrant comitia Norimbergæ. Existimatur agi de electione Regis Romanorum. Jacobus Andreas cucurrit antea ad Electorem Palatinum sperans, quod ipsum sua suaviloquentia rursum in suam sententiam trahere velit. Dominus resistat ipsi. Electoris Saxonie, ut vocant, Camermeister oder Schatzmeister sibi ipsi manus intulit; variæ sparguntur de tristissimo illo casu causæ. Rogo te, frater carissime, ut cum dabitur occasio, velis inclitum et Magnificum Dominum Præfectum orare, ut mei privigni Johannis velit benigne memor esse. Dominus Jesus ipsius Magnificentiam, te ac familiam utriusque servet et custodiat. Amen. Ex Slesvico anno 80 postridie Margaretae.

Laurentius Addi, Tønning, 16. juli 1580.

L. A. har påtaget sig at undervise adelige og velbegavede unge mennesker (deriblandt Caspar Hoyers sønner, cf. nr. 243) i latin og har besluttet at opføre en komedie af Plautus, som Pistorius bedes bære med sin nærværelse.

Laurentius Addi Johanni Pistorio S.D.

Cum sub ferulam et disciplinam meam, vir perpetua observantia colende, nobiles et præclaræ indolis pueros erudiendos susceperim, totus et

mente et animo in hoc insisto, ut in primis pietatis seminaria imbibant et ex melioris notæ auctoribus præceptionum grammaticarum usum percipiant, ut ita paulatim sermonis Latini proprietatem et naturam, quæ nullibi manifestius atque certius quam in Plautinianis et Terentianis fabulis conspicitur, addiscant. Atqui sermone Terentius lectior et elegantior Plauto, et hoc jam commune doctorum judicium. Mira res, Terentius ut antistet Plauto, ni Musarum illud delictum Camerarius diversum sentiat, cujus ego sententiam secutus discipulis meis elegantior ex Plauto comoediam, quæ vocatur Bacchides, exposui, analytica præceptorum resolutione adhibita et genesi, quoad tenellorum captus ferre potuit, monstrata. Eandem nunc, Deo duce, ad crastinum diem publice agendam operæ pretium duximus. Iccirco ne comoedia nostra exigatur, sed stare videatur, eam tua præsentia et approbatione cohonestes. Id erit D. Casparo in primis gratum, et nos omni officii genere de te demereri studebimus. Vale. Tonna 16. Julii anni MDLXXX.

232

Paul von Eitzen, Slesvig, 30. august 1580.

Om en brevveksling mellem landgreven (af Hessen, hertug Adolfs svoger Wilhelm 4.) og hertugen af Württemberg (Ludwig) angående Konkordiebogen. Superintendenten i Hessen skriver, at kurfyrsten af Sachsen igen har forbudt salget af bogen (vel på grund af de mange trykfejl og indvendinger af forskellig art). Landgreven skriver, at nogle er blevet vanvittige over deres underskrift. I et skrift af von Eitzen bedes Pistorius stryge en sætning. - Endnu en påmindelse om stedsønnen Johannes (cf. nr. 230).

90

Paulus ab Eitzen Doctor Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Carissime frater, iterum accepi sex epistolas ultro citroque inter Lantgravium et Ducem Wirtembergensem scriptas, in quibus sunt acres disputationes de Libro Concordiæ, et postrema scripta est 10. Augusti. Oportet me nunc eas retinere apud me usque ad reditum Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri, alioqui jam misissem ad te. Accepi etiam Librum Concordiæ, sed Superintendens Hassiæ scribit, quod iterum ab Electore Saxonix est prohibita venditio. Lantgravius inter alia scribit, das etzliche wegen dieser subscription in wansinnigkeit und in desperation gefallen sind, sicut videbis ex ipsius literis ad Wirtembergensem Ducem. In nostro scripto rogo, ut deleas hæc verba: Das die Theologen vor unrecht setzen, das der Leib Christi eine geistliche speise sei der Seelen, ist unrecht, quia ex impresso libro video eos ibi loqui de corpore absente. Bene vale, carissime frater, et saluta Magnificum Dominum Præfectum eumque ora, ut mei privigni Johannis velit benigne esse memor oblata occasione. Ex Slesvico 30. Augusti anno 80.

233

Paul von Eitzen, Slesvig, 13. november 1580.

Om bededage. - Kongens (Frederik 2.s) edikt mod Konkordiebogen. - En afhandling ved Jacob (Andræ), som von Eitzen mener ikke har andet formål end at kanonisere Brenz' paradokser; desuden tilføjer Andræ to 'blasfemiske paradokser, ja, djævelske katterier' angående Kristi gud-menneskelige person. Endvidere påtales grammatikalske fejl i af-

handlingen, ligeledes otte (i nr. 232 står der seks, men måske er det andre) breve udvekslet mellem landgreven og hertugen af Württemberg, som von Eitzen har sendt til den kongelige statholder.

Paulus ab Eitzen Doctor Joh. Pistorio suo.

S. per Christum. Reverende vir, frater carissime, gratias tibi habeo, quod de mea valetudine es sollicitus. Ego committo me Dei voluntati et rogo Deum, ut te et alios fratres, qui me estis juniores, custodiat et incolumes servet ad suam gloriam et ecclesiæ ædificationem. Dies rogationum hic observamus, sed publice ad alias ecclesias non scripsi, quia ad id requiritur Illustrissimi Principis mandatum. Quare eam rem distuli usque ad conventum consiliariorum, qui hodie huc venturi sunt, et tunc cum Magnifico Domino Præfecto de ea re colloquar. Necessaria est adsidua invocatio Dei his periculosis temporibus. Gratias ago, quod de Regio edicto contra Librum Concordiæ scripsisti. Mitto tibi disputationem Jacobi, ex qua intelliges, quod nihil aliud quærat, quam ut canonizet Brentii paradoxa. Ipse, ut videbis, nunc hæc duo blasphema paradoxa, imo diabolicas hæreses addit: Quod Filius Dei si vellet, posset deponere rursus humanam naturam assumptam, et ipsa maneret homo, similis nobis, sine peccato, hoc est, maneret persona; ergo sunt duæ personæ. Item: Ergo tantum separabiliter assumpsit humanam naturam. Plures blasphemiarum sub hoc portento diabolico latent. Item asserit, quod dictum Pauli pertinet ad articulum descensus ad inferos: Qui descendit in infimas partes terræ, sit intelligendum de utero Beatæ Mariæ Virginis. Non credo ullum diabolum esse tam impudentem, ut has blasphemias evomere ausit. Nisi evigilaverint Principes Christiani, quid, quæso, sequitur? Deus nos et ecclesiam suam custodiat. Amen. Invenies etiam malam grammaticam, præsertim in duobus locis: Divina naturæ excellit humanæ, sicut Creator creaturæ. Item: Papistæ spoliarunt laicis alteram partem. Ita ille spiritus vertiginis rumptat (ut Satanus ad indoctum exorcistam dicebat) in grammatica. Misereatur Deus ecclesiæ miseræ et nostri. Amen. Octo epistolas inter Lantgravium et Ducem Wirtembergensem ultro citroque missas misi ad Dominum Vicarium Regium; ubi recepero, ad te mittam. Id sint 25 bagen, sonst solten sie abgeschriben sein, und ich habe keine gesunden minschen im Hause gehabt. Disputationem, ut cum certus homo huc veniet, remittas. Nam præcipuos locos annotavi in charta, dar idt ingeneitt is, et nollem perire, quia annotavi et quæ insunt bona et recta, et quæ insunt mala et dubia et scandalosa, memoria gratia. Bene vale in Christo. Saluta uxorem et fratres. Ex Slesvico Dominica post Martini anno 80.

Magister Johannes Lucht, Slesvig, 5. februar 1581.

Superintendenten har bedt Lucht om at være vært for Pistorius, når denne kommer til Slesvig i anledning af hertug Hans (d. E.s) bisættelse. Brevbæreren er en slægtning af Lucht, hvis sag Pistorius bedes fremme hos sognepræsten i Katharinenherd, så han kan blive ansat der som degn.

M. Johannes Luchtius Slesvicensis d. Johanni Pistorio.

S. plurimam et Spiritus Sancti gratiam per Christum Jesum, Dominum nostrum. Venerande vir et in vinea Domini *συνμόστα* fidelissime,

quarvis doleam, quod mihi cum Tua Dignitate sui que similibus viris piis et doctis, præsertim nostri ordinis nostræque vicinæ, exilis adeo notitia, rarior autem intercedat familiaritas, mihi tamen gaudeo, matris autem terræ gratulor, cum talium doctrina, fide et pietate promoveri negotium ecclesiæ non dubitem. Ut autem aliquando major inter nos deinceps exoriatur notitia atque exinde perpetua coalescat amicitia, plurimum lator, quod clarissimus et reverendissimus noster Superintendens Tus Dignitati hospitium apud me expetiverit, ubi proxime Vestræ Dignitatis et aliorum fratrum præsentia funeris exequiæ Illustrissimi Principis Johannis laudatissima memoriæ fuerint condecoranda. Quamvis autem de equis Vestræ Dignitatis excipiendis sim sollicitus, cum stabulo caream, tamen operam dabo, ut et iis de loco prospiciatur. Interim rogo, ut apud vicinum Vestræ Dignitatis fratrem D. Pastorem in Catharinsharde hujus mei cognati (qui hasce Vestræ Dignitati adfert) negotium, quantum fieri potest, promoveatis, ut cum bona Pastoris gratia ad functionem ἱεροφύλακος promoveatur. Est homo simplex et bonus eritque Domino Pastori obsequentissimus, nec spero fore, ut hujus consortii ejus Dignitatem panitere unquam possit. Vestræ Dignitatis auctoritate apud bonum istum virum, vestrum vicinum, huic pauperculo plurimum commodare poteritis. Faciam ego pro meo modulo et tenuitate mea vicissim, ut utriusque vestrum innotescat me hujus vestræ erga meum hunc cognatum propter meam intercessionem promotionis non fuisse immemorem. His jam Vestram Dignitatem cum omnibus sibi caris gratiæ commendo divinæ. Datæ Slesvici Dominica Estomihi anno 81.

235

Johannes Pistorius til en anonym præst, Tetenbüll, 6.marts 1581.

Bedt om det af en mand fra sognet, hvis kone beskyldes for trolddom, opfordrer Pistorius præsten til at tilkendegive, hvad han har ment med det, da han den foregående søndag i sin bøn har nævnt den slags ting og efter forlydende skal have sagt, at der er præster i landet, som støtter troldkvinder i deres onskab. Dette er af tilhørerne opfattet som sigtende hovedsagelig til Pistorius. Hvis det passer, skal Pistorius nok på et passende tidspunkt rense sig for denne fornærmelse og skam. Har præsten haft andre embedsbrødre i tanker, må han nævne deres navne og bevise sin påstand.

(Uden nummer, brevbogens første blad.)

S. per Christum. Reverende et dilectissime Domine Compater, non utar longa circuitione, sed ἀνευ παθῶν καὶ προοιμίων quod res est, et cur descriptionem hanc ad te destinariam, indicabo: Factæ sunt hactenus et adhuc fiunt in nonnullis hujus regionis ecclesiis ad Deum supplicationes et preces incantationis ergo, ut omniscius ac omnipotens Deus illos et illas, qui vel quam abominandam istam impietatem atque diabolicas machinationes exercent, promovent et fovent, manifestet et in lucem proferat, quo dignis commeritiisque afficiantur poenis. Amen.

Cum autem inter alios et ad te hac de causa scheda missa sit, quam manu mea scripsi, idque rogatu parochiani mei Walcke Mommensen, cujus conjunx in hac causa diffamatur, quod quomodo et qua ratione fiat, quo tempore eventus ostendet, relatam est mihi te præterita Dominica Oculi non solum hac de causa preces habuisse, sed juxta prædictum modum auditores tuos ad pejerandum serio exhortatum esse et in illa exhortatione tua ad ejusmodi preces te hæc etiam verba addidisse et publice enuntiasset ferunt: wowoll dat manck unseren pastoren hie im

lande etliche in de ehre (scilicet incantatricum) bosheidt helpen stercken etc., quæ verba et iis, qui præsentés fuerunt ac audiverunt, etiamque aliis, quibus iidem ea narrant, cogitationes et suspiciones pariunt mirabiles. Oro ut dicam, quod res est; sunt inter illos, qui asserant te illis verbis me potissimum notasse et perstrinxisse, quod si ita est, scias, mi Domine Compater, me conveniente tempore injuriam sive ignominiam istam a me depulsurum. Sin autem verbis illis me non notaveris, alios tamen, et quidem pastores confratres tuos, notasti, quos nominare te oportebit atque probare illosque convincere, quod ad diabolicam hanc impietatem non modo conniverant, sed illam etiam justificare et defendere velint. Eusebius lib. 15. Præparationis Evangelicæ citat versiculum Timonis exagitantis sophistas: φοιτῶ δὲ βροτολογῶς ἔρις κενεὸν λελακνῦτα, hoc est, obambulat homicidalis mane quidam garriens, maledicens literis, artibus, disciplinis, legibus, veritati. Tu vide, ne temere ei aures præbueris vel adhuc præbeas. Sed cupio ac oro, uti te declares et mihi respondeas. Bene et feliciter vale in Christo cum honestissima conjugè ac liberis. Datæ in Tetenbull 6. Martii anno 81.

Tuus Johannes Pistorius.

236

Paul von Eitzen, Slesvig, 10. marts 1581.

Der nævnes nogle 'scripta Pomeranica' (uden at det af brevet fremgår, hvad der menes med dem), som von Eitzen gerne vil have Pistorius' udtalelse om. Det forlyder fra Hessen, at dr. Jacob (Andreas) er sendt tilbage til sine Schwaben uden alt for stor gunst fra kurfyrstens side. - Stedsønnen Johannes bringes igen i erindring; denne gang til Tønning.

93

Paulus ab Eitzen, Doctor et Superintendens, Johanni Pistorio.

S. per Jesum. Reverende vir, carissime frater, gratias ago pro transmissio libro; restituam eum, quamprimum a me perlectus fuerit. Recepi etiam Pomeranica scripta, ad quæ oblato nuntio respondebo. Peto tamen, ut tuum judicium et consilium de illis scriptis communicates, ubi aliquis huc proficiscetur. Novi nunc nihil habeo, nisi quod Superintendens Hassiæ ad me sic scripsit nuper: D. Jacobus dimissus ad suos Suevos reversus est, non adeo magna Electoris gratia, sicut rumor spargitur. Et in fine epistolæ hæc addidit: De rebus Misnicis horrenda narrantur, quæ nec credere, nedum scribere fas est. Metuo fructus mutatæ religionis et introductæ novæ doctrinæ indies magis et magis apparituros. Hæc tamen, mi frater, tibi soli communico. Nescio enim, quæ res sit, de qua scribit. Dominus Jesus avertat omne malum et a nobis, et ab Illustrissimo Principe Electore, cujus propositum et studium procul dubio bonum est et pium. Johannis mei ne obliviscaris, quæso diligenter, sed cum fiet mutatio per vocationem pastoris Tønningensis, facias, quæso, ejus mentionem apud præstantissimum et clarissimum Dominum Præfectum cum officiosa salutatione. Bene vale in Christo. Ex Slesvico feria 6. post Lætare anno 81.

237

Paul von Eitzen, Slesvig, 14. juli 1581.

Nye breve fra landgreven (Wilhelm 4. af Hessen) og pfalzgreven (Johann) Casimir mod Konkordiebogen. Begge parter har nu fremsat paradoksale

påstænde, hertugen af Württembergs teologer om tilstedeværelsen af Kristi legeme og blod i brød og vin, pfalzgreve Casimirs teologer om prædestination til frelse eller til fortabelse med en gentagelse af Karlstadts, Zwinglis, Calvins og andres gamle vise om nadveren. Selv skriver von Eitzen på tysk en kort formaning om nadveren (der udkom 1582 som Christlicher einfältiger Unterricht etc., tilegnet landsrev Wilhelm af Hessen) og har til hensigt også at skrive korte formaninger angående de enkelte lærepunkter (som dog først udkom 1588 under titlen Christliche Unterweisung .. von Göttlicher Ausversehung und vom H. Abendmahl etc.). Anmodning om forbøn for en lykkelig udgang af de meget vigtige forhandlinger, der føres mellem kongens og hertugens udsendinge (vel efterdønninger af de langvarige stridigheder om lenspligten, som ellers skulde have fået en ende ved lenshyldingen i Odense 1580). Til sidst: 'Glem ikke min stedsøn Johannes' (cf. det foregående brev).

Paulus ab Eitzen Doctor Joh. Pistorio.

S. per Christum. Reverende Domine, carissime frater, accepi denuo scripta ab Illustrissimo Principe Lantgravio una cum libro a Principis Palatini Casimiri theologis edito contra Librum Concordiæ. Venit utraque pars nunc ad extrema. Ducis Wirtenbergensis theologi aperte defendunt hoc paradoxon: Das Christi Leib in einem iglichen Haussbrodt sey, und das Blut Christi sey in allem wein, et verba Coenæ tantum esse verba distributionis. Theologi Casimiri defendunt hæc paradoxa et blasphemias: Filium Dei nominotenus passum esse. Deum velle quidem omnes homines salvos fieri, sed ipsi non libere omnes homines salvos facere. Non velle, ut omnes convertantur et salvi fiant, nam quosdam esse prædestinatos ad condemnationem, quosdam ad vitam. In doctrina de Coena repetunt veterem cantilenam Carolostadii, Zwinglii, Calvinii et aliorum. Monstravi hæc scripta Magnifico et nobili Domino Præfecto et promisi, quod ad te velim mittere, idque faciam, quamprimum ea ab inclito Domino Vicario Regio recepero. Scribo modo brevem admonitionem Germanicam de Coena, quam, volente et adjuvante Deo, curabo imprimi. Habeo enim in animo, si Deus et vitam et auxilium dederit, breves admonitiones Germanicas de singulis articulis doctrinæ conscribere. Utinam tecum sæpe colloqui et tecum conferre tuumque pium et eruditum judicium audire possem! Si Flensburgi apud inclitum Dominum Cancellarium Regium fuisti, rogo, ut aliquid scribas, an meam epistolam, quam ante biennium ad Electorem Saxonie misi, legerit. Mi carissime frater, ora cum tuis fratribus et tota ecclesia diligenter Dominum, ut felicem et tranquillum finem accipiant gravissimæ actiones, de quibus per legatos inter Serenissimum Regem et Illustrissimum Principem et Dominum nostrum tractatur. Oro etiam, ut omnes vicinos pastores diligenter admoneas. Ubi Magnificus Dominus Præfectus fuerit reversus, oro, ut mei privigni Johannis non obliviscaris. Libellum tuum cum gratiarum actione remitto. Bene vale in Christo. Ex Slesvico anno 81 die 14. Julii.

Paul von Eitzen, Slesvig, 4. august 1581.

Skriftet om nadveren (se ovenfor) er færdigt; von Eitzen har begyndt at skrive om dåben og håber at få skrevet korte og enfoldige forklaringer til alle lærepunkter, som skal være hans testamente. (Udkom 1583 som Catechismi Examen, summa christianæ pietatis capita etc.)

Paulus ab Eitzen Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum. Carissime frater, reverende vir, recepi scripta, de quibus proxime scripsi, eaque, volente Deo, apud nobilem et Magnificum Dominum Præfectum Casparum ad te mittam. Complevi jam Germanicum scriptum de Coena, et hodie incepti scribere de Baptismo. Si Dominus dabit vitam et auxilium, de omnibus partibus catecheticae doctrinae breves et simplices explicationes conscribam testamenti mei vice et sic huic mundo et contentionibus omnibus valedicam. Ad proximas literas cum summo desiderio expecto responsum. Hodie venient huc legati reversi a Rege; Deus det, ut læta afferant. Amen, Amen. Bene vale in Christo. Ex Slesvico anno 81 4. Augusti.

239

Paul von Eitzen, Slesvig, 22. september 1581.

von Eitzen beklager, at Pistorius har afslået kaldet til Tønning. - Om nogle bøger, bl. a. Calvinisters og papisters, imod Konkordieformlen, som snarere er en tvedragtens formel.

96

Paulus ab Eitzen Joh. Pistorio.

S. per Christum. Carissime frater, intellexi non sine tristitia, quod vocationem Tonningensis ecclesiae renuisti, sed non dubito te id cum bona conscientia ob graves causas fecisse. Ego certe judicaveram toti provinciae, omnibus vestris ecclesiis quotidianam tuam conversationem cum nobili et magnifico vereque pio Domino Præfecto futuram fuisse quam utilissimam. Mi frater, rogo, ut quamprimum huc veniet aliquis fidelis homo, per quem sine periculo librum de Traditionibus poteris remittere, ut eam occasionem ante hiemem non velis negligere. Habeo apud me libros et Calvinistarum et Papistarum contra Formulam Concordiae, vel potius discordiae, quos nunc secundo perlego, qua lectione absoluta eos ad te mittam. Bene vale. Ex Slesvico 22. Septembris anno 81.

240

Johannes Danckwert, Lüneburg, 3. maj 1582.

Beklagelse over, at der er gået så lang tid uden at der er kommet svar på et brev. Lykønskning til Pistorius' datters trolovelse. - Om et par dødsfald. - **Repræsentanter for byerne Lübeck, Hamburg og Lüneburg skal i Mölln på Chemnitz' tilskyndelse rådslå om et forsvar for Konkordiebogen mod dem, der offentligt har modsagt den. (1583 udkom Apologia oder Verantwortung des Christlichen Concordien-Buches.)**

97

Johannes Danckwers, ecclesiastes Lunæburgensis,
Joh. Pistorio, præceptoris suo.

Salutem in Christo Salvatore. Etsi, vir venerande et præceptor colende, nonnihil mihi scrupuli injecerit (siquidem verum fatear), quod nihil ad meas literas apud Hermannum, popularem vestrum, missas rescripseris, tamen cum forte fortuna (Deo sine dubio ita disponente) in reverendum virum d. pastorem Oldenswordensem, vicinum tuum, hodie inciderim, cui tuto meas committerem literas, meo officio deesse nolui,

sed potius te antea laccessitum denuo in palæstram provocare constitui. Miror vero, quid subsit rei, cur me tanto tempore responsione indignum judicaveris, præsertim hoc quo multi vestratum ad nos iter fecerint, quare etiam spem mihi semel atque iterum de me invisendo factam hactenus fefelleris. Si scirem me occasionem seu causam huic rei dedisse, libenter veniam culpæ deprecarer. Verum tuum erit me ea de re certiore facere atque te ea suspicione liberare atque exolvere. Audio perlibenter ex prædicto pastore te Dei beneficio cum suavissima conjugæ et dulcissimis liberis adhuc vivere et recte valere atque superiore hième filiam elocasse, quod tibi gratulor et mihi gaudeo. Deus faxit, ut bene illis omnia cedant, maritum suo tempore patrem, te vero faciat avum. Mea atque fratris Georgii res in mediocri adhuc sunt statu, Deo ita disponente, cui sit laus in secula. Mettha vero soror elapso hième maritum suum, virum bonum, proh dolor, amisit, sicuti etiam audio Johannem Thomsleger, affinem tuum, ex hac calamitosa vita ad feliciorē emigrasse, quem quidem sæpius aliquot nundinis diligenter quassivi, sed expiscari non potui. Superintendens noster cum M. Friderico Dedekindo, pastore ad S. Michaëlem, auctore Grobiani, ante triduum profectus est Molendinum, ubi conventus agitur trium civitatum Lubecensis, Hamburgensis et nostræ, et consultatio instituetur instinctu Doctoris Chemnitii de Apologia opponenda iis, qui Libro Concordiæ scriptis publice contradixerunt. Deus faxit, ne omnis concordia rumpatur et tristissima vastitas ecclesiarum sequatur. His te paucis Deo optimo maximo commendo, qui custodiat suam ecclesiam et nos et omnes pios faciat vasa misericordiæ. Amen. Salutabis meo nomine costam tuam dilectam, quamvis mihi ignotam, cum dulcissimis liberis. Vale feliciter in Nestorios annos. Amen. Luneburgi 3. Maji anno 82.

241

Paul von Eitzen, Slesvig, 17. maj 1582.

Anordning af offentlig forbøn for de fyrstelige herskaber med følge; i litaniet skal 'vor landsfyrste med alle hans vældige' o.s.v. gentages tre gange. - Der er atter en sammenkomst af teologer i Halle.

98

Paulus ab Eitzen Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine, carissime frater, rogo, ut cures diligenter fieri preces publicas pro Illustrissimis nostris Principibus et Dominis clementissimis atque toto comitatu, et ut cantetur Litania et ter repetatur versus ille: Unsen Landesfursten mit allen seinen geweldigē etc. Nunc iterum theologi congregati sunt Halæ Saxonum. Deus faxit, ut omnia recte fiant. Saluta Magnificum Dominum Præfectum, communem nostrum patronum, cujus Magnificentia consuluit, ut de Litania ad te scriberem. Bene vale. Ex Slesvico feria 5. post Cantate anno 82.

242

Paul von Eitzen til Johannes Pistorius og Peter Aurifaber, Slesvig, 15. juni 1582.

Der er atter stor strid mellem sognepræsten Hieronymus (Günther) og degnen i Westerhever. Da visitatsen er udsat og det på grund af pesten er uvist, hvornår von Eitzen kan komme, bedes Pistorius og Aurifaber tilkalde de to og forsøge at få et forlig i stand. Er der

politiske elementer med i sagen, må de henvende sig til stalleren. Uhyrlig forargelse til skade for menigheden kan ikke tåles.

99

Paulus ab Eitzen Johanni Pistorio et Petro Aurifabro.

S. per Jesum Christum. Reverendi Domini et carissimi fratres, cum dolore animi cognovi ex Domino Hieronymo, pastore Westerheverensis ecclesie, iterum inter ipsum et custodem magnas esse lites. Cum autem nunc visitatio sit suspensa et incertum sit propter contagium pestis, quando ad vos venire possim, idcirco summopere peto, ut velitis et pastorem et custodem ad vos vocare et utrumque audire atque, si fieri potest, eos inter se reconciliare. Si vero, ut metuo, simul conjunctæ sunt causæ politicæ, ut illas Magnifico Domino Præfecto, nostro communi patrono observandissimo, indicetis et Magnificentie ipsius consilium audiatis. Quod si etiam reconciliatio fieri nequit et res tanti est momenti, ut sine scandalo usque ad meum aut Domini Præpositi adventum differri non possit, peto, ut etiam Magnifici Domini Præfecti consilium audiatis, et si necessarium vobis videbitur, poteritis ad me scribere. Non enim sunt enormia scandala cum ecclesie detrimento toleranda. Bene valete, Domini reverendi et fratres in Christo carissimi, et orate pro nobis ac reverenter et officiose salutate meo nomine Magnificum Dominum Præfectum Casparum, nostrum communem patronum. Ex Slesvico feria 6. post Trinitatis anno 82.

243

Laurentius Addi, Wittzwort, 29. november 1582.

L. A.s kollega (Peter Widen) er død af pest, og dette vil efter forlydende medføre en forandring hos Pistorius. Addi har som efterfølger for Jacob Bornholt, når denne forlader Tetenbüll, tænkt på Henrik Godeke, som har været hans medhjælper ved undervisningen af stallerens sønner (cf. 231); han er en god ung mand, som ikke behøver videre anbefaling, og Addi har sørget for, at han bliver' hidkaldt fra Nordstrand og sendt til Pistorius.

100

Laurentius Addi, Pastor in Wittzwordt, Joh. Pistorio S.D.

Non te latere arbitror, reverende Domine Pastor, proxima hac æstate collegam meum mihi carissimum peste immanius apud nos grassante a nostris oculis et lateribus ereptum et avulsum esse, cujus obitus mutationem apud vos, ut audio, facturus est. Quare cum hoc luctuoso et periculoso tempore coadjutore novo inprimis opus sit, coepi de Henrico Godekenio, olim collaboratore meo in instituendis Domini Præfecti filiis, cogitare, ut, si ita Deo optimo maximo, Dignitati Reverendæ Tuæ, nec non paroecianis visum fuerit, in locum discessuri collegæ D. Jacobi Bornholdt succederet. Commendatione non est opus; juvenis est bene moratus, verecundus, modestus et doctus, et tua humanitas et bonitas est, hujusmodi bonarum literarum studiosos libenti animo complecti et amore prosequi non vulgari. Quare curavi illum ex insula Strandensi evocandum et ad te mittendum, nihil omnino de fide et benevolentia tua erga utrumque dubitans. Vale, Reverende Domine Pastor, cum tota familia. Wittzworda anno 82 29. Novembris.

Paul von Eitzen, Kiel, 10. december 1582.

Sammen med et uddrag af Johann Buntings 'Itinerarium Sacra Scripturæ' sender von Eitzen et brev, hvori han udtrykker sin dybe bedrøvelse over, at Bunting i modstrid med Haggais profeti om det andet tempel lader Kristus være kommet til Herodes' tredje tempel og have uddrevet kræmmerne af forgården, ikke af selve templet, hvilke påstande von Eitzen anser for Satans værk(!). - Konrektor i Flensborg Anton Bruns ønsker præsteembede og vil være tilfreds med et kapellani; Pistorius bedes ved given lejlighed have ham i erindring.

Centuria tertia.

I

Paulus ab Eitzen Johanni Pistori suo.

S. per Jesum. Reverende vir, carissime frater, oportet nos attente considerare insidiosam astutiam Satanæ, ne incauti decipiamur. Cum itaque hisce diebus mihi veniret in manus Itinerarium Sacra Scripturæ, impressum præterito anno Helmstadii cum præfatione Chytræi, atque statim in principio ejus libri invenirem, quomodo contra aperta et clara verba Aggæi de secundo templo, in quo oportuit præsentari et docere promissum Messiam, asseratur ex Josepho Judæo, quod illud secundum templum sit dirutum ante Christi nativitatem et novum seu tertium templum a fundamento extractum, ideoque Christum non venisse in templum secundum, sed in tertium templum Herodis, vehementer dolui, quod sic Judæis suppeditatur argumentum contra certitudinem Sacra Scripturæ et fidei nostræ de Jesu, Mariæ filio, pro nobis crucifixo et resuscitato. Additur etiam, quod Christus non ex templo, sed ex tertio atrio ejecerit ementes et vendentes. Ergo etiam non de templo, sed de atrio illo dixit: Domus mea domus orationis est. Hæc, mi carissime frater, cum magna tristitia legi et ad te locos illos descriptos mitto, ut mecum defleas hæc pericula novissimi temporis et una ores Dominum Jesum, ut opera et insidias Satanæ dissipet. Reverende vir, carissime frater, spero tibi notum esse virum solide doctum Antonium Brunonem Slesvicensem, qui nunc est conrektor scholæ Flensburgensis. Ille petit ecclesiasticam functionem et erit sacellani officio contentus, donec ad aliud officium promoveri possit. Ea de causa collocutus sum cum Magnifico Domino Præfecto Casparo Hoyerø, communi nostro patrono, et petivi, ut oblata occasione habeatur Antonii illius ratio, siquidem in hac patria est natus et est doctus ac honestus. Oro itaque etiam te, mi frater, ut ipsum tibi habeas commendatum et oblata oportunitate ipsius memor esse velis. Bene vale in Christo Jesu, qui ut te quam diutissime servet incolumem cum omnibus tuis, ex animo precor. Ex Chilonia feria 2. post Dominicam 2. Adventus anno 82.

*

Der erste Tempel, den Koninck Salomon gebauwet, hat nun zwen Vorhöve gehabt, gleicher gestalt hat auch der ander Tempel, den Zorobabel und Josua nach der Babilonischen gefengnis wider gebawet haben, der zwentzich elen nidriger gewesen, auch nur zween Vorhöve gehabt. Aber König Herodes liess denselben Tempel sechtzen jhar vor Christi Geburt abbrechen und bawet von grundt auff einen neuen Tempel, der dem ersten Tempel Salomonis an grösse und schönheit gantz gleich gewesen. Und derselbige Tempel hat drey Vorhöve gehabt, den Herodes liess den dritten Vorhoff noch darzu bawen für de frembden Heiden, das die dar

eingehen und bethen mochten, wie Josephus schreibet Antiq. Judai. lib. 15, cap. 14, et de bello Judai. lib. 6, cap. 6. Item Egesippus lib. 1.

Von dem dritten Vorhofe des Tempels,
darin die Heiden pflegeten anzubeten.

Diesen dritten Vorhoff hat Koning Herodes bawen lassen zu der Zeit, als er den gantzen Tempel vernewet sechzeen jhar für Christi Geburt, das ist sechs und veertzig jhar zuvor er, der Her Christus, anfieng zu predigen, Johan. 2. Und ist dieser Vorhoff der Heiden ein überkostlich gebew gewesen und ein groeßs wunder von wegen seiner größe und schönheit, den er war hundert elen weit und sieben hundert und zwentzig elen langk und strecket sich gegen auffgang der Sonne biss an den Bach Kydron. Das erthreich, darauff man gieng, war gleich wie auch in den andern Vorhofen mit Marmelstein mangerley farben übersetzt. Und die Mauren und Marmelneulen umbher waren funff und zwentzig elen hoch, und die Umbgeunge dazwischen, uberaus kostlich gebawet, waren dreisich elen weit. Und dieser Vorhoff wart der Heiden Tempel und Vorhoff genant, den die Heiden aus aller welt, die gen Jerusalem kommen waren, mochten in diesen vorhoff gehen und daselbst anbeten. Und eben in diesem Vorhoff haben gesessen die wechsele und ihre schinderei darin getrieben und den frembden leuten, die dahin kamen, ihres gefallens das geldt und frembde muntze abgewechselt. Item hie haben auch gesessen, die Ochsen, Schaffe und Tauben feil haten, welches dem Hern Christo so hefftich verdrossen, das er eine geissel aus stricken gemacht und sie alle zum Tempel heraus gejaget, Johan 2, Matth. 21.

Der euserste Vorhoff der Heiden.

Dieser Vorhoff hat bedeutet, das auch die Heiden zum Schaffstal des Heren Christi und zu der gemeinschaft Christi und seiner lieben Kirchen kommen solten, wie ehr selbst spricht Johan. 10: Ich habe noch andere Schaffe, die muss ich auch herzuführen.

Ex libro Germanico, cujus titulus
Itinerarium Sacræ Scripturæ.

M. Johan Bunting,
mit einer vorrede Chytræi.
Getruckt zu Helmstadt
Ao. 1581.

245

Peter Aurifaber, Garding, i Helligtrekongerstiden 1583.

Meddelelse om Aurifabers (første) hustrus død. Begravelsen vil finde sted den følgende dag; Pistorius bedes holde ligprædikenen.

II

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio.

S. per Christum, Dominum et Servatorem nostrum unicum. Reverende atque ornatissime vir, amice et frater in Christo observande, præterita nocte ad horam 12. carissima mea conjunx ex hac miseriarum valle in coelestem et æternam beatorum patriam evocata pie et placide in invocatione ardenti Filii Dei obdormivit, cujus funus cras propitio Deo curabitur. Et quia te mea meorumque miseria et ærumnis affici ex animo non dubito, studiose et amanter oro funeris deductionem cras ad horam 10. tua præsentia ornare, necnon funebrem contionem in

nostram instructionem et consolationem habere digneris, quod te facturum plane confido. Deus optimus maximus te tuosque in sui nominis gloriam quam diutissime conservet et tueatur. Festinanter Gardinga in Epiphaniis Domini anno 83. Curabis etiam, ut campanis hodie ejus obitus denuntietur.

246

Paul von Eitzen d.E., Slesvig, 16.marts 1583.

Anbefaling af en god ung mand, Laurentius Dithmer, født i nærheden af Åbenrå (Hellevad), til kapellanembedet i Tetenbüll; han afskyr Flacianere, Calvinister og Jacobiter (Jacob Andreæ tilhængere). Der nævnes en beslutning i Quedlinburg (januar 1583) om udgivelse af den nye Apologi (den samme år udkomne apologi for Konkordiebogen), som efter von Eitzens mening kun vil volde nye fortrædeligheder.

III

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

3. per Jesum. Reverende Domine et dilectissime frater, ad tuas literas respondebo apud pium, eruditum, sobrium ac modestum juvenem, natum prope Apenrade, patre pastore, quem ad tuam petitionem ad te mittam, ut ipsum una cum primoribus ecclesiæ videre et audire atque, si vobis, ut spero, placebit, ipso in ministerio uti, Deo sic volente, possitis.* Sæpe apud nos est contionatus, et honeste ac pie vixit apud nos et Witebergæ et abhorret a sectis Flacianis, Calvinisticis et Jacobiticis, fuitque mihi semper ipsius conversatio dulcis et grata. Quedlinburgæ audio decretam esse novæ Apologiæ editionem. Utinam non fingatur tandem apologus in doctrina religionis. Adferet hæc editio novi operis novas nobis molestias. Sed retineamus hanc consolationem, quod major est, qui est in nobis, quam qui est in mundo. Bene vale, carissime frater. Ex Slesvico Sabbato post Lætare anno 83.

* I marginen: Hic fuit Laurentius Dithmarus.

247

Dr. med. Johannes Benz, Hamburg, 8.juni 1583.

Johannes Holmann har været i Hamburg og er vendt tilbage til Leyden, hvor han nu er professor. - Pistorius bedes besørge Benz oste fra en hollænder i nærheden. - Perserne agter at genoptage krigen med tyrkerne. - (Hertug Ernst), en broder til Bayeren (hertug Wilhelm 5.), biskop af Freising og Liège, er blevet valgt til ærkebiskop i Köln, og Benz forudser blodsudgydelse. En skildring af tilstandene i Belgien: De fleste hælder til spanierne, franskmændene er overalt forhadte, hertugen af Oranien har mistet al autoritet, fordi han holder så meget af franskmændene; Diest har overgivet sig til hertugen af Parma (Alessandro Farnese) på de ved freden i Gent (1576) fastsatte betingelser; man mener, at flere byer vil følge dette eksempel. Der er rygter om kongen af Frankrigs (Henrik 3.s) død (han døde dog først året efter). - Apologien for Konkordiebogen er udkommet; som den første har Tilemann Hesshusen protesteret. Bremenserne har givet et foreløbigt svar til Jacob Andreæ, men stiller en udførlig gen-drivelse og en fremstilling af deres egen opfattelse i udsigt.

Johannes Benzius, Doctor Medicinæ, Johanni Pistorio suo.

Reverende vir, amice et popularis carissime, oblata hac oportunitate latoris facere non potui, quin te hisce meis salutarem literis et de quibusdam ad te scriberem. Fuit apud nos hic in urbe ex veteribus amicis tuis Joh. Holmannus post ferias paschales referens, quod ad te ex Belgio proficiscens scripsisset, ut ad ipsum hac excurreres, ut presens tuo colloquio frui posset. Ea litera quæ ad te non pervenerint, maxime dubitabat, propterea quod neque te, quem avidissime per dies multos expectabat, complecti licuisset, neque tuas literas excusatorias recepisset. Discedens igitur injunxit mihi, ut te de hoc suo desiderio atque voluntate oblata occasione certiores facerem, id quod mihi harum literarum initio faciendum ex officio putavi operæ pretium. Ipse XIII Aprilis conscensa hic navi ad Academiam Lugdunensem Batavorum rediit, ubi magna cum laude sacra linguæ professorem agit. Accedo ad aliud negotium, quo tibi aliquid oneris imponere cupio, sperans id tibi molestum non fore. Casei fiunt in tua vicinia præstantissimi, quos mihi postulanti quotannis vel alternis curare solebat Berta sororis filia Langmachia, quandiu apud vos habitabat. Postquam vero ipsa cum marito ad suos rediit, cogitavi de te sollicitando, si tantum mea causa tibi oneris aut molestiæ imponi patieris, ut unicum centenarium bonorum caseorum Hollandicorum meo nomine procurare et coëmere digneris atque harum latori tradere velis ad nos devehendum. Ipse lator Tete Luddens novit domum, in qua habitat Hollandus ille, a quo caseos mihi solita fuit coëmere Berta, qui mihi semper optimi sunt visi. De cetero, utrum ex verna mulctra optimi fiant, vel autumnali, id tuo judicio relinquo. Pretium ubi constiterit, per hunc eundem, qui sæpe ad vos negotiationis causa proficiscitur, cum gratiarum actione remittam. Si quid tibi vicissim vel officii, vel benevolentia præstare poterò, liberrime imperabis. De rebus novis pauca. Ex Norimberga scribitur Persam maximo conatu redintegrare bellum in Turcam, cui hic exercitum 200000 oppositurus dicitur duce Ferrat Bassa, cui tamen injunxerit, ne acie cum hoste confligat, verum exercitui, quantum potest, parcat et limites præsidii tueatur. Metuit enim sibi a potentia et fortuna Persæ. Legatus Cæsareus Constantinopoli rediit cum confirmatione pacis ad octennium proximum, cum tamen prior terminus indutiarum nondum sit elapsus. Ad Rhenum nova archiepiscopi Coloniensis electio collata est in Bavari fratrem, episcopum Frisingensem et Leodiensem, 22. Maji, quam metuo, ne hæc graves motus excitabit et, ut quidam vaticinantur, Rhenum sanguine tingat. Belgæ animi pendent, plurimi ad Hispanos autant. Galli undique invisi, et Auracicus ipse, quod nimis Gallorum amans, auctoritatem pene omnem et fidem perdidit. Guntherus Schwartzbergius Antwerpia diem obiit. Diestum, Auracici in Brabantia cupidum, condicionibus pacis Gandavensis sese Parmensi sponte dedit; id exemplum plures civitates secuturas autumant. De Regis Gallia obitu mussitatum est, sed incerto adhuc rumore. Apologiam libri Concordiæ editam esse intellexisse te uto. Huic se primus opposuit scripto (sed nondum edito) Tilemannus Heshusius, quod vidi, non tamen legi, necue enim amplius istis contentionibus cognoscendis selector, neque vacat. Bremenses prodromum ediderunt ad Jac. Andream comitia: refutationem integram et confirmationem sua sententiæ solidam ad omnes articulos controversos promittunt. Sunt et alia quedam, quorum nunc non memini, et ex catalogo nundinali peti possunt. Ego te cum tuis quam rectissime valere cupio, et si quid per me hic expedire voles, rescribe et manda. Hamburgo die Medardi anno 83.

Georg Crusius, (Kotzenbüll), 21. august 1583.

En pige fra Pistorius' sogn og en mand fra Crusius' sogn vil indgå ægteskab, som Crusius gør indsigelse imod: han beder om, at vielsen udsættes indtil videre. (Brevet er udateret, men da det er skrevet ti år dagen efter digebruddet, som var sket den 21. august 1573, er ovenstående dato givet.)

VI

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum, Redemptorem nostrum. Reverende et clarissime D. Pastor, fama spargitur præterita Dominica publice e suggestu denuntiatur fuisse Momme Jaspers, quæ est in Tuæ Dignitatis paroecia, et Petrum Hans (liceat vulgato more loqui), paroecianum meum, contracturos matrimonium, quod cur inhibeam, plurimæ sunt, eæque gravissimæ, causæ. Etenim stipulata manu testibus præsentibus meæ famulæ fidem sæpiuscule dedit se eam ducturum. Mutata autem mente, ut est levissimus, et a quovis vento velut Triton agitated famam eam famulæ mendax inussit, quæ elui non potest, neque patri familias et pastori est ferenda. Quis enim adeo cornea fibra esset suorumque æstimationis et famæ prodigus, ut traduci suos impune pateretur prostitutique corporis falso argui? Diras conceptis verbis certis omitto. Quare a Tua Dignitate peto, ut, qua est prudentia, solennis confirmatio conjugii suspendatur, dum rescripsero aut tecum locutus fuero. Jam jam vocor ad exequias pictori N. Flensburgensi, Catingæ mortuo, celebrandas, quæ causa est, quod pluribus rem hanc, ut vellem, agere nequeam. Festinanter eo die, quo ante decennium^x inundatio ruptis aggeribus Eyderostedia fecit^x damnum maximum. Hanc, Deus, a nobis dignare avertere pestem. Anno 83.

^{x-x} Sic!

249

Laurentius Addi, Leukologia (= Witzwort!), 23. august 1583.

Pistorius og hustru indbydes til Addis bryllup med enken Catharina Taddæa den 1. september.

V

Laurentius Addi Joh. Pistorio S.D.

Inter gravissima vitæ præcepta, quæ poëta Hesiodus in suo opere conscripsit novis maritis, et hoc consilium observatione dignissimum tradidit inquit:

ᾠραῖος δὲ γυναῖκα τὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
μήτε τριακόντων ἑτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων,
μήτ' ἐπιθεῖς μάλα πολλά. Γάμος δὲ τοι ᾠριος οὔτος.

Id est: Maturus autem uxorem tuam ad domum ducito,

neque triginta annis valde multum deficiens,

neque superans multum. Nuptiæ vero tibi tempestivæ hæ.

Quibus verbis monet plerosque viam præposteram ad matrimonium contrahendum ingressos inconsulte facere, nec satis pro ætatis ratione, qui præmature atque intempestive talem militiam aggrediuntur. Quotusquisque vero invenitur, qui non intra vigesimum annum mulieris notitiam habeat vitæque sociam sibi adsciscat, quam tamen olim Galli in turpissimis ducebant rebus. Idem testatur Thales, matri conjugium

suadenti ita respondens: οὐπω καιρός, adultior idem dixit: οὐκ ἔτι καιρός. Horum gravissimorum auctorum, Hesiodi, Cæsaris, Thaletis aliorumque auctoritatem secutus hactenus in calibatu vixi, jam vero annos actus Hesiodicos aliud vitæ genus exordium operæpretium duxi, ut poenas, quas prisca Romanæque leges adversus calibes constituunt, tempore effugiam sanctissimoque conjugio, quod ipse Christus honestavit, qui nuptiis una cum matre non solum interesse dignatus est, verum etiam nuptiale convivium miraculorum suorum primitiis consecravit, indulgeam vitamque Deo auspice feliciter in hac tanta conjunctione transigam. Ad hanc omnium honestissimam et jucundissimam societatem ineundam delegi mihi contribulem viduam Catharinam Taddæam, ἄπαιδα τὸ παράπαν ἔοντα ἄρσενος καὶ θήλειος γόνου, et constitui nuptiarum celebrandarum diem Dominicam XIV Trinitatis, quæ est 1. dies VIIbris. Ad eas igitur te, doctissime ac humanissime Domine Pastor et frater carissime, cum dulcissima tua conjuge perquam amanter invito et summopere rogo, ut dicto nuptiis die nobiscum nuptiales ferias celebres agere et exoptatissimo tuo adventu coetum nostrum non gravatim cohonestare digneris. Et hoc te facturum cum uxore plane confido, repromitto vicissim tibi meum studium operamque, quacunque in re tibi ea usui esse et ego præstare potero. Vale, et me tuum, ut soles, ama. Δευκολογία 23. Augusti anno MDXXCIII.

250

Paul von Eitzen d.E., Slesvig, 9.april 1584.

Følgeskrivelse til et vedlagt brev til sognepræsten i Tønning Theodor Grave, som Pistorius bedes fremsende til denne; brevet er skrevet med hertugens vidende og vilje. Pistorius anmodes om at vise en kopi til stalleren og opbevare kopien. Grave har ved udfald mod stalleren (Caspar Hoyer) fornærmet denne, som dog har tilgivet ham. Imidlertid har von Eitzen hørt, at Grave i sine prædikener, uden forud efter Kristi befaling at have formanet vedkommende, uden navns nævnelse afmaler visse folk på en sådan måde, at enhver genkender dem, og det skal han, efter hvad folk siger, også have gjort med stalleren. Dette er også kommet hertugen for øre, og denne påbyder alvorligt, at Grave herefter afstår fra sligt. Hertil føjer von Eitzen sine formaninger. - Grave har i sinde at opføre nogle små huse i sin have ved kirkegården, men det kan indtil videre ikke tillades.

VII

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio S.D.

Reverende Domine, frater carissime, cum tristitia audivi, quod M. Theodorus, pastor Tonningensis, tam imprudenter, ut nosti, investus est in Magnificum Dominum Præfectum, optime de provincia vestra et ecclesiis ac contionatoribus meritum et nostrum communem patronum. Itaque officii ratione motus scripsi ad eum, sciente et jubente Illustrissimo et clementissimo Principe et Domino nostro, inclusam epistolam, cujus exemplum tibi etiam mitto, ut illud Magnifico Domino Præfecto exhibeas, et ut vel apud ipsius Magnificentiam, vel apud te servetur, oro. Si molestum non esset, cuperem meam epistolam a te ad D. pastorem mitti aut, si Tonningam venies, in manus tradi. Dominus Jesus Christus te quam diutissime tuæ uxori et liberis atque non tuæ tantum, sed totius provinciæ ecclesiis servet incolumem. Bene vale. Ex Slesvico feria 5. post Judica anno 84.

✱

M. Theodoro Gravio, pastori Tonningensi.

D. per Christum. Venerabilis D. Pastor, frater carissime, officii ratione tibi a me significandum est, quod (sicut, cum hic esses, coram dixi) cum animi tristitia intellexi te Magnificum et clarissimum Dominum Praefectum, a quo tam multis beneficiis affectus es, offendisse, quam tamen offensionem suam Magnificentiam Christiane condonasse tibi lator, sicut mihi dixisti. Audivi autem te, fortassis ideo, quia nimium credis delatoribus clanculariis, solere interdum in contionibus quosdam non prius admonitos secundum praeceptum Christi ita in publicis contionibus per singulares notationes depingere, ut a quolibet agnosci possint. Et hoc etiam Magnifico et clarissimo Domino Praefecto nostro omniumque contionatorum et eruditorum patrono, sine praecedente admonitione, accidisse communi fama narratur, et sic etiam ad Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri aures pervenit. Quia ergo sua Celsitudo sapientissime et Christianissime percepit, quod inordinatae accusationes publicae, in quibus persona, etiamsi non nominantur, tamen singularibus et certis notis depinguntur, non fiant secundum regulam a Domino et Magistro nostro Jesu Christo praescriptam, Matth. 18, et quod inordinatae accusationes publicae contra Magistratus per singulares notationes directae soleant subditis esse occasiones contemptus, inobedientiae et seditionum, idcirco Illustrissima sua Celsitudo clementer mandavit per me tibi indicari suam Celsitudinem serio mandare, ut posthac affectibus non nimium indulgeas, susurronibus aures non praebes, neque tuum officium ad ipsorum voluntatem, sed ad mandatum et regulam Domini nostri Jesu Christi et ad apostolicas admonitiones (inter quas etiam illa est, ut contionatores admoneant populum, ut Magistratus pios honorent, ament, pro ipsis orent et ipsis obediant) accommodes. Ego quoque, mi frater, te etiam atque etiam moneo et oro, ut tibi in mentem revoces praecepta, admonitiones Domini nostri Jesu Christi et sanctorum Apostolorum de rationibus ministerii nostri et tibi a susurronibus et a propriae carnis et affectuum impetu caveas, et ut cum gratitudine agnoscas benevolentiam Magnifici Domini Praefecti tibi multis beneficiis declaratam, ad qua beneficia etiam hoc accidit, quod injuria affectus tamen Christiane maluit per patientiam ferre, quam de ea apud quencquam et praecipue apud Illustrissimum et clementissimum Principem et Dominum nostrum conqueri, ne tibi aliqua ratione noceret. Hanc benevolentiam grato animo agnoscere debes. Porro, carissime frater, intellexi te velle domunculas edificare in tuo horto ad coemeterium. Hoc ut omittas et omnia sic, ut nunc sunt, relinquant usque ad visitationem, moneo et jubeo, quia ea de re oportet fieri deliberationem cum Magnifico Domino Praefecto et simul etiam cum illis, quibus ea cura nomine totius parochiae est commissa. Bene vale in Christo cum uxore, liberis, familia et tota ecclesia. Ex Slesvico feria 5. post Judica anno 84.

251

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 28. april 1584.

Joachim Blauensteins hustru har fremsat ærerørige beskyldninger mod Pistorius' hustru, og sagen er glet til stilleren, som har pålagt hende hårde betingelser for forsoning, men nu har hun indtrængende bedt Horsten om at gå i forbøn for hende for at få disse betingelser mildnet. Man har, skønt nødigt, påtaget sig dette hverv og beder Pistorius afstå lidt fra sin ret og modtage den skyldige uden nogen nedværdigende ceremoni.

Bernhardus Horstenius Johanni Pistorio amico suo summo.

Gratia, pax et misericordia a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Accessit me, reverende humanissimeque D. Pastor, amice integerrime et compater plurimum dilecte, imo frater in Christo multis nominibus dilectissime, præterito die Sabbati uxor Joachimi Blawenstenii, quondam non parum tibi dilecti, et patheticis verbis, quamvis satis sero, suam sortem deplorans petiit, ut pro tua et mea amicitia pro ipsa intercederem, quo dura reconciliationis condicio a Magnifico nobilitate virtuteque eximio Domino Præfecto, communi nostro patrono, in-juncta tua benigna mitigatione leniatur, asserens plurima ad te delata prorsus a se non narrata, vel non ita saltem, ut delata sunt prolata. Hanc mitigationem se petere propter illum, qui omnibus miseris peccatoribus promeritam poenam clementer mitigat. Respondi ei talem reconciliationem locum habuisse antequam causa ad Magnificum et præclarum Dominum Præfectum deferretur; difficilius curari vulnus jam utrefactum; ægerrime a sententiæ Magnifici Domini Præfecti executione divelli te posse. Vicit tamen muliebris querela, præsertim cum Magnifici Domini Præfecti clementiam in mitigandis promeritis poenis, tuam autem humanitatem in recipiendis lapsis nullamque poenitentiam nimis seram, modo sit vera, considerarem. Hinc, mi reverende D. Compater, utut ægre, tamen intercessoris munus subivi ac subeo, primum obsecrans, ne Tua Humanitas me levitate quadam hoc facere existimet, vel in utramque partem inclinare. Quibus argumentis dulcissima ac castissima tua uxor suam pudicitiam semper declaravit, honestatem declaravit, non solum mihi, sed et pluribus aliis inhasitanter constat. Quid de adversa parte cum ego, tum alii homines, quibus nota est et recte de colore judicare sciunt, sentiamus, quid opus est narrare, cum id magis oleum camino addi videri posset? Atque ipsa in se causa, proh dolor, talis est, ut vel plane negari, vel saltem specie aliqua verisimili excusari nequeat. Unicum igitur remedium, quod in tali casu reis plerumque conceditur, restat, videlicet intercessio amicorum et deprecatio culpæ reæ. Intercessorem non tam ipsius reæ, quam plurimis rationibus mihi conjunctissimi D. fratris in Christo gratia, ago; ne vulnus incussum crudius reddatur, ad deprecandam culpam propter Christum, Filium Dei, ipsam hortatus sum et obsequentem reddidi. Cogita, mi D. Compater, quam labi sit humanum, lapsum in gratiam recipere Christianum, si pæniteat; perpende, precor, quam proclivis corrupta sit natura ad calumniandum, præsertim in sexu muliebri, contra quoque, quam pium calumniatorem, refutata calumnia, ad mentem revocare, revocato ac pænitenti benigne remittere. Et certe, ut peccans mendaciis ac calumnia omnibus piis digne ac suo merito abominabilis et poena dignus habetur, sic ab altera parte multa benigne dissimulans, injurioso vel parcens vel poenam meritam mitigans, cum summum jus nonnunquam vertatur in injuriam, cunctis sinceris hominibus est laudandus. Ethnicorum quorundam exempla non opus est allegare. Quid Dominus noster Christus Jesus suis Christianis præcipiat, supervacaneum esse eruditissimo ac Sacrarum Scripturarum callentissimo (absit verbo invidia) in memoriam revocare arbitror. Sed quid multa? Cum tuus vere pius et candidus animus mihi sit perspectissimus, reverende et carissime D. Compater, oro et obsecro, ut aliquantulum tuo jure decedas, veniæ gratiam pænitenti et tristi ne deneges, deprecantem absque infamiæ illius perpetuæ ceremonia (modo alias humili ac prostrato animo signa poenitentia exhibeat) recipias ac piorum hominum intercessionem majoris apud te quam reæ ultionem valere pro nostra fraterna caritate declares. Id quoque fieri posse

consensu Magnifici D. Præfecti, communis nostri et plurimum colendi patroni, omnino confido, cum Magnificentia ipsius clementia omnibus piis sit notissima, magis ad gratiam exhibendam, quam ad poenam infligendam proclivis. Si hæc mea aliorumque intercessio locum apud Tuam Humanitatem invenerit, spero et omnino confido tibi id laudi, lapsæ restitutioni, nobis gaudio, peccantibus exemplo, ut alterius lapsu sapere discant, futurum. Hæc intercessio ab absente amico ita suscipiatur, ut ex optime cupiente piis omnibus, præsertim candidis amicis, animo scripta est. De reliquis communis noster amicus D. Bernhardus Blawenstenius, cum ex itinere Husensi ad vos venerit, colloquetur. Deus optimus maximus te cum honestissima tua costa et liberis totaque familia gubernare et clementer conservare dignetur et nos in unitate fidei et caritatis vinculo illo, quo hactenus, porro contineat. Vale, mi D. compater. Datæ ad Divum Petrum die martis post Quasimodogeniti anno 84.

252

Paul von Eitzen, Slesvig, 30. april 1584.

von Eitzen sender Tilemann Hesshusens afhandling mod de i Quedlinburg (1583) forsamlede kurfyrstelige teologer, som han har fået fra landgrevens (Wilhelm 4. af Hessens) superintendent. Pistorius bedes vise den til stilleren, især den sidste del, hvori der siges, at man ikke helt har forstået Konkordiebogen, og at Den augsburgske Konfessionskirker er blevet vildledt.

IX

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Christum. Reverende Domine Pastor, carissime frater, gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, ac bene sum contentus, ut scriptum, de quo scribis, serves ad meum adventum, Deo volente. Mitto tibi nunc Heshusii disputationem habitam contra electorales theologos in colloquio Quedlenburgensi. Videbis revocationem subscriptionis. Superintendens Lantgravii misit has pagellas ad me et queritur, quod propter festinationem cursoris non potuit integre describi. Scribit, quod a theologis clam servetur, et quod tandem a bono viro acceperint. Rogo, ut Magnifico Domino Præfecto monstres, et præcipue postremam partem, in qua ponitur confessio, quod Librum Concordiæ non intellexerint plene, et quod ecclesiæ Augustanæ Confessionis sint deceptæ, nec ab auctoribus libri candide actum sit. Dominus Jesus te et uxorem ac liberos cum tota ecclesia custodiat et servet. Amen. Saluta, quæso, Magnificum Dominum Præfectum, ubi ad ipsius Magnificentiam veneris. Cum occurret homo fidus, rogo ut has pagellas remittas. Ex Slesvico feria 5. post Quasimodogeniti anno 84.

253

Peter Aurifaber, Garding, 6. juni 1584.

Indbydelse til Pistorius med familie til Aurifabers bryllup i andet ægteskab med Elisabeth, enke efter sognepræst Peter Mømsen i Tønning, l. søndag efter Trinitatis, 21. juni, og samtidig til datteren Annas bryllup med Peter Hatke.

X

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Quod felix faustumque sit. Reverende, doctissime atque ornatissime Domine Pastor, secundas, secundante Deo, nuptias celebraturus sum

cum piissima et honestissima vidua Elisabetha, relicta reverendi viri
 nie memorie D. M. Petri Momsenii, defuncti pastoris Tønningensis,
 femina omnium matronalium virtutum laude præstante, quam singulari
 providentia et munere Dei, bonorum virorum iudicio, consilio et hor-
 tatu, post carissimæ et piissimæ conjugis meæ non tam obitum, quam
 ad superos et coelites abitum, destinatam et post unicæ filiæ meæ
 elocationem in familiæ gubernationem et senectutis columen attributam
 multis haud obscuris documentis persuasus sum. Quum vero antiqua pia
 et laudabili consuetudine omnium non barbararum gentium receptum sit
 in lætum et auspicatum conjugii auspiciis eruditos pios et honestos
 viros necnon matronas pias et pudicas virgines ad solennis nuptialis
 convivii epulas invitare, ut illorum precibus et votis conjugalis
 vitæ societas doceretur et promoveatur, idcirco Tuam Præstantiam
 studiose et amanter oro, ut suum erga me meamque sponsam carissimam
 amorem et benevolentiam declarare et testatum facere velit primo
 nuptiarum die, et aliquot sequentibus, Dominica nimirum proxima a
 festo Trinitatis, quæ incidit in 21. diem Junii, quo tempore et filiæ
 meæ dilectæ Annæ nuptiæ una celebrabuntur, quam bonorum virorum suasu
 despondi adolescenti honesto et pio Petro Hatken, qui et suo nomine
 Tuam Præstantiam a me studiose invitari petiit. Quam ob rem etiam
 atque etiam cum meo et dilectissimæ sponsæ meæ, tum et filiæ et
 generi futuri nomine Tuam Præstantiam oro, ne gravetur cum carissima
 conjugæ et suavissimis liberis nos hoc jucundissimo et amoenissimo
 tempore invisere et una cum reliquis doctis, præstantibus et gene-
 rosis viris, quæ exhilarandis amicis et hospitibus divino munere
 tributa fuerint, boni consulere velit. Erit hoc nobis inprimis
 gratum, et in omnem declarandæ vicissim benevolentiæ et gratitudinis
 occasionem intenti erimus. Deus optimus maximus Tuam Præstantiam cum
 carissima conjugæ et liberis ac domesticis diutissime servet incolu-
 mes. Datæ Gardingæ in profesto Pentecostes anni Christi 1584.

254

Caspar Hoyer, Tønning, 11. juli 1584.

Pistorius bedes komme til Tønning, hvor Paul von Eitzen lige er an-
 kommet, 'i morgen tidlig kl. 7'. Hans hustru skal denne gang aflægge
 sin skildpaddenatur og komme med. - Tak for rodpersille m.m.

XI

Casparus Hoyer Johanni Pistorio, fratri ac Compatri* carissimo, S.D.

Dilectissime D. Compater,* hoc temporis momento advenit huc noster
 Doctor Paulus ab Eitzen, qui statim post mutuam factam salutationem
 de te est percunctatus, utrum adesses, vel an cras mane ad nos esses
 venturus; sincerum erga te amorem in ipso primo nostro congressu vix
 celare potuit. Te itaque rogo quam amicissime, ut, quod facturum te
 confido, cras summo mane cum uxore ad nos voles, ne nos amici tui
 causæ aliquid habeamus te reprehendendi. Habiturus enim est et tardior
 adventus tuus multum reprehensionis, quam ut vites cura, et circa
 septimam nobis præsto sis. Erit hoc D. D. Paulo et mihi tam gratum quam
 quod gratissimum. Ago tibi gratias pro radicibus petrosilini et aliis;
 munus pro tempore valde gratum. Nolo, ut hoc tempore uxor tua testu-
 dinis naturam retineat, sed prorsus exuat et ad nos veniat. Spondeo
 enim meo damno (si secus factum fuerit) domum et totam supellectilem
 illi salvam fore. Vale, mi frater. Raptim Tønningæ 11. Julii anno 84.

* Dette er dog vist en skrivefejl og skulde være compatriote og com-
 patriota; brevskriveren er nok stalleren, ikke en præst.

Johannes Danckwert, Lüneburg, 31.oktober 1584.

Efter nogle personlige bemærkninger udtrykker J. D. sin glæde over, at Pistorius ved påsketid vil komme til Lüneburg med sin eneste søn, som skal besøge skolen der. Han vil sørge for logis til sønnen og eventuelt give ham husly, til han finder noget bedre. Der er begyndende nest nogle steder.

XII

Johannes Danckwerts Johanni Pistorio.

Salus per illum, qui est salus et vita nostra. Reverende, doctissime atque humanissime amice, præceptor et frater dilecte, excusationem tuam, qua usus es ad excusandam interpositam moram scribendi, libenter admitto, quandoquidem tu mihi fide dignus testis eorum omnium, que in medium adduxisti, eaque ex aliorum relatu satis superque antea cognoverim. Nihil etiam unquam de te suspicatus sum, quod vel tuus erga me sit immutatus animus, vel minus benevole et honorifice, vel aliter quam antea de me sentias, sed cum tanti temporis moram semper admiratus sim, cogitavi (ut verum fatear) te hanc vitam reliquisse et ad superiores migrasse, quandoquidem sæpius ad te scripserim et nullum responsum tulerim. Sit autem Deo optimo maximo laus in æterna secula, quod te sua ineffabili bonitate et misericordia in tanto periculo ecclesiæ suæ tuisque incolumem servavit, eundemque summis gemitibus flagitare non desino, ut te deinceps ad nominis sui gloriam atque tuorum commodum quam diutissime superstitem conservet. Quod ad filium tuum attinet, quem jam primum disco te habere unicum (sicut et mihi Dei beneficio est filius unicus 15 annorum) eundemque literis addictum et nostram scholam frequentaturum teque ejus rei gratia una cum eo circa proximum pascha ad nos venturum esse ex animo lætor et propositum vestrum laudo. Faxit Deus, ut hæc omnia bono omine fiant. De hospitio te sollicitum esse nolo; de eo ego videro; si commodius nancisci non poterit, apud me, si vobis placuerit, habebit, donec ipsi de commodiore prospectum fuerit. Habebitis me semper ad curvis honesta officia promptissimum, faciamque, ut uterque intelligat me multum tibi et debere et tribuere. Illud tamen ad calcem harum literarum adjiciendum et referendum censeo, quod in hoc autumno etiam hic apud nos initia pestis sese in diversis locis ostenderint et nonnullos etiam sustulerint. Quid autem ad proximam æstatem de nobis sit futurum, novit Deus, quem rogamus, ut hoc contagium a nostris finibus clementer propellat, ne serpat longius. Tuum autem erit circa Quadragesimam iterum ad me scribere, ut tunc de omnibus plenius ad te scribam. His te cum omnibus tuis benedictioni et protectioni divinæ commendo. Lunæburgi pridie Omnium Sanctorum anno 84.

Christian Boëtius, dr. jur. og landfoged
i hertug Adolfs del af Ditmarsken, Heide, 28.november 1584.

Pistorius har bedt om at få Heshusens afhandling mod Flacio-Brentianerne tilbage. Boëtius beklager, at han ikke kan sende den med det samme, da han har sendt den til Jacob Berndes i Wesselburen og ikke kan få den så hurtigt, men han lover at sende den i løbet af otte dage.

Christianus Boëtius, Juris utriusque Doctor et Præfectus Dithmaria
in ea parte, quæ est Ducis Adolphi, Johanni Pistorio S.D.

Reverende Domine Pastor, tuas ad me datas accepi literas, in quibus Tua Reverentia a me expetit, ut pagellas illas disputationis contra Flaciobrentianos D. D. Heshusii ad te remittere non graver, idque merito mihi faciendum esset, sed est aliquid, quod obstat, quominus hoc tempore id fieri possit. Misi enim nominatas pagellas ad reverendum virum ac Dominum Jacobum Berndes, ecclesiasten Wesselenburanum, a quo eas tam celeriter recipere non potui. Tuam igitur Reverentiam oratam velim, ne hoc mihi in pejorem interpretetur partem, sed in meliorem accipiat. Promitto autem me intra octiduum has ad Tuam Reverentiam mitti effecturum, de quo nihil est, quod Tua Reverentia dubitet, sed omnino hoc sibi persuasum habeat, velim. Quod superest, Tuam Reverentiam Deo optimo maximo commendo, et me ad omnia officiorum genera paratum promptumque habebit. Data Heidæ in Dithmaria 28. Novembris anno 84.

257

Caspar Hoyer, Tönning, 1. maj 1585.

Erkebiskop Henrik af Bremen er død efter et fald med hesten, og da der nu er en mulighed for en af de gottorpske prinser til at få ærkebispedømmet, har hertugen (Adolf) skyndsomst beordret Hoyer og Josias von Qualen til Bremen for at forhandle om denne sag. Pistorius bedes forsigtigt nævne dette anliggende i sine prædikener og bønner og formane folk til at bede for en sag, hvis lykkelige udgang vil være til gavn for staten. (Johann Adolf fik embedet, 1585-96.)

XIIII

Casparus Hoyer Joh. Pistorio, amico et fratri suo.

Reverende D. Pastor, amice et frater dilectissime, nolo te celare archiepiscopum Bremensem Henricum ante dies plus minus 10 misere periisse, siquidem die Palmarum equo lapsus post phrenesi correptus tandem expiravit, Cum autem hoc tam tristi casu Principi nostro uni ex suæ Celsitudinis filiis bene prospiciendi occasio non negligenda oblata sit, quam omittere superæ esset neglegentiæ et socordiæ, Illustrissimus Princeps Josiam ab Qualen et me ejus negotii causa Bremam quam ocissime ablegavit, cui itineri jam jam accinctus sum. Cum vero in rebus humanis nihil recte fiat, quod non implorato divino auxilio auspicietur, te rogo, ut in publicis contionibus et precationibus pro tua in Principem pietate hujus tam ardui negotii tecte rationem habere velis. Meo judicio satis esset, si precari admoneatur populus pro negotio, cujus felix successus Republicæ nostræ plurimum esset profuturus. Cetera tuo judicio et pietati relinquo. Vale, et pro me et meis laboribus Dominum felicis successus ergo deprecator. Tönningæ 1. Maji anno 85.

258

Johannes Danckwert, Lüneburg, 16. oktober 1585.

Danckwert har været syg og døden nær; han har endnu ikke overvundet følgerne, men håber at blive helt rask. - Tak for smør og ost, ligeledes for en okse, som Pistorius har købt for ham og sendt ham. Til gengæld har Danckwerts hustru købt hør (eller lærred) til ham. -

Pistorius' søn er endnu i Danckwerts hjem og bliver der vinteren over; Danckwert håber, at Pistorius ikke vil betale for kosten. - Om (kryptocalvinisten) Peucer er der den dybeste tavshed. (Han havde siden 1576 siddet fængslet og blev ikke løsladt før i februar 1586.) Kurfyrstinde Anna siges at være død (hun døde 1. oktober 1585) og kurfyrst August at være meget alvorligt syg (han døde 12. februar 1586).

XV

Johannes Danckwerts Joh. Pistorio.

Salutem in Christo Salvatore. Quod adhuc, vir reverende, cum conjugē dilectissima et liberis suavissimis recte vales, est quod vobiscum ex animo lætemur Deoque debitas gratias agamus. Ego vero ante aliquot septimanas in veterem morbum, quem sopitum esse putaveram, recidi tam periculose, ut cum morte ipsa aliquandiu conflictatus sim. Re vero desperata et (ut dici solet) in acumine ferri constituta, præter omnem, etiam mei ipsius et medici, expectationem Deus optimus maximus pro sua ineffabili misericordia, sine dubio multorum piorum precibus et meorum lacrimis atque suspiriis motus, morbum, natura victrice, pedetentim clementer et mirabiliter depulit atque fugavit, pro quo beneficio summo ipsius Majestati sit gloria, laus et honor in omnem æternitatem. Amen. Etsi autem adhuc non plane sim restitutus, sed reliquias morbi adhuc circumferam, tamen spero me, Deo volente et dante, propediem integram et quidem firmam valetudinem recuperaturum. Quandoquidem vero et tu, mi pater et frater, cum ecclesia tua privata et publica vota et suspiria tua sine dubio pro mea incolunitate et salute ad Deum fuderis, maximopere tibi gratias ago, semper tibi et tuis idem beneficium impensurus. Deinde tibi etiam gratias ago et habeo quam maximas pro butyro transmissio, et maxime pro 8. parte tonna, et caseis dono datis, quæ omnia tam facile non accepissem (cum nulla mea erga vos extent merita), nisi tuam offensionem veritus fuisset. Faciam tamen suo tempore, ut pietas tua cognoscat hoc beneficium in memorem et gratum collatum fuisse. Rem quoque nobis longe gratissimam fecisti in emendo et transmittendo bove, qui bona fide integer et illæsus nobis est traditus. Residuum pretii tabellario in præsentia tradidi, ut ex inclusa schedula apparebit. Mea uxor vicissim vobis tolerabili pretio emit linum, quod quidem aliquanto est nigrius, sed bonitate tamen sua non caret. Nigredinem illam contraxit ex copia pluviarum, quæ hac æstate apud nos plus justo terram inebriarunt. Si ea in re vobis gratum fecimus, est quod gaudeamus. Filius tuus adhuc apud me commoratur et manet, sui similis diligenter urgens studia; decumbens in aliud hospitium ipsum promovere non potui; manebit apud me per hanc hiemem, quia maxime id ipsius studiis profuturum. Spero, nihil mihi pro victu numeraturus. De D. Peucero hic altum est silentium; qua ille fortuna utatur, me latet. Spargitur hic Electorissimam esse mortuam et ipsum etiam Electorem Augustum periculose decumbere. Ego vero utrumque pro certo affirmare nolo. His te Deo optimo maximo cum conjugē dilecta et liberis dulcissimis commendo. Pleniores dedissem literas, nisi tabellarius me sua importuna festinatione molestus fuisset. Conjugem et liberos ex me et uxore salutari peto. Datæ Lunæburgi ipso die Sancti Galli anno 1585.

259

Johannes Danckwert, Lüneburg, 25. marts 1586.

Danckwert har det bedre, men er stadig svag. Han har derfor ikke kunnet tage sig af Pistorius' søn, som han gerne vilde og skulde;

rektor vil gøre sit. Han glæder sig over, at Pistorius er tilfreds med hørret (lærredet).

XVI

Johannes Danckwerts Johanni Pistorio.

Salutem in Christo Salvatore. Etsi ex longo intervallo, diuturna impediēte invaletudine, nihil aut parum literarum ad te dederim, præceptor et amice colende, tamen me non plane tui memoriam deposuisse scias. Nam ut tu procul dubio de mea sæpe, ita ego vicissim quotidie de tua valetudine et incolumitate sollicitus fui, quam ut tibi Altissimus pro sua immensa bonitate conservet, mihi vero restituat, stabiliet et confirmet per et propter Jesum Christum, ipsius Majestatem precibus meis sollicitare non desino. Quantum ad me attinet, nondum plane evasi ex his pedicis, licet melius habere coeperim, et propterea hactenus etiam filium tuum, prout volui ac debui atque condicio ejus requirit, juvare non potui; recuperata vero sanitate, Deo volente, omnem navabo operam, ut tibi et ipsi atque mihi etiam, quantum fieri potest, satisfiat. D. Rector etiam multis verbis de sua opera promisit. Linum ad vos serius pervenisse ægerrime tuli, quamvis hoc non mea aut fratris culpa, sed Wakebuschii negligentia sit commissum; ægritudini tamen illi medicinam sive medelam attulit, quod scribis illud vobis maxime placuisse. Si ulterius in tali aut simili negotio vobis fidem et obsequium nostrum probare poterimus, nulla in nobis erit mora. His paucis, vir venerande, cum conjuge honesta et dulcissimis liberis vale. Lunæburgi ipso die Annuntiationis Mariæ anno 86.

260

Magister Jacob Fabricius, Tønder, 7. november 1586.

Fabricius har fået tilbud om et embede i skolen (rektorat, Husum?, se nr. 268), som glæder ham meget. Det er noget, han altid har haft lyst til; han mener også at have visse evner i den retning, men har alligevel sine betænkeligheder og har tøvet med svaret. Dels har han også haft begyndervanskeligheder, bl.a. med det danske sprog, som er ham noget uvant, dels kunde sagen trække i langdrag på grund af hertug Adolfs død (1. oktober). Imidlertid ønsker han oplysning om forskellige ting angående skolen. Er dens fornyelse sikker? Har hertugens død ændret planerne? På trods af sin store interesse for skolevæsenet henstiller han til ledelsen at overveje, om den, bl. a. i betragtning af hans unge alder, anser ham for den rette mand. Han må også selv have tid til overvejelse og henstiller derfor, at man ser sig om efter en bedre egnet mand, eller, hvis man holder fast ved sin plan, at give ham henstand. Han kan ikke bryde det løfte, han har givet sin hjemby, og løbe fra embedet efter mindre end et år. Hvis han skal have stillingen, ønsker han at få sagen udsat halvandet år eller mindst et år. Ikke desto mindre vil han gerne have besked om forskellige ting: løn, planer m. h. t. skolens rekonstruktion, bolig, da han tænker på at gifte sig, lærerstab, konrektors og kantors løn; hvis der skal ansættes nye mænd, kender han et par, som er velegnede.

J. Jacobus Fabricius Tunderensis Johanni Pistorio.

Salutem a Filio Dei, ἑξάρχῳ καὶ βραβευτῆς ecclesie sue unico. Reverende ac doctissime vir, amice colende et de me plurimum merite, cum post-
 idie Matthæi Apostoli et Evangelistæ Tuæ Dignitati Husim valedicens
 tertio post die in patriam rediissem, vix dies intercesserunt 12,
 cum præsens ad me veniret operarius seu tabellarius literas cognati
 mei dilecti Tuæ Dignitatis nomine ad me scriptas perferens, quæ
 cum ipso statim intuitu gratissimæ mihi essent, ubi aperui, ubi
 legi, ubi attentius consideravi, vix dicam, quantum gaudii ac
 voluntatis cumulum mihi attulerint. Vocationem quidem peramplam ac
 provinciam, etsi difficilē, meis tamen studiis non inimicam,
 mihi offerri et quodammodo divinitus (neque enim humanitus tantum
 factum existimare unquam potui) mihi imponi volupe erat. Majus tamen
 illud erat, quod intelligerem studiola qualiacunque tempore non ita
 multo nec profectu neque adeo insigni diligentia, tamen aliqua
 culta, non probari tantum a viris doctis et theologis de ecclesia
 Christi bene meritis, sed et digna judicari, quæ commendatione aliqua
 etiam apud viros magnos innotescant ac ad res majores generique
 hominum salutare provehantur. Hoc, inquam, illud erat, quod literis
 allatis animum meum singulari lætitia affectit. Ego sane, qui ut
 doctrina cuilibet, ingenio plerisque, ita φιλομαθεῖα et ad studia
 humanitatis excolenda ac propaganda desiderio perpaucis (dixerim
 fere nemini) cedo, istoc semper fui animo, ut hunc laborum meorum
 terminum perpetuo propositum mihi esse debere consuerim, quo Deo
 placerent, viris doctis, iisque bonis, commendarentur et aliis ex usu
 essent. Contigit prius, de quo neutiquam dubitavi, contigit et nunc
 alterum, quod vix sperare præsumpsi, contingere etiam mihi tertium
 posse ex prioribus duobus spem coepi non exiguam. Respondissem autem
 statim, ac quæ mea esset de instituto vestro sententia et voluntas,
 vobis, uti par erat, significassem, nisi multa, quæ ad hunc usque
 diem me detinuerunt, incidissent. Nam ut non dicam de nonnullis in
 ingressu meæ functionis difficultatibus ac occupatiunculis, quæ mihi
 ad Danicum maxime idioma, quo docendum mihi omnino est, minus assue-
 facto objiciebantur, ejusmodi insuper æris erat status, ut præ nimia
 viarum lubricitate ac cænosa profunditate obstante nemo nostrum ad
 vos pervenire potuerit. Inprimis autem tristissimum illud luctuosis-
 simum ac omnibus modis deplorandum nuntium de obitu Illustrissimi
 Principis et Domini nostri clementissimi, patris patriæ verissimi,
 moram nonnullam injecit. Nam præterquam quod ejus ex hac vita migratio
 omnes pios et cordatos, harum præsertim terrarum incolas, qui de præ-
 sentium temporum statu et ecclesiæ periculis aliqua ex parte cogitant,
 merito plurimum perturbat, cogitavi quoque præsens negotium ea de
 causa protrahi posse. Quia vero nunc optata coeli serenitate hac
 libentius se iter suscepturum tabellarius significabat, misi eum ad
 Tuam Dignitatem tum, ut quo loco nunc res esset scirem, ac vos, quid
 de me vobis promitteretis, haberetis, ac porro nonnulla de hoc nego-
 tio percontarer. Primum igitur ex vobis scire percipio, an de scholæ
 illius instauratione res adhuc sit certa, an vero præsens luctus
 propositum eorum, penes quos gubernatio harum rerum residet, immuta-
 verit. Cogito enim consilia ejusmodi non ita difficulter interveni-
 entibus causis aliis gravissimis aut mutari, aut suspendi, vel saltem
 nondum certo constare, quid hac de re statutum sit aut in posterum
 etiam statui debeat; de eo itaque principio me erudiatis. Ut vero
 quicquid conclusum decretumve sit vel nunc vel in posterum de mea

vobis voluntate, certa tamen ratio constet, non dissimulo, me ab eo tempore, quo aliquid de studiis judicare coepi, singulari amore studia scholastica ac juventutis informationem complexum, ut, quod de Ericharmo dicitur, pueris utilia dicerem, ita ut a mole oblata animus non abhorreat. Desiderat autem istud munus, ut ipsi rectissime intelligitis, Atlantem ejusmodi, qui non saltem doctrina aliqua, sed et prudentia propemodum singulari, quæ, si usquam alibi, in pueritiæ certe informatione perquam est necessaria, sit instructissimus. Res hoc ipsa loquitur. Talem vero an me agnoscere possitis, paulo pressius, quæso, considerate. Quid enim doctrina, quid prudentiæ ad rem profecto tantam desiderandæ in juvene non ita multorum annorum, quid experientiæ de casibus humanis judicium facienti? Ego quod res est dico, et me his subsidiis prorsus destitui; non eo inficias, nisi forte id mihi respondere velitis vestra vos prudentia defectum illum completuros ac in auspicio præsertim tanti muneris vestris consiliis omnia directuros, quod omnino, si mihi esset ejusmodi res committenda, foret necessarium, nec minus temporis quoque intervallum prolixum ejus considerationi impendendum mihi tamen esset. Quare primum ut de commodiore aliquo et ad rem tantam magis idoneo solliciti sitis, oro, aut si in vestra persistitis sententia, moram aliquam vobis injici patiâmini. Promissionem enim patris factam mutare non potero, hoc insum vero officium, quod subii, annuo sætatio ad minimum nondum elapso deserere videtis quam mihi non tantum non honorificum, sed ne honestum quidem esset futurum. Taceo jam Senatam, qui nonnullis etiam sumptibus me vocavit, causam habituram, ut non dimitteret, nisi putetis Principis voluntatem facile apud eum hoc obtenturam. Quodsi itaque mea opera hac in parte uti vobis certum est, vellem sesquiannum aut ad minimum annum rem protrahi. Interim multa fient, ut ait ille. Hæc de mea voluntate. Restant vero alia nonnulla consideranda, de quibus prius certiore me esse oporteret. De stipendio, etsi cognatus ejus meminerit, diserte aliquid cuperem scire, non tam, quod ego de literis cognati dubitem, quam ut, quod nostis, si res postularet monstrarem, ad manum esset. Scholæ etiam ratio mihi esset aperienda, totane retinenda esset, an vero quædam, ut videtur, mutanda. Consultius enim esset consueta retineri, nisi vitiosa essent. An vero prorsus novam ejus velletis esse faciem, et quæ vos porro hic consideratis plura ac meliora. De habitatione item, qualis illa sit, et an maritum etiam feret eique congruat. Intellego enim me sine studiorum, valetudinis et conscientiæ jactura extra conjugium ad exiguum tempus vivere posse, quam ad rem vestro quoque consilio mihi tum opus esset. De collegis item, quot sint futuri, an pristini aliquot retinendi, quos ego nec nomine tenus novi, nec quid de illis mihi polliceri debeam, scio. Quodsi vero novi assumendi, si de stipendio correctoris et cantoris constaret, non essent mihi ignoti, qui ad rem eam idonei ac meæ conversationi commodi essent. Plura essent, quæ scire cuperem, sed spero vos de pluribus insuper me admonituros. Postea restaret, ut suo tempore disertum ac quod ajunt categoricum responsum vobis darem. Hæc autem prorsus cursorie exaravi, ne me vel vestrum in me favorem vilipendere vel rem tantam oblatam negligere velle putetis. Librum, de quo inter nos sumus locuti, mitto, quo ad satietatem Tuam Dignitas utetur. Deum optimum maximum ex animo oro, ut animos nostros utrimque sic regat, ut nihil fiat, nisi quod ad divini nominis gloriam, nostram cultorumque aliorum salutem cedere possit. Idem quoque Tuam Dignitatem cum collega totaque familia ab omni incommodo animæ et corporis elementer defendat. Virum venerandum D. Johannem Hamerum, amicum

meum colendum, plurimum meo nomine salvare jubebis. Vos quo in me estis animo, esse nunquam desinite. Vale. Tunderæ 7. Novembris anno 86.

261

Magister Jacob Fabricius, Tønder, 20. februar 1587.

Tak for svar på det foregående brev. Fabricius lægger hele sagen i Guds hånd. Han kunde få præsteembede i en naboby og venter ubekymret på tilkendegivelse af Guds vilje. Det er kirkens vel, det kommer an på, hvad der så end sker med arbejderne i Herrens vingård. - I en efterskrift udtrykker han ønsket om at blive gjort bekendt med amtmanden (stalleren Caspar Hoyer); hvis Pistorius synes om det, vil han sende ham noget, han har fået trykt.

XVIII

M. Jacobus Fabricius Johanni Pistorio.

Salutem per Immanuellem ac $\lambda\upsilon\tau\rho\omega\tau\eta\nu$ nostrum unicum. Vehementer dolui, venerande D. Johannes, amice colende, quod cum diebus superioribus ad vos iret tabellarius, sine meis literis ad Tuam Dignitatem eum discedere necessario passus sim, Non tamen negligentia aut culpa aliqua mea factum id esse spero tabellarium exposuisse. Interim quod ad priores meas respondere Dignitas Tua humanissime et amicissime voluerit, amanter et reverenter gratiam habeo. Totam causam, de qua inter nos actum est, Deo sapienti soli et prudentissimo, rerum omnium moderatori, ex animo semper committo, nec dubito eum pro salute ecclesiarum ac scholarum suarum multo magis vigilare et laborare, quam vel nos cogitare vel cupere possumus. Cum enim is idem sit, ad cujus gloriam omnia referenda sunt, cumque is pro misericordie sue divitiis sic huic, aliter ac sic alteri talentum distribuat, quid est, cur ambigamus eum his quoque usurum pro suo arbitrio? Neque ego persuaderi possum, ne credam non omnia quam potest cogitari optime ab ipso disponi, sic ne melius, prudentius, rectius fieri quicquam possit. Quod si ita est, nihil fiet, quin ipse fieri velit, nihil fiet, nisi quod omnium sit optimum, nihil denique non fiet, quod fieri ipse decreverit. Spartam igitur nactam ornemus Deo eventum commendantes. Possem in vicina urbe ad docendi in ecclesia ministerium etiam promoveri, an vero et quid Deus velit, ipse non admodum sollicitate expecto. In spe et silentio fortitudo fidelium. Hoc unicum in votis habeo ac pro eo Deum dies noctesque presso gemitu precor, ut defendat has regiones ab omni inquinamento falsarum aut dubiarum opinionum, quæ si prius radices agant, non sine difficultate pæne inexplicabili evelluntur. Salus ecclesie constet, de nobis quid agatur, non laborandum. Simus tantum laboratores in vinea Domini fideles, ac quidem certi nos ad id vocatos et nostros etiam qualescunque labores Deo placere. Quid est, quod ulterius desiderandum censeamus? Deum, Patrem coelestem, ut reverendam Tuam Dignitatem cum conjuge, liberis ac tota familia ad laudem gloriosissimi sui nominis ac ecclesie ædificationem diutissime velit (velle autem ejus est facere) [servare] incolumem, oro. Tunderæ 20. Februarii anno 1587.

Omnino cuperem, si fieri posset, Præfecto vestræ provinciæ, viro amplissimo ac omnium virtutum nomine laudatissimo, aliqua saltem ex parte innotescere, maxime quia parentem meum ipsi non prorsus ignotum fuisse confido. Si itaque Tuæ Dignitati ita videretur, vel orationunculam vel tale aliquid scriptionum genere typis vulgatum ipsius

amplitudini inscriberem. Totum autem hoc meum consilium Tuæ Dignitati subjicio, nihil facturum, nisi quod commodum ipsi videatur. Vale.

262

Peter Aurifaber, Garding, 12.april 1587.

Brevbærerer en betrængt præst, Johannes Zersen, som Pistorius bedes fæ sine sognebørn til at yde nogen hjælp af offentlige midler.

XXV

Petrus Aurifaber Johanni Pistorio S.D.

Reverende, doctissime atque ornatissime D. Pastor, amice et frater in Christo observande, præsens grammatophorus Johannes Zersenius, cujus major est calamitas, quam brevi oratione explicari possit, a reverendo viro D. Magistro Georgio Crusio mihi commendatus, studiose a me petiit, ut pro se ad Tuam Dignitatem intercederem uno atque altero verbo, quo pia tantæ calamitatis miseratione ad Tuæ Dignitatis exhortationem parochiani moti nonnihil subsidii miserrimo et afflictissimo verbi divini ministro ob præstantium aliquot virorum testimonia, et in his M. Johannis Vorstii, ex ærario publico conferre non graventur, id quod ipsi denegare haud potui. Oro itaque studiose et amanter, ut Tua Dignitas pro singulari in calamitosos affectu procurare dignetur, ut aliquem fructum percipiat Christianæ misericordiæ et caritatis in tanta calamitate et egestate. Hanc pietatem Deus optimus maximus sua benedictione affatim compensabit, cujus tutelæ Tuam Dignitatem cum carissima conjuge, liberis et domesticis etiam atque etiam commendo. Gardingæ die Mercurii post Palmarum anno 87.

263

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 12.april 1587.

Kuslige bekymringer. Større bekymring volder hertug Friedrich (2.s) alvorlige sygdom; Pistorius opfordres til at bede for hans helbredelse og til at formane sine nabopræster til at gøre det samme.

XXVI

Paulus ab Eitzen Senior Johanni Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine et frater carissime, Inveni domi sollicitudines et dolores, quos ut mitiget Dominus oro. Et tamen majorem dolorem animi percepi ex Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri Domini Friderici infirmitate. Laborat enim febris et multum sanguinis expuit. Dominus Jesus sanet ipsius Celsitudinem et quam diutissime sanam et incolumem servet neque nos nova cruce et calamitate oneret. Hæc ad te, mi frater, scribo, ut tuas preces effundas pro sanitate Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri, et ut in publicis precibus suæ Celsitudinis valetudinem et longam vitam Deo commendes, et Deum invocari et fideliter orari admoneas. Poteris etiam vicinos pastores de eadem re commonefacere, ut fideliter orent et ad orationem ecclesias suas exhortentur. Bene vale in Christo Jesu. Ex Slesvico feria 4. post Palmarum anno 87.

Magister Jacob Fabricius, Tønder, 19. april 1587.

Rostock-teologernes svar på en Perleberg-students skrift om Herrens nadver. Formodning om, hvorfor der blandt de selvsikre Wittenbergere er så stor opstandelse: Kurfyrsten af Sachsen (Christian I.) er smittet af calvinismen. - En påmindelse om Mollers Psalterium.

XXVII

M. Jacobus Fabricius Joh. Pistorio.

Salutem a Filio Dei, triumphatore mortis, Diaboli et Inferni et nos hac sua victoria beante. Non occurrebat, reverende D. Pastor, amice sincere, quod magnopere scriptione dignum judicarem; quia tamen copia tabellarii dabatur, non potui eum sine meis ad te literis dimittere. Responderunt theologi Rostochienses ad chartas studiosi Perlebergensis continentes colloquium de Coena Domini. Titulus apologiæ Rostochiensium hic est: Declaratio vanitatis et mendaciorum libelli famosi, commenticium colloquium inter theologos academiæ Rostochiensis ac studiosum quendam, exponentis de controversia Coenæ Dominicæ, edita ab his, qui actionibus interfuerunt. Nullum autem mihi dubium est vos illud scriptum jam habere. Unum exemplum ad me pervenit, quod Domino Superintendenti data prima occasione mittam, quia id a me flagitabat, etsi jam eum vidisse suspicer. De suspicionis nostræ veritate, qua fretos re Witebergenses sic tumultuari cogitavimus, sic quidam ex professoribus Rostochiensibus nuperrime ad me scripsit: Electorem Saxonie quoque Calvinismo maxima ex parte infectum esse non admodum dubiis colligitur argumentis. Hæc enim Mompelgardensi Comiti dixit: Si Jacobus Andreæ non fundamentalius Bezam refutavit atque theologi Rostochienses studiosum, cui nequaquam satisfactum est, valde vacillat Protestantium sententia. Dederunt enim consiliarii pagellam studiosi famosam Electori legendam. Hæc ille. Quod restat, Tuam Dignitatem de Psalterio Molleri admoneo ac eam cum tota familia clementissimi Dei tutelæ commendo. Tunderæ 19. Aprilis anno 87.

265

Magister Jacob Fabricius, Tønder, 5. juni 1587.

Meddelelse om trolovelse mellem Fabricius og 'en jomfru i nabolaget' (Agnes, datter af provst Georg Petrus, som det antydes i en hilsen fra provsten (Andreas Thomsen) og hans svigermor). Brylluppet er endnu ikke fastsat, men Fabricius håber, Pistorius vil komme med til det.

XXI

M. Jacobus Fabricius Johanni Pistorio.

S. a Filio Dei Jesu Christo. Rescripsissem, reverende D. amice, Tuæ Dignitati, cum proxime apud nos tabellarius esset, et ad literas tuas respondiissem, sed, quod spero eum vobis dixisse, prorsus ad scribendum otii nihil mihi relinquebatur, neque quod scriberem occurrebat. Nunc quia iterum se vos visurum ajebat, non debebam eum sine meis ad vos literis dimittere. In literis proxime missis nihil est, quod responsionem requirat, præter unicum illud, quo virginem mihi vicinam salutari jubes, additis verbis boni ominis loco; clausula hæc longe omnium suavissima: quam spero fore tuam. Ecce enim quid fit! Dei providentia tuaque ac multorum aliorum consilio factum est, ut et ego illam ambierim ac illa Dominica Exaudi mihi desponsata sit in bonorum virorum præsentia. Tantum tuum consilium ac ad Deum pro me preces

Invenit. Felix idea, Felix ut ait et Faustus. De iugiter nihil dum
... dignitate, spero tamen Tuam Dignitatem sua quoque, si
... foedus illud nostram vere sacrum
... De vestro itinere nihil certi cognovi, existimo autem
... Paulterium, si in promptu est, nobis
... Me hoc tempore ut boni consulas arduiter peto, neque, quod
... Solutant te Dominus Praepositus cum socru et
... Inprimis te necum salvare jubet sponsa mea. Vale.
Tandem feria 2. Pentecostes anno 87.

266

Paul von Bitzen Senior, Slesvig; 9. juni 1587.

På grund af hertugens tilstand vover von Bitzen ikke at rejse fra
Slesvig og fortsætte visitatserne. Der må bedes for hertugens helbre-
delse både i kirkerne og i hjemmene, og Pistorius opfordres igen til
at formane sine nabopræster til at gøre det. Selv er von Bitzen for-
visset om bønnehørelse (hertugen døde 6 dage senere, 15. juni). - Fra
Fr. Johannes (Generanus) i Åbenrå har han endnu ikke modtaget noget.

XXII

Paulus ab Bitzen Senior Joh. Pistorio.

I. per Jesum. Reverende Domine, frater carissime, jam esset tempus
ad continuendam visitationem, sicut inter nos convenerat, sed ego
non audeo discedere in hac magna imbecillitate Illustrissimi Prin-
cipis, Domini nostri clementissimi, pro cuius Celsitudinis sanitate
et longa vita ut fideliter invocetur Deus post contiones et privatim
domi sine intermissione, valde est necessarium. Itaque vicinos
Domino Pastores ut admoneas, obnixè rogo. Habemus juratam promissi-
onem Filii Dei. Itaque omnino confido, quod preces nostræ exaudi-
entur, et quod Deo gratias agemus cum glorificatione nominis ipsius,
quod exauditi simus. Hoc fac, bone et misericors Domine Jesu, propter
nomen et juramentum tuum. Amen, Amen, Amen. A Domino Johanne
Åbenrådænsi nondum quicquam accepi; ubi accepero, ad te statim
mittam. Bene vale in Christo Jesu. Novi de rebus ecclesiasticis
nihil habeo; si quid habes, rogo ut communices. Ex Slesvico
9. Junii anno 87.

267

Rektor Albert Lonicerus, Lüneburg, 17. juni 1587.

Pistorius' søn har nogen tid fået privattimer hos rektor, men for et
halvt års tid siden holdt op med dem. Hvis det er sket på Pistorius'
foranledning, er der ikke noget at indvende.

XXVII [a]

N. Albertus Lonicerus, rector scholæ Lunæburgensis, D. Joh. Pistorio.

S. Reverende vir et amice colende, tuus filius aliquandiu meus fuit
privatus auditor et discipulus ac utilissimas et sua ætati conveni-
entissimas lectiones ac repetitiones audivit simulque ter singulis
septimanis exercitia soluta orationis habuit, verum ante semestre
meas privatas repetitiones deseruit, quod si tua auctoritate fecit,
facile acquiesco. Velim igitur, ut me de hac re certiores facias.
Vale. Lunæburgi die 17. Junii anno 87.

Konrektor Arnold Prætorius, Lüneburg, 23. juli 1587.

Prætorius vil gøre sit bedste for Pistorius' søn Theodor, prøve på at få udgifterne nedsat og skaffe ham et godt logis. Om det ledige rektorat i Husum; Prætorius tænker på eventuel forflyttelse, men er nødt til at udsætte sagen. Han kender imidlertid en mand, som for 8 år siden sammen med ham blev magister, og som vilde være velegnet. (Det hele blev ikke til noget; Johannes Oldenburg var blevet rektor i 1582 og blev i dette embede til sin død i 1605.) Han vil også gerne vide, om det passer, at rektors løn beløber sig til 200 Joachimsdalere. Desuden sender han nogle sølle digte fra skolens øvelser.

XXVIII

M. Arnoldus Prætorius, conrektor scholæ Lunenburgensis
ad Divum Johannem, D. Johanni Pistorio S.P.D.

Vir reverende et amice colende, recenti memoria teneo proximum nostrum colloquium de filii Theodori condicionibus et studiis aliisque negotiis. Filii autem res erunt mihi commendatissima, quæque coram sancte recepi, re ipsa præstabo, ut filius animi dotibus cultior domum redeat hujusque loci et institutionis meminerit, nec te sumptuum pæniteat, cum filii nomine fient. Conabor etiam quamprimum potero, ut sumptibus rursus subleveris hospitiumque liberale filio procuratur; in eo omnem movebo lapidem. Significavit mihi insuper filius de condicione scholastica, rectoratu nimirum Husensi, te necum fuisse acturum de idonea persona, quæ scholæ isti præfici posset, sed memoria excedisse. De eo celare te non possum me quidem ipsum locum mutaturum aliquando, si illa, quæ me mordent, non mutabuntur. Hoc vero tempore mutationem suspendere cogor. Cum vero mutare mihi jam non sit integrum, cogitavi de persona satis commoda, quæ necum gradu magisterii ante annos 8 est ornata ac ante biennium matrimonium iniiit fungiturque officio rectoris in loco non incelebri inque Hebraica, Græca et Latina lingua est doctissimus, ut natus ad scholas videatur. Scripsi hæc ad ipsum, et in brevi expecto responsum. Interim peto, ut mihi etiam responsum de circumstantiis illius condicionis non denegetur. Narravit item filius tuus stipendium annuum equare 200 Joachimicos, quod num ita sit, certo ad me perscribi velim: tum personam et mentem rursus vobis aperiam. Si Deus voluerit, e re urbis et juventutis erit, cui rem totam nostris precibus commendabimus. Hæc habui, quæ tibi significanda esse duxi, ac simul transmitto jejuna carmina nuper a nobis inter occupationes scholasticas facta, quæ boni consulas ac loco *μνημοσύνου* habeas, meque in album tuorum amicorum recipias, cujus fores proxime aperte. Te tuosque divins protectioni et tutelæ commendo. Vale et rescribe. Luneburgo *ὡς τάχιστα*, ad 10. Cal. Sextiles anno nati Christi MDXXCVII.

Peto obnixæ adjunctum fasciculum cum literis mitti in vicinum locum Hatstedian ad patrem et filium Volquardum, ac peti responsum.

Georg Crusius, Kotzenbüll, 29. juli 1587.

Medt i landesorgen over hertug Friedrichs død har Crusius den glæde at meddele, at hans ægteskab af Gud er blevet velsignet med en femte søn, som skal døbes 'i morgen'. Pistorius med hustru indbydes i den anledning til et festligt samvær.

Georgius Crusius, pastor in Cottzenbul, D. Johanni Pistorio,
pastori Tetenbullensi.

S. per, qui mille quater pavit sua verba secutos, Christum, redemptorem nostrum. Etsi hoc tempore luctus est publicus, reverende Domine Pastor, propter recentes exequias Illustrissimi Principis' Ducis Friderici etc., tamen benignitatem, quam in me effudit Deus, et gaudium reticere non potui neque debui. Etenim quinto filiolo conjugii institutor conjugium nostrum donavit benignissime, qui cras, volente Deo, bantizabitur et in album filiorum Dei asscribetur. Id ut accitis piis honestisque viris et foeminis fiat, conviviolum pro re et tempore instituimus, ad quod Tuam Dignitatem officiose invito, ut nobiscum Tua Protestantia lætetur proque filiolo ecclesiae domestica aucta Deo gratias agat votaue concipiat, ut in timore Dei nostros educemus et ad dexteram ejus multiplici fænore in resurrectione perpetuum intueamur. Etiam atque etiam Tuam Dignitatem rogo, ut conjugem una adducat neque absentiae causas obtendat. Vale. Antepenultimo die mensis Julii anno 1587.

270

Doctor Paul von Eitzen, Slesvig, 31. august 1587.

Det går bedre med helbredet, men von Eitzen ønsker, at Gud vilde udløse ham og modtage ham i sin himmelske bolig. Han takker Gud for, at Chytræus har forstået, at nordboerne indser sydboernes rænkespind, og at de ikke lader sig overliste af schwabisk skøn tale og hykleri. I Thüringens kirker står det dårligt til, men der er dog nogle trofaste præster.

XIX

Paulus ab Eitzen D. Senior Joh. Pistorio suo.

S. per Jesum. Reverende Domine, carissime frater, quod de mea valedudine es sollicitus, caritatis fraternæ significatio et testimonium est, quæ mihi ex multis certis testimoniis est notissima, et rogo, ne de mea erga te caritate ex intimo cordis affectu dubites. Valetudo fit melior. Utinam Dominus me dissolvat et ad se recipiat in coelestem mansionem! Gratissima mihi fuit tua epistola. Sit laus Deo, quod Chytræus ex tua illa vere Christiana et pia collatione intellexit, quod Septentrionales fraudes Australium persentiscant, nec se Suevica suaviloquentia et hypocrisi decipi sinunt. Mitto tibi epistolam ignoti domini et fratris in Thuringia, quam ante biduum una cum adjunctis scriptis Jenensibus et Chytræi epistola ad me misit. Intelliges miserabilem statum Thuringensium ecclesiarum et tamen inter ecclesiarum pastores esse fideles fratres, qui suas preces nobiscum conjungunt. Collocutus sum nudius tertius de hisce rebus cum D. magistro Conrado, vicino tuo pastore Poppenbullensi; is tibi omnia de ecclesiis Thuringiacis et de academia Jenensi narrabit. Dominus Jesus servet nos omnes in veritate sua, verbum ipsius veritas est, ut simus unum in Christo Jesu. Amen. Vale, carissime frater, et saluta Dominum et patronum nostrum communem cum omni observantia colendum. Ex Slesvico feria 5. post Decollationem Baptistæ anno 87.

Jacob Fabricius, Tønder, 20. september 1587.

Indbydelse til Fabricius' og Agnes Petras bryllup den 15. oktober.
(Cf. ad nr. 265.)

XX

M. Jacobus Fabricius, ecclesiastes Tunderensis,
d. Johanni Pistorio S.D.

Reverende et clarissime D. Johannes, amice reverenter et submisse colende, venuste depingitur vitæ conjugalis dignitas in epistola ad Ebræos verbis his: Honorabile conjugium apud omnes, et torus immaculatus, quam dignitatis commendationem accepit non tantum ab auctore et conservatore suo Deo, verum etiam ab immensa sui usus commoditate et fructu, adeo ut, si singula divinæ bonitatis instituta examinemus, quæ quidem ad vitam præsentem faciunt, nullum sit vel antiquitate prius, vel commodorum ubertate fecundius. Quapropter ego Deo et amicis sic jubentibus animum facile ad hunc sacrum vitæ ordinem adjiciens de consorte tori in timore Domini ejusque nomine et auxilio implorato circumspexi. Ea, Christo adjuvante, futura est virgo pia et honesta Agnes, reverendi et clarissimi viri D. Georgii Petrei, pastoris et præpositi Tunderensis, in Domino feliciter dormientis, filia, cum qua (quod felix et faustum, qui fecit, esse velit) ex solenni et antiquo ecclesiæ ritu nuptias hic Tundriæ ad proximum 15. diem Octobris, Dominicam 18. post Trinitatis, tertiam vero post Michaëlis, celebrandas conclusum est. Quocirca a Tua Dignitate, reverende et clarissime vir, fraterne, amice atque vehementer, ut majori studio magisque ex animo contendere non possim, oro, ut has nuptias honorifica tua, conjugis liberorumque tuorum præsentia tempore ac loco dicto condecorare atque cum aliis Dominis ac amicis, quos adfuturos speramus, piis tuis precibus nobis adesse dextrasque nostras inter se junctas Dei dextræ inserere velis, tum jucundissima tua conversatione frontem in Domino nobiscum exporrigere non dedigneris. Feceris, Domine clarissime, hoc officii genere rem Deo gratissimam nostraque amicitia dignissimam. Ego qualiacunque mea studia et officia tibi tuisque omnibus ex animo vicissim defero. Bene vale. Tunderæ 20. Septembris anno 87.

272

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 27. november 1587.

Beklagelse af de kirkelige tilstande i Meissen. Hvem den nævnte Faber, de hærtiske agitatorers kloak, er, er ikke klart; måske er det Basilius Faber, som blev udskreget som Flacianer, skønt han var død ca. 10 år tidligere. - Bogtrykkeren har travlt med at få von Eitzens bog på tysk (Christliche Unterweisung, cf. ad nr. 237) færdig før nytår.

XXIII

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum. Reverende Domine et frater carissime, maximas habeo et ago gratias nobili Domino Præfecto, communi nostro patrono, et tibi pro communicatione novitatum Misnicarum. Deplorare possumus miseriam ecclesiarum tam petulanter a petulantissimo Fabro, hæreticorum cloaca turbatorum; pacem et tranquillitatem solus Dominus Jesus

Christus reddere potest. Illa est miseria et calamitas supra omnes miserias et calamitates, quod tam multæ ecclesiæ et scholæ ita sunt seductæ, ut jam nesciant, an habeant religionem, vel non habeant. Namque dubia religio nulla est religio, sicut dubia fides nulla est fides. Oremus diligenter, ut Dominus nos servet in veritate sua, ut simus unum in Filio ejus Jesu Christo, unico nostro capite, atque ut turbatis ecclesiis reddat pacem et unitatem in eodem Domino nostro Jesu Christo. Typographus sedulo laborat, ut ante festum Circumcisionis tractatum, quem Germanice dictavi, absolvat; venit ad litteram I. Ubi finis erit impositus, mittam tibi. Bene vale, carissime frater, cum uxore et liberis. Salutem plurimam precor nostro patrono et Domino cum tota familia. Ex Slesvico feria 2. post Catharinæ anno 87.

273

Caspar Hoyer, staller i Ejdersted, Hoyerswort, 6.februar 1588.

Om nogle bøger, bl. a. en af Gualther (måske Rudolf Gualther, antistes i Zürich). - De arresterede gendøbere skal behandles med lempe og broderligt for at føre dem tilbage til 'vor kirke'.

XXIX

Casparus Hoyer, Præfectus Eyderostediæ, Joh. Pistorio suo.

Doctissime vir, frater amantissime, accepi literas tuas cum libris. Remitto Dominum Gualtherum, quem avidissime magno cum fructu hactenus legi, item Methodum curandi morbos internos; misissem et duos reliquos, nisi Tonningæ in meo musæo essent; ubi rediero Reinbeka, remittam, eritque tibi vicissim meis libris utendi liberrima potestas. Proficiscar cras mane, volente et iter gubernante Deo. Anabaptistas deprehensos piis et moderatis admonitionibus, non autem duris et a Christiana dilectione alienis increpationibus et detestationibus, ad gremium et consortium ecclesiæ nostræ reduci percupio et ex animo desidero, operatus siquidem est Dominus per d. pastorem nostrum Johannem Momsen, ut hoc ipso die duo Hollandi istius hæreseos suspecti scripto mihi exhibito errorem confessi et deprecati sint, ut ex ipso d. pastore ulterius cognoscas. Faxit Deus, ut horum pietatem reliqui imitentur, quod fore confido, si ex præscripto ipsius Christi et Divi Pauli doctrina procedatur fraterneque, et non fastuose, ut fieri a quibusdam intelligo, cum iis hominibus agatur. Quare tuum erit in hoc negotio periculoso omnia pie et diligenter, quæ profutura ecclesiæ ac reipublicæ nostræ judicaveris, curare. His te cum tuis recte valere et me, ut facis, amare desidero. Hoyerswordt 6. Februarii anno 88.

274

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 5.marts 1588.

Caspar Hoyers henstilling m.h.t. fremgangsmåden over for gendøberne bifaldes af von Eitzen. Præsterne skal omhyggeligt rette sig derefter.

XXX

Paulus ab Eitzen Senior Johanni Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine, carissime frater, de Anabaptistis collocutus sum Reinbecæ cum nobili Domino Præfecto Casparo Hoygero, patrono, domino et amico nostro communi, cui Christiane et prudenter

placet, ut per spiritum mansuetudinis invocato nomine et auxilio Jesu Christi tentetur ante omnia ipsorum conversio. Dominus Jesus Christus addat gratiam Spiritus Sancti, ut seducti a Diabolo convertantur ad Deum in vera fide. Amen. Ad illam mansuetudinis viam vestræ dignitates in ecclesiæ ministerio non tantum seriam invocationem, sed etiam omnem fidelem diligentiam adhibebunt. Et quando a Magnifico et nobili Domino patrono nostro vocatus fuero, sine mora, dante Deo, veniam, quandocunque mea præsentia postulabitur. De causa D. Sebastiani quid hodie sit actum, cognoscet Tua Dignitas ex ipso. Bene et feliciter vale, Christiane frater, in Christo Jesu. Ex Slesvico 5. martii anno 88.

275

Jacob Fabricius, Tønder, 29.marts 1588.

Nyheder udefra: Et ikke ringe røre i Wittenberg; Polycarp Leyser er blevet (superintendentens) coadjutor i Braunschweig; hans efterfølger som professor i Wittenberg er David Vogt, tidligere Jena, i stedet for Johannes Mathesius fra Schmalkalden; (Johann) Major og en anden forfølger den afgåede Leyser med smædeskrifter, som (Georg) Mylius har svaret på. (Daniel) Hoffmann (i Helmstedt) har kommenteret Salme 22. Hesshusen har udgivet en forbedret og forøget udgave af sit Examen (theologicum, først udkommet 1570). Om røret i Helmstedt har Fabricius ikke erfaret noget sikkert. Mod (de 1587 i Tübingen udkomne) Acta Mompelgardensia har Beza udgivet et skrift (Responsio, Genève 1587 og 88). Henrik Rantzau siges at have udgivet en bog om steder i Norden. (Noget helt tilsvarende har ikke kunnet findes, men måske er den her nævnte bog den af Albert Meier i Lindholm på Henrik Rantzaus opfordring og bekostning udgivne og 1587 i Hamburg udkomne 'Methodus apodemica describendi regiones, urbes et arces' etc. Se C.lit.III,597.) I Rostock er alt vel; D. Chytræus forelæser sjældent. Peucer er over 63 år gammel, men er friskere, end da han var i Wittenberg. Fabricius har været i Sønderborg i anledning af hertug Hans (d. Y.s) bryllup (andet ægteskab, med Agnes Hedvig, datter af hertug Joachim Ernst af Anhalt) og af hofpræsten i Dessau fået adskillige udenrigspolitiske nyheder: Tyskernes nederlag i Frankrig; kongevalget i Polen (den svenske prins Sigismund); Frankrig har invaderet Østrig og angriber til stadighed Montbéliard. - Ved et kongeligt edikt er det forbudt at overdrage en arbejder til en anden eller løse ham fra hans forpligtelse. Det ser ud til, at året 88 vil lægge sæden til store uroligheder.

XXXI

M. Jacobus Fabricius Johanni Pistorio S.

Reverende et clarissime D. Johannes, amice studiose colende, quia iterum iturus ad vos erat tabellarius hic (sic enim appellare eum soleo), nolui committere, quin meis literis Tuam Dignitatem salutarem et ad prius scribendi officium, aliquandiu nunc intermissum, reverterer. Apud nos omnia sunt salva. Nova aliunde varia afferuntur, partim ecclesiastica, partim polemica. Witebergæ motus sunt non exigui. D. Polycarpus Leyser Brunswigæ coadjutoris officio fungitur. Voluit illi succedere Johannes Mathesius Schmalcaldicus, sed jussu Electoris suffectus illi est D. David Vogt, qui antea Jhenæ. Major et alius quidam, imo plures, pasquillis abeuntem sunt prosecuti; respondit illis Mylius. Hoffmannus in Psal. 22 commentatus est; vellem te præfationem legisse. Heshusius Examen suum correctum et auctum

divulgavit. De turbis Helmstadiensibus aliquid, sed certi nihil, audivi. Reza scriptum edidit contra Acta Mompelgardensia, sed non vidi. Edidisse D. Henricum Ranzovium librum de septentrionalibus locis fertur, sed non licuit videre. Rostochii omnia, quantum scio, sunt integra. D. Chytraus raro legit. D. Peucerus annorum 63 excessit etatem, et ajunt multo jam vegetior, quam notus fuit Witebergæ. Fui Sonderburgi in nuptiis Ducis Johannis; ibi varia audiebam ex ecclesiaste Dessauensi. De clade Germanorum in Galliis jam innotuit; vidisti procul dubio scepticum Galli ἐπιπύκλιον. Rerum Polonicarum status tibi constat; editæ sunt pagellæ de electione regia, editi et aliquot pasquilli. Gallus cum exercitu Austriam invadit. Comes Mompelgardensis cum vicinis quotidie infestatur ab eo; omnia ibi sunt plena direptionum, furtorum, exustionum, periculorum, ut quidam Rostochiensis Spira in patriam scribit. Regio edicto apud nos cautum est, ne quis suam operam alii locet, aut ut locatam expediat. Videturque omnino hic annus 88 semina motibus magnis sparsurus. Memor sit suæ ecclesiæ Filius Dei, cujus protectioni et benedictioni te tuosque omnes ex animo commendo. Raptim Tunderæ 29. Martii anno 88.

Salutat vos Agnes, mea ἄγνη et costa mea.

276

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 6.april 1588.

Til de fra Nedretyskland landsforviste har von Eitzen skrevet en formaning mod foragt af gejstligheden og dåben. Hans helbred er tvivlsomt, men han vil altid være rede til at komme, når det ønskes.

XXXII

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine, carissime frater, scripsi admonitionem ad exules ex inferiore Germania contra contemptum ministerii et sancti baptismi eamque apud proprium nuntium misi ad nobilem et magnificum Dominum Præfectum, patronum nostrum communem, eamque ipsius et Tuæ Dignitatis judicio et consilio subjicio. Si videtur utile, poterit ea reverendis fratribus etiam communicari, si quis describere velit. Ego, etsi dubia est valetudo mea, tamen semper ero paratus, quando mea præsentia desideratur, quam frustra expectatam esse ex animo dolco, et oro obnixè, ut me apud nobilem et magnificum Dominum et patronum nostrum excuses. Dominus Jesus Tuam Dignitatem et omnes reverendos fratres custodiat et servet. Amen. Ex Slesvico pridie Pascha anno 88.

277

Jacob Fabricius, Tønder, 18.april 1588.

(Det foregående brev i håndskriftet er fra Fabricius, og derefter skal 'Alia [epistola] ejusdem' under XI. forstås.)

Fabricius er meget glad for Caspar Hoyers responsum (se ovenfor nr. 273). Han vilde gerne se det vidnesbyrd, Vogt havde fået ved sin afgang fra Jena. Under besøget i Sønderborg (se ovenfor nr. 275) har Fabricius af hertugen af Anhalts hofpræst Johannes Brendel fået nærmere at vide om dr. Vogts ansættelse i Wittenberg (cf. nr. 275). Wittenbergerne havde bedt kurfyrsten om ikke at medtage Konkordieformlen i lærenormen. Efter meget skrivi frem og tilbage havde kurfyrsten bestemt, at hverken det gamle Corpus doctrinæ eller Konkordieformlen skulde nævnes, men alene Den augsburgske Konfession.

- Om Heidelberg-katekismen. - Hoffmanns kommentar til Salme 22 (cf. 275) og hans teser. - Om kong Frederik 2.s død (4.april) i Antvorskov Kloster og dronningens rejse til dødslejet i robåd sammen med sine døtre og den yngste søn (Hans, født 1583) på skødet.

XL

Alia ejusdem.

3. per Filium Dei, verum et coelestem animarum nostrarum Pastorem et Archiepiscopum. Pergratum mihi accidit officium seu potius beneficium Tuæ Dignitatis, reverende ac clarissime D. Johannes, Domine et amice reverenter observande, quod perbreves et inconcinnas meas literas longa atque erudita epistola compensaveris, agnosco etiam summam Tuæ Dignitatis in me benevolentiam, tum ex hoc ipso, tum ex amica illa excusatione silentii, qua mihi potius utendum video, et amoris in me sui verbis multis, iisque prorsus familiarissimis, declaratione. Hæc omnia tam sunt laude celebrationeque digniora, quam in exulcerato hoc sæculo rariora. Scribit porro Tua Dignitas de nobilis et magnifici Domini Præfecti vestri Caspari Hoyeri responso. Ego vero, clarissime vir, magis nunc gaudeo, ut qui malim tale quid videre (quale tuo consilio fueram suscepturus), quam meis verbis narrare. Itaque Deum oro, ut huic labori benedicat. Testimonium D. Voitiæ ab academia Jhenensi datum cuperem videre. Nam nihil, nisi quod locum mutasset, cognoveram. Addo autem hoc, quod ex ecclesiaste Dessauensi Ducis Anhaltini Sunderburgæ cognoscebam. Cum nominatus D.D.Voitius ab Electore Witebergam missus esset, ut succederet D. Polycarpo, mittebatur simul forma ac norma vocationis, secundum quam et ipse docere et vivere ac alii in officium introducere eum debebant; in hac, quam dico, norma doctrinæ inter alia positum erat corpus doctrinæ, quod antea, sicut notum est, in tota fere Saxonia amplectebantur, donec a Suevo submoveretur. Witebergenses rescribunt ad Electorem petentes, ne omisso corpore doctrinæ Formula Concordiæ huic normæ insereretur secundum parentis ordinationem. Ille respondet se non velle hoc mutari. Illi replicant, ne Formula Concordiæ tanquam explicatio corporis doctrinæ sit; si hoc omnino retinere vellet, simul insereretur, ac ita utrumque esset doctrinæ regula. Elector contra, ut utriusque nulla fiat mentio, sed sola Augustana Confessio nominetur, und dabei habe man es auch müssen lassen bleiben und wenden. Hæc ille mihi exposuit; nomen ipsi est M. Johannes Brendelius, cujus etiam nomen recensetur inter subscriptores censuræ Anhaltinorum de Formula Concordiæ. De novo Catechismo Heidelbergensium audiveram. Meminit autem Tua Dignitas etiam post mortem Ottonis Henrici Electoris Palatini, cui succedebat, ut credo, Fridericus, novam catechesin editam Germanico et Latino idiomate; an eadem sit, optarim scire. De Frischlino Rostochio mihi scriptum jam dudum fuit, quod Witebergæ viveret, sed forte Brunswigam inde vocatus est. Commentarium Hoffmanni in Psalm. 22 non habeo, sed præfationem describi mihi curavi, quam proxime mittam. Nam avunculo meo perlegendam dederam, qui cum non vivat in hac urbe, non potui ob mulieris festinationem poscere. Theses Hoffmanni, de quibus Tua Dignitas scribit, non vidi, sed de ipso mihi persuadeo esse eum ipsum talem virum, qui, sicut scribis, constringat adversarium. Nam pius est, solidus est, densus et subtilis; stilo est obscuro aliqua ex parte, sed rebus est admodum densus et nervosus. Quod superest, brevem narrationem de præmaturo obitu Serenissimi Regis Daniæ Friderici II. addo. Obiit is placidissime die Coenæ Dominicæ, id est 4. Aprilis, Anderschoviæ (coenobium est et schola in Sielandia), quo die et ipse sedens erectus in lecto contionem

M. Christophori, contionatoris aulici, attente audivit et corpus et sanguinem Domini accepit, patefactis foribus cubiculi omnibus ad conspectum sui admissis. Magno animi robore ad discessum se paravit, locutus ad extremum usque, cumque in lectulo se verteret, quasi dormiturus, unico suspirio animam Christo reddidit, cum hora immineret quinta pomeridiana. Narravit tabellarius adfuisse illi ex principibus Johannem Georgium Anhaltinum et Philippum in Grubenhagen. Aderat et Regina, quæ pridie magnis itineribus ad eum contenderat, et quidem navicula, quam remiges agebant, se suasque filias imposuerat, gremio tenens minimum natu filiolum; ita ventis satis valide reflantibus fretum Balticum 4 fere milliarium trajecit. Ex senatu ipsi adfuerunt Nicolaus Kaes cancellarius ac Ariel Huitfeld quæstor, Christophorus Walckendorff, utraque item cancellaria ac nobiles complures. Magnificum et amplissimum D. Præfectum ex me humiliter ac reverenter, si tibi videatur, salutabis. Vale, vir clarissime et optime, cum conjugæ et universa familia. Salutant te omnes nostri. Raptim Tunderæ 18. Aprilis anno 88.

278

Georg Crusius, Kotzenbüll, 27.maj 1588.

Indbydelse til en teologisk sammenkomst med et foredrag om mannaen og en samtale om, hvorledes præsterne uden af onde tunger at blive dadlet for det kan mødes og fromt og sobert have en samtale med hinanden.

XXXIII

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

Gratia et pax a Deo, Patre Domini nostri Jesu Christi. Reverende D. Pastor, etsi domum tuam profectus conjugæ tuæ causam adventus mei paucis designarim et reverendum virum D. Petrum Aurifabrum ut Tuam Dignitatem invitaret rogarim, tamen scribendum mihi putavi, quod in hunc usque diem nihil accepissem responsi. Nolo autem colloquii theologi honestatem, utilitatem et necessitatem verbulo commemorare; hoc tantum etiam atque etiam rogabo, ne tuum nobis consilium prudens et circumspectum nobis rogantibus deneges. Quare, reverende vir et colende pastor, domum meam venias die Mercurii, h. e. perendie, hora 10. oro, et audita oratiuncula de Manna in medium consulas, quo ordine et modo in posterum, ut sanctos decet, sine reprehensione calumniatorum justa convenire et pie, modeste et sobrie colloqui possimus (quod felix et faustum sit) sæpius. Si quid erit in me officii et studii (quod exiguum esse agnosco), id Tuæ Dignitati tuisque prompte sine dolo vicissim defero. Vale, reverende Domine Pastor.

Ne te colloquio, vir præstantissime, nostro
subtrahe, sollicitis consiliumve nega.

Cotzenbüllii postridie Pentecostes anni 88.

279

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 9.juli 1588.

I Pezels skrift (man kan gætte på hans i 1587 udkomne kommentar til Melanchthons 'Examen ordinandorum' eller på et af hans 'Argumenta et objectiones') har von Eitzen fundet horrible og blasfemiske ting om Guds absolutte forudbestemmelse med forvrængninger af Skriften m.m., og en udtalelse af Stedinger vækker sælsomme tanker hos ham.

Menigheder og skoler betror han til Guds varetøgt med bøn om, at alle må være oet i hans Søn og bevares og helliges i hans sandhed; hans ord er sandhed.

XXXIIII

Paulus ab Eitzen Senior Johanni Pistorio suo.

S. per Jesum. Reverende Domine, carissime frater, Remitto tibi libellum Pezelii et oro, ut nobili et veritatis ac pacis amanti Domino Casparo, communi patrono nostro, maximas gratias agas pro communicatione scripti. Dominus Jesus ipsius Excellentiam custodiat ab omni malo cum tota familia et provincia et vicissim beneficiat pro omnibus benefactis erga ecclesias et scholas earumque ministros. In scripto Pezelii inveni horribiles et blasphemias accusaciones Dei et excusaciones Diaboli et impiorum, quod non a Diabolo, sed a Deo sit initium omnis peccati et mali, tum etiam horribiles depravaciones Scripturæ et pudenda mendacia contra nostros sanctos præceptores. Reliqua sunt cuncta mendacia et depravaciones non solum recte dictorum, sed etiam Sacræ Scripturæ et evangelicæ promissionis, tum etiam meræ calumniæ, sophisticæ et calumniosæ accommodaciones regularum dialecticarum cum allegationibus sophisticis et scholasticis, quorum scripta a me diligenter lecta esse, si erit necesse, apparebit. Responsio cum Dei auxilio erit facilis. Sermo Domini Stedingeri, quem primum ex reverendo Domino Pastore Husensi, postea etiam ex Tua Dignitate audivi, facit mihi mirabiles cogitationes. Sed nihil est occultum, quod non revelabitur. Et Dominus, custos unitatis ecclesiæ suæ, est cognitor omnium cogitationum et consiliorum, et est iudex. Ei commendemus nos et ecclesias ac scholas nostras, orantes cum Filio Dei, ut simus unum in ipso et servemur ac sanctificemur in veritate ipsius; sermo ejus veritas est. Bene vale in Christo et reverenter saluta nobilem Dominum Præfectum, patronum nostrum. Ora pro me Dominum Jesum, et ego pro te et omnibus tuis oro. Ex Slesvico 9. Julii anno 88.

280

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 3.oktober 1588,
med en fyrstelig skrivelse dateret Gottorp, 8.oktober 1588.

I samråd med kansleren og amtmanden (på Gottorp) har von Eitzen anbefalet Pistorius som hofpræst hos den nye hertug Philipp og beder ham tage imod opfordringen, om end foreløbig kun for et, to eller tre år. Hertugens skrivelse siger det samme, men i stedet for et til tre år siges der kun mindst et år.

XXXV

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine et frater carissime, aus gnedigem befehel Fürstlicher Gnaden, unsers gnedigen Fürsten und Heren, haben heute der Magnificus et clarissimus Dominus Cancellarius Hieronymus Schulte und nobilis Dominus Præfectus Siverdus Rantzow mit my geredet, wo hochgedachte Fürstliche Gnaden in dem itzigen glückseligen anfang der Regeringe mit einem getreuwen Seelsorger und Hoffprediger müche in Gottes Namen versorget werden, der bey Hochgedachten Fürstlichen Gnaden und gantzem Fürstlichen Haus authoritet und ansehen haben und also Hochgedachten Fürstlichen Gnaden und Fürstlichem Hove mit grossem nutze durch vorlehung der Hülffe Gottes und gaben des Heiligen

Geistes dienen müge. Und dieweil ich auff mein Gewissen und pflicht, damit ich Hochgedachten Fürstlichen Gnaden in unterthenigkeit verwandt auff's hoheste vermanet bin, als habe ich mit anruffung und im namen Gottes auff keinen andern als auff Ewre Ehrwerden mein unterthenig rathsam bedencken wissen zu ercleren, und weis mit guter conscientie, das solches wirt zu Gottes Ehren und zu Hochgedachter Fürstlicher Gnaden und des Fürstlichen Hoves, zudem auch zu Christlicher Gottseliger Regierung und zu wolstandt und gedeien der Kirchen und Schulen und in summa zu dem Gemeinen besten gutt und nuttze sein. Und weil bedacht wart, das bei Ewer personen mochten bedencken einfallen, das mit Ewer Erwerden müge werden gehandelt, solche Esching in Namen Gottes auff ein Jhar, 2 oder 3, ewers gefallens anzunemen, also das nitler weile juw pastoramt zu Tetenbul durch einen dächtigen man mochte werden bedienet, doch das solch pastoramt Ewrer Ehrwerden offen behalten und, wen es Ewre Erwerden begerten, allezeit frei stehen solte, sich wiederumb zu Tetenbul niderzusetzen, damit, wie zu hoffen, de Ehr und Achtbarn Carspellude zu Tetenbul würden, in ansehung der hohen notth, williglichen sein zufrieden. So konte auch auff den fall solchem Vicario mit einem anderen dienste gerathen werden. Reverende Domine, carissime frater, weil hochgedachter Fürstlicher Gnaden und dieser Fürstlichen Regierung und der wollstandt dieser Kirchen, Landen und Schulen högeste noedtt Ewrer Erwerden getreuwen dienst erfurdert, ohn zweifel aus rath und willen des lieben Gottes, als willet doch umb Gottes willen euch solches lassen zu hertzen gehen und mit dem Magnifico, clarissimo et nobili Domino Praefecto Casparo, communi nostro patrono, von dieser Sachen one verzug reden, als werden seine Ehrenveste Ewrer Ehrwerden getreuwen Christlichen radt mittheilen, der für Hochgedachte Fürstliche Gnaden und gantze fürstliche regierung zu wolstandt Kirchen und Schulen und zu befurderung Gottes Ehre und erhaltung Christlicher Religion und Lehré und zu Christlicher Zucht und disciplin wirt nütze sein. Derhalben auch an wollgedachten Herrn bei diesem boten wirt geschrieben werden. Carissime frater, wollet hochgedachten Fürstlichen Gnaden, unser Gnedigen Fürstinnen und frawen und gnedigen Fürsten und Herrn, die es so Christlichen, gnedigen und fürstlichen meinen, und diesem gantzen Vaterland in dieser Sachen nicht engegen sein. Das wirt euch für dem lieben Gott und auch für alles Christen in diesem Fürstenthumen und Landen Rhumlich sein. Der Herr Jesus sey mit seinem Heiligen Geist bey euch und regiere ewhre gedancken und Gemüthe. Amen, Amen, Amen. Bene vale in Christo, carissime frater. Ex Slesvico 3. Octobris anno 88.

✕

Vonn Gottes gnaden Philips, Erbe zu Norwegen,
Hertzogh zu Schleswigh, Holstein.

Unsern gnedigen gruss bevohr. Ehrwürdiger, wolgelarter lieber Getrewer, wir machen uns keinen Zweifel, Ihr werdet nunmehr erfahren haben, was gestalt Prelaten, Ritterschafft und Stende dieser unser beiden Fürstenthumb auf erst vorschienem Landttage zum Kiell der Koniglichen Majestät und uns die algemeine Landesfürstliche Regierung aufgetragen, Sich auch unterthenig erbotten, uns die gewontliche Landeshuldigung und pflicht zu thuende. Nachdemahle wir dann zu anfangs solcher Regierungsbürden alle unsere Sachenn vornemblich dahin zurichtenn, das wir dieselbigen in und mit dem Fürchten Gottes anfangen und vormittelst verlihung seines Heiligen Geistes zu vollbringen haben, und als uns sehr hoch von nöthen ist, das wir uns nach

einen gelehrten und bewerten Theologen, der nicht allein reiner, gesunder Lehre Augspurgischer Confession, sondern auch gutes ungerafflichen Lebens und wandels ist, umbsehen, welchen wir für einen Hofprediger auf und annehmen mügen, Als wir dann Ewer Person halben eine solche Zeugnis erlangen, das wir sonderbahr begirde haben, mit auch handlung zu treffen, uns vor unsern Hoffpredigern Euch verwandt zu machen, derentwegen dann auch unser Superintendentens Doctor Paul von Bitzen ferners an Euch zu schreiben auf sich genommen, demnach so ist an Euch unser gnedigs begehren, Ihr wollet Euch nicht beschweren, wo nicht lenger, doch auff ein jhar langh dieses dienstes zu unternehmen, in erwegung, das solches der gantzen Zeit unser Regierung ersprisslich und zu nicht geringem auffnehmen gedeilich sein werde, weill Ihr für Euch selbst woll zu ermesen, das uns hochbedencklich, einen jungen, auch sonsten andere Prediger zu vociren, deren Lehre, Leben und wandel uns durchaus nich rechte woll bekandt, und deme wir wie Euch, Gott lob, woll zu gestehen uns zu getrewen nüchten. Derowegenn wir nochmals in gnaden begehren, uns in diesem nicht zu entsein. Das seindt wir hinwieder des gnedigen erpietens, Euch ewre mühe, trewe und arbeit dergestalt mit gnaden zu beleggen, das Ihr daran ein unterthenigs guth benügen zu haben, und seindt Euch darneben mit gnaden und gutem wolgeneigtt. Datum auff unserm Schloss Gottorff den 8. Octobris anno 88.

Philipps, H. z. Holstein.

281

Johannes Becker til stalleren Caspar Hoyer, Tetenbüll, 21.oktober 1588.

Pistorius (her bruges hans oprindelige familienavn Becker) meddeler, at han af visse grunde ikke kan tage imod kaldet fra Gottorp: Han har ikke det talent og de evner til dette høje embede, som man tiltroer ham; han har den største del af sit liv været på landet blandt bønder og vil have svært ved at begå sig ved hoffet; han er tilmed gammel med tiltagende legemlig svagelighed. Derimod anbefaler han med god samvittighed den unge kapellan i Tønder Jacob Fabricius som den rette mand.

326

Dem Edelen und Ehrenvesten Caspern Hoyeren, Fürstlich holsteinschem Rath und Stalleren in Eyderstede, erfgeseten up Hoyerswort, Husem etc., Minem gunstigen herren und patronen S.P.D. Joh. Becker.

Edeler Ehrnvester Her Staller, grodtgunstiger Herr, Patron und Förderer, des durchlüchtigen hochgebornen Forsten und Herren Herren Philipps, Erven tho Norwegen, Hertzogen tho Schleswick, Holstein, Mines gnedigen Forsten und Herrn Schrivent und begerent an mi unwerdige und geringe person hebbe ick in aller underdenigheit gelesen und vörnamen und kan darup Juw Excellenz unvormeldet nicht lathen, dat ick in warheit erkenne und bekenne mine geringheit und grote schwackheit, und dat ick gar unduchtig sy tho deme, dartho Sine Forstliche Gnaden mi eschet und fördert. Idt sint warliken solche dona ingenii und sodane geschicklicheit nicht an my, wo man vörmeindt, de an einer Personen tho dem Ampte und an sodanem orde und manck sodanen hohen vordrefliken lüden gefordert werden und von nöden sin.

Thodeme so bin ick nu oldt und bedaget, alse aver de 60 jhare, und hebbe mine beste levendes tidt hir up Landtdörve und manck hussluden thogbracht und weth mi tho hove und up hove wise seinig tho schicken, und dewiele ick nu sodans olders bin, hebbe und fohele ick

ock daglikes besondere lifliche gebrecklicheit und schwackheidt an my, de den ock von dage tho dage wassen und thonhemen.

Düsses und ock noch andere orsake bewegen mi, dat ick nicht anders kan dohen, sonderen mi des, dartho min gnediger Forst und Herr gnedigst mi fordert, weigeren modt, und bidde demnach vor allen dingen demödiglick und untertheniglick, Juw Excellenz wolle my bi minem gnedigen Forsten und Herren endtschuldigen. Den Gott sy min tüghe und helpe mi so warlick, also ick mi düssets nicht ex contumacia vel inobedientia weigere, Sonderen dat ick mi also, wo vorgemeldet, in der warheidt befinde. Und erkenne und erbede mi behalven duth und sonsten minem gnedigen Forsten und Herren vörpflichtet und tho denen schuldig nach allem minen Vörmögen.

Und will demnach mit minem gebette tho Gott vor Sine Forstliche Gnaden und derer Gottselige gelückliche fredesame Regeringe und wolstandt nictes nalaten, Sonderen stedes dohen also mi egent und mi möglick ist.

Idt ist overst tho Tunderen de Cappellan M. Jacobus Fabritius ein finer, junger, wolgeschickter und stediger Man, florenti ætate, ingenio, pietate, modestia, eruditione et judicii dexteritate ac aliis animi et corporis donis ornatus ac excellens; dat desülve vocert werde, kan und will ick mit guder conscientien raden. Den he mi also bekandt, dat ick daran nicht twiffele, he werde dorch Gottes hülpe Forstlichen Gnaden und Siner Gnaden hoffgesinde nüttliken und rohemliken denen. Amen. Darumb den Juw Excellenz ick avermals demödiglick und denstlick bidde, desülvige wolle düsse mine excusation und recusation in gunsten annhemen, und dat ick solches in aller underdenigheidt gedahen, minem gnedigen Forsten und Herren vörmelden. Und befehle hirmit Juw Excellenz in Gottes des allmechtigen gnedige beschüttinge tho tidtlicher und ewiger wollfardt. Amen. Datum Tetenbüll 21. Octobris anno 88.

282

Johannes Pistorius til Superintendent dr. Paul von Eitzen,
Tetenbüll, 22.oktober 1588.

En høflig undskyldning for, ikke at kunne tage imod kaldet fra Gottorp. Til de ovenfor i skrivelsen til Caspar Hoyer anførte grunde føjes, at Pistorius' legemlige svaghed skyldes nyresten, at han for længe siden engang har sagt nej til hoffet (cf. nr. 23 og 26) og nu intet større ønske har end at blive blandt de mennesker, han kender; hans hustru er også meget imod en sådan forandring. Også denne skrivelse slutter med en anbefaling af Jacob Fabricius, som ovenfor.

324

Excusatio modesta, qua abnuit vocationem in aulam.

D. Doctori Paulo ab Eitzen Superintendenti Johannes Pistorius S.P.D.
S. per Jesum Christum. Reverende et clarissime Domine Doctor et Superintendens ac patrone omni reverentiæ cultu perpetuo colende, nobilis et magnificus Dominus Præfectus Casparus Hoyer, communis noster Mæcenas et Patronus, tradidit mihi reverendæ Dignitatis Tuæ literas, quibus lectis (testis sit mihi Deus) magis sum contristatus quam exhilaratus. Quid enim in me est, cur reverendæ Dignitas Vestra ita me prædicaret et commendaret Magnifico Domino Cancellario et nobili ac excellenti Domino Præfecto Sigfrido Ranzovio? Profecto et reverendæ Dignitas Vestra et reliqui omnes, qui me ad tale munus talemque condicionem, et eo in loco, promotum volunt, amice de me

errant et cæcutiunt. Nemo melius me ipso, quid sim et quid valeam, novit. Quare cum me meo metior pede, non aliud deprehendo, quam quod muneri et condicioni illi, ad quam vocor, plane impar ac inidoneus sim. Nam ut ingenium, ita et dona ingenii mihi desunt; iudicium, prudentia, eruditio, facundia, omnia in me sunt tenuia, quæ, ut et plura alia eminentia, requiruntur in persona, quæ tali muneri, tali in loco, apud tantum Principem et inter tam eximios et magnificos viros præfici debet. Cum igitur plane videam et sentiam Illustrissimo et clementissimo Principi et familiæ ipsius me non posse esse utilem et honori, vehementer et propter Deum vos oro, ne contumaciæ vel inobedienciæ meæ imputetis, quod tergiverser et vocationem hanc recusem. Ad hæc me quoque hoc movet (ac ut idipsum et reverendam Dignitatem Vestram et reliquos Mæcenates meos moveat, etiam atque etiam oro), quod nunc sim senex, annum egressus 61., multos annos ruri et inter rusticos transegi, tum etiam indies vires corporis mihi languescunt et deficere incipiunt, et quidem a calculo sæpius sævissimos patior dolores, ut interim nihil dicam de aliis corporis infirmitatibus, quibus obnoxius sum, et inter illas visus imbecillitas, quæ me interdum cogunt hominum coetus et commercia relinquere et vitare. Talis cum revera sim, haudquaquam consultum est, ut in aulam vocer et me aulæ dedam. Fugi eam olim, cum ætate et viribus ingenii ac corporis aliquanto plus valerem. Quid igitur nunc facerem? Consultius est et nihil mihi optabilius, quam ut hoc in loco et cum his hominibus, quibus assuetus sum, maneam, quamdiu vitam hanc Deus mihi concesserit, quam spero etiam brevi per ipsius gratiam in hoc mirifico, malitioso et sycophantico seculo finem habituram. Et, quæso, quid commodi Illustrissimo et clementissimo Principi ac aulæ ipsius allaturum esset, si unum aut alterum annum ibi hærerem? Et quam incommodum, detrimentosum id etiam foret rebus nostris et conjugii meæ, quæ ut etiam ætate, curis ac laboribus domesticis debilitata est, ita plane etiam animo abhorret ab hac mutatione. Utilissimum igitur erit, ut Illustrissimo et clementissimo Principi advocetur et commendetur vir juvenis ætate florenti, ingenio, pietate, modestia, eruditione, iudicio ac aliis animi et corporis donis præstans, ac quo ad annos aliquot Celsitudo ipsius uti posset. Talem autem esse reverendum Dominum M. Jacobum Fabricium, Sacellanum, uti vocant, Tunderensem, reverenda Dignitas Vestra novit. Ac cum mihi de pietate, virtute, eruditione et dexteritate iudicii ipsius plane constet, ideoque optima quæque de ipso mihi pollicear, omnino et fideliter consulo et oro, ut ipse vocetur. Hoc meum responsum, excusationem et recusationem ut reverenda Dignitas Vestra benevole et æque admittat ac a me recipiat, Illustrissimo clementissimoque Principi, nec non Magnifico, Domino Cancellario et nobili et virtute excellenti D. Præfecto Sigfrido Ranzovio referat, obnixè peto. Commendo reverendam Dignitatem Vestram gratiæ et tutelæ præpotentis et misericordis Dei, qui clementer faxit, ut ecclesiæ, reipublicæ et nobis omnibus quam diutissime sit superstes. Amen. Datæ in Tetenbüll 22. Octobris anno 88.

283

Johannes Pistorius til kansler dr. jur. Hieronymus Schulte,
Tetenbüll, 23. oktober 1588.

Indholdet af skrivelsen er, for en stor del ordret, det samme som i ovenstående til superintendenten og slutter med samme anbefaling af Jacob Fabricius. Pistorius beder kansleren undskylde ham hos fyrsten og bevare ham velvilje og gammelt venskab.

Clarissimo et amplissimo viro, sapientia, virtute ac dignitate præstantissimo Domino Hieronymo Schulten, Juris Doctori et Cancellario Illustrissimi Principis Holsatiæ, Domino et Patrono suo perpetua fide colendo, Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Clarissime et amplissime vir, Domine et Patrone colende, uno et eodem tempore Nobilis et magnificus vir Dominus Casparus Hoyer, Dominus et Mæcenas meus perpetua fide colendus, mihi obtulit et tradidit Illustrissimi ac clementissimi Principis et Domini nostri literas, quibus in aulam ad contionandi munus vocor, et etiam reverendi et clarissimi viri Domini Doctoris Pauli ab Eitzen Superintendentis nostri literas, ex quibus intelligo Reverendæ Dignitatis ipsius suasu id factum, ideoque et Reverenda ipsius Dignitas me rogat, admonet, incitat, impellit, ne tergiverser et Illustrissimi ac clementissimi Principis vocationem abnuam. Simul etiam Mæcenas meus quæ Magnificentia Vestra ad se de me scripsit, et quomodo benevolam suam voluntatem et beneficia mihi polliceatur, si vocationem et conditionem illam suscepero, prælegit et indicavit. Cum et ipse D. Casparus, Mæcenas meus, suas partes sedulo egit et me adhortando, instigando ac urgendo nihil intermisit, hæc omnia, clarissime et magnifice Domine Cancellarie, quo animo acceperim, vix scribere possum. Profecto in tantum his consternatus sum, ut vix penes me fuerim, et quid Domino Mæcenati meo responderem, fere non haberem. Quis enim ego sum, et quid in me est, cur reverendus Dominus Superintendens me multis aliis præferret et Magnificentia Vestra ac nobili et præstanti viro Domino Præfecto Sigfrido Ranzovio ita commendaret et ad tale munus vocandum putaret, non video nec satis mirari possum. Sed revera et ipse ac ceteri omnes, qui me ita promotum volunt, amice et benevole de me errant ac amore mei cæcutiunt. Nequaquam enim tale ac tantum mihi est ingenii, nec iis ingenii donis ornatus et instructus sum, ut tali muneri et conditioni, eo in loco, apud talem Principem, inter tot et tam præminentes viros, præficiendus sim. Ingenue agnosco et confiteor meam imbecillitatem, ac quod plane illi muneri impar et indoneus sim, quum ingenium, judicium, eruditio, facundia et plura alia mihi desint, et si quid eorum in me est, id certe admodum exile et tenue sit, ita ut in hac conditione et in hoc munere Illustrissimo Principi ac aulæ ipsius parum utilis et honori esse possim. Etas mea excessit nunc annum sexagesimum primum, in qua si quæ sunt vires ingenii, deficiunt et languescunt indies magis magisque, et quidem memoriæ meæ multum decedit. Quo vero ad corpus, id fit et est debile ac peculiaribus infirmitatibus obnoxium, et inter alias calculo et dysuria, a quibus sæpe sævißimos patior dolores, infestor, ita ut hominum coetus et frequentiam interdum fugere et deserere cogar. His accedit etiam visus imbecillitas, quæ quotidie fit major. Et quid multis opus est, cum ipsa senectus sit morbus? Præter hæc tot nunc annos hic ruri et inter agricolas vixi, horum hominum moribus assuetus; aulæ vero et aulicis moribus imperitus, rudis ac ad eos ineptus sum. Talis cum revera mea sit condicio, minime consultum est, ut in aulam vocer et ei me dedam. Fugi eam olim, quum aliquanto plus quam nunc animi et corporis viribus valerem. Quid igitur nunc facerem? Nihil optabilius et consultius est mihi et conjugii meæ (quæ etiam ætate, curis et laboribus domesticis confecta ac debilitata est), liberis et rebus nostris, quam ut hoc in loco, ubi jam ultra 30 annos commoratus sum, maneam et quod reliquum vitæ est transigam, et fortassis reliqua pars vitæ brevior erit, quam quis opinetur, et ut per

Dei gratiam brevior sit ac salutarem finem in hoc mirifico, malitioso, inquieto et sycophantico seculo sortiatur, Deum assiduis gemitibus votisque oro. Et si eo in aulam me pertrahi et adduci paterer, equidem non video, quid utilitatis allaturum esset Illustrissimo et clementissimo Principi, si annum unum aut alterum ibi commorarer. Quare meo iudicio consultius et melius fuerit, ut Illustrissimo et clementissimo Principi advocetur et commendetur vir juvenis ætate florenti, ingenio, pietate, modestia, eruditione, iudicio ac aliis animi ac corporis donis ornatus et insignis, ac quo ad annos aliquot Celsitudo ipsius uti possit. Talem esse sacellanum (uti vocant) Tunderensem Dominum M. Jacobum Fabricium plane mihi constat. Ideo ut is vocetur et Illustrissimo Principi commendetur, omnino consulo et oro. Non dubito, quin per gratiam Dei ecclesiæ, Illustrissimo Principi et Celsitudinis ipsius aulæ utilis et honori sit futurus, quum, quemadmodum rettuli, sit pius, eruditus et in sana doctrina probe instructus, ac moribus etiam probatis, et modestus. Hanc meam excusationem et recusationem ut Magnificentia Vestra æquo et benevolo animo admittat et a me recipiat, obnixè eam oro et obtestor. Deum enim testor, quod non ex contumacia vel inobedientia vocationem hanc honorificam recusem, sed quod ei me imparem et omnino inidoneum, ut et antea indicavi, sentiam et agnoscam. Ac ut apud Illustrissimum et clementissimum Principem et Dominum meum Magnificentia Vestra me in hac causa excuset ac benevolentiam favoremque suum erga me retineat et conservet, per veterem nostram amicitiam et propter Deum eam oratam volo. Commendo Magnificentiam Vestram gratiæ et tutelæ omnipotentis et misericordis Dei eumque oro, ut Magnificentiæ Vestræ conatus et labores Spiritu Sancto suo regat et dirigat ad divini nominis sui gloriam ac ecclesiæ et reipublicæ commodum et emolumentum. Amen. Data in Tetenbull 23. Octobris anno 88.

284

Caspar Hoyer, Hoyerswort, 3.november 1588.

Hoyer har sammen med Pistorius' skrivelse til ham (nr. 281) modtaget Nürnbergernes bekendelse angående Herrens Nadver, skrivelsen til kansleren (nr.283) samt en bemærkning til Henrik Rantzaus elogium til dennes svigerfar Franz af Halles ros. Hvad Nürnbergernes bekendelse angår, bifalder Hoyer denne, især forkastelsen af den uhyrlige lære om ubikviteten og den reale communicatio idiomatum. Han mener ikke, at man ængsteligt skal beskæftige sig med det spørgsmål, om indstiftelsesordene skal tages bogstaveligt eller figurativt, men vil lade sig nøje med Kristi ord og overlader måden til Gud. Hvad de uværdiges nydelse af nadveren angår, mener han, at disse i nadveren ikke modtager Kristus og hans gaver, som er uadskillelige; det er ham nok, at han i tro må regne sig selv for værdig, og derfor bryder han sig ikke om, hvad de uværdige modtager. - Franz von Halle blev efter Hoyers mening berømt for den hjælp, han ydede de betrængte store fyrster. - Pistorius' afslag på den ærefulde stilling må Hoyer tage med sindsro, og han vil bringe hans undskyldning videre, om nødvendigt, til fyrsten selv, som har kaldt ham til hoffet.

XXXVII

Casparus Hoyer Joh. Pistorio suo S.D.

Doctissime vir et amice dilectissime, accepi cum literis tuis Noribergensium confessionem de Coena Domini ac literas D. D. Hieronymo Schulten Cancellario inscriptas, item annotationem elogii ab Henrico

Rantzovio in laudem soceri Francisci ab Halle conscripti. Ad Nori-bergensium confessionem quod attinet, eam quidem, quoad manducationem secundum verba Christi, probo et amplector, doctrina monstrosa ubi-quitatis et realis idiomatum communicationis rejecta, neque anxie laborandum censeo, an cum vel sine tropo verba sint accipienda; abunde mihi satisfaciunt verba Christi, mentiri nescientis, et certi- tudo fructuum et commodorum, quorum mediante fide ex illa manduca- tione particeps fio. Quae de praesentia modo controvertuntur, omni- potentiam divinam relinquo, revocans mihi in mentem usitatum illud: Qui scrutatur Majestatem, a gloria confundetur. Ceterum ad indignorum veri corporis Christi manducationem, quod attinet, fateor ingenue hoc ut credam adduci me non posse; est enim extra omnem controversiam Christi corpus a suis donis et meritis separari non posse. Qua igitur ratione fieri potest, ut indigni fide carentes corpori Christi, a quo merita ipsius avelli nequeunt, communicent, vel, ut apertius dicam, corpus Christi cum meritis ejusdem manducant? Quod si verum est, nulla esset inter manducationem fidelium et infidelium differentia, siquidem fide ad fructuum et commodorum perceptionem et beneficiorum applicationem non esset usque adeo opus. Unde Divi Pauli sententia de indignorum manducatione falsitatis argui posset, si secundum eam interpretationem esset intelligenda, secus si secundum literam, cum fiat mentio panis et poculi sive vini, et cum extra controversiam sit Christum se non panem, sed homini fideli et credenti communicare, quod etiam ex sententia Divi Augustini colligitur, qui dicit Judam mandu- casse panem Christi, reliquos vero Apostolos panem Christum etc. Ceterum cum me inter dignos numerem et in eorum numero me certo esse credam, me parum movebit, quid commodi aut incommodi ex illa mandu- catione indigni et infideles percipiant, modo de mea et fidelium manducatione et fructuum perceptione sim certus.

Scripti Henrici Ranzovii hanc judico esse sententiam, Franciscum ab Halle clarum fuisse propter magnorum principum adversitatem et captivitates, quas superavit, scilicet, quanquam ipse principum istorum adversitatum [propter] oblatas iis suppias et pecunias mutuo datas particeps fuerit et ex illorum captivitatibus aliquid mali ad ipsum quoque Franciscum ab Halle redundaverit, eas tamen adversitates consilio et prudentia superavit, damna evitavit laudemque sibi inde et gloriam comparavit.

Quod semel animo conceptam sententiam de honorifica oblata con- ditione non acceptanda multis adductis rationibus mutare nequeas, ae- quo ut feram animo oportet. Etsi enim dignitatibus et opibus ornari atque augeri te et tuos percupiam, nolo tamen id malo aut incommodi- tate tua et uxoris fieri. Ceterum cum ejusmodi vocationes neque in nostro arbitrio aut voluntate sitae sunt, sed a Deo volente et trahente proficiscuntur, obtemperandum, si aliter fieri nequit, potius divinae voluntati, quam nostris indulgendum rationibus. Sed ne homini amicissimo defuisse videar, excusationem tuam Dominis ac amicis nostris et etiam, si necesse fuerit, ipsi Principi referam, ac ut in aliis rebus tui, de ecclesia bene meriti, rationem habeant admonebo. Praeterea nihil intermisimus, quo amici rationem habuisse non plenis- sime cognoscas. Haec currente stilo rescribere volui. Tu cum con- iuge et liberis vale et me, quod facis, ama. Hac ipsa hora literis nostri Principis accersor in aulam, profecturus post biduum. Tu pro ecclesiae et reipublicae nostrae prospero statu Deum precibus fatigare pergito. Hoyerswordiae 3. Novembris anno 88.

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 5.november 1588.

von Eitzen har modtaget Pistorius' skrivelse med afslag (nr. 282) og vilde ønske, det ikke havde været nødvendigt. Han har med sit råd haft Guds ære og fyrstens og hele landets kirkes vel for øje. Imidlertid bifalder han Pistorius' forslag angående Jacob Fabricius, hvis lære denne var noget ældre. Han er bekymret for 'vor herres og beskytters' (Caspar Hoyers) helbred, for hvem han kun kan bede Gud om, at han vil bevare ham længst muligt til gavn for kirken, staten og de fyrstelige herskaber. Han medsender et lille skrift, hvori Calvinisterne søger nye fortolkninger, da de indser, at de ikke længere kan forsvare deres tidligere udtalelser. Der fortælles sørgelige ting om Wittenbergerne.

XXXVI

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio suo.

S. per Jesum. Reverende Domine et carissime frater, hac hora accepi Tue Dignitatis literas, in quibus te excusas. Utinam excusatione opus non esset in hoc tristissimo statu ecclesiarum et rerumpublicarum Germaniæ, imo totius Europæ. Ego testor Deum, quod in meo consilio respexi ad Dei gloriam et ad salutem et utilitatem Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri atque totius ecclesiæ Christi in hisce regionibus et patria. Quia autem Tua Reverentia aliud consilium de Domino Magistro Jacobo Tunderensi proponit, ego quoque illud approbo, si atas esset maturior. Volo tuum consilium in tuis literis proponere et Deum invocare, ut ipse deliberationes et consilia per Spiritum Sanctum suum gubernet. Valde sollicitus sum de valetudine Domini et Patroni nostri, et amplius nihil facere possum, quam fideliter Deum invocare, ut quam diutissime sit incolumis ad publicam ecclesiarum et reipublicæ utilitatem et ad utilitatem Illustrissimæ ac clementissimæ Principis ac Domini nostræ Illustrissimorumque ac clementissimorum Principum et Dominorum nostrorum. Rogo, ut Magnificentia ipsius reverenter salutetur. Bene vale, mi carissime frater et reverende Domine, in Christo Jesu. Mitto tibi, carissime frater, pagellam, quæ casu venit in meas manus, ex qua cognosces, quod Calvinistæ nunc quærunt novas interpretationes, siquidem animadvertunt se priores suas glossas non posse defendere. Rogo, ut pagella servetur. De Witebergensibus narrantur tristia. Dominus Jesus nos servet in simplici veritate et fide, cui te cum omnibus tuis commendo. Commendo me tuis precibus, ut Deus non sinat me tentari supra vires, sed consoletur et confirmet. Ex Slesvico die Martis post Omnium Sanctorum anno 88.

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 16.december 1588.

Magister Jacob (Fabricius) er i Slesvig og har prædiket dagen før. Der har været rygter i omløb om kurfyrst Christian (af Sachsen), som modsiges af hans eget edikt. Hilsen til 'vor herre og beskytter' (Caspar Hoyer); det vilde være godt og Gud velbehageligt, hvis han anordnede offentlig taksigelse for Ejderstedts mirakuløse bevarelse i de frygtelige storme, og han kunde også lade denne formaning gå videre til sin svigersøn, stilleren på Nordstrand. von Eitzen vil også skrive, til provsten i Tønder (Andreas Thomsen) om at tale med amtmanden der (Johann von der Wisch) om denne sag.

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio suo.

S. per Jesum. Reverende Domine et frater carissime, est jam apud nos Dominus M. Jacobus, et heri contionatus est in aula, sed quia Dominus Cancellarius non adfuit, ideo ipsius adventum expectat. Dominus Jesus det bona et salutaria consilia. Rumorem sparsum de Illustrissimo Principe Electore Christiano refutat ipsum edictum, quod mihi ante paucos dies ostensum est; sit Deo laus et gratia. Oro, ut salutes reverenter Dominum et Patronum nostrum communem, et judico omnino esse pium et Deo gratum, ut sua Magnificentia mandet agi publice gratias pro hac vere miraculosa defensione et conservatione provinciæ vestræ in hisce horribilibus tempestatibus. Si suæ Magnificentiæ placebit, poterit sua Magnificentia etiam carissimum suum generum, Strandia Præfectum, hujus etiam admonere. Ego quoque scribam ad Præpositum Tunderensem, ut cum Domino Præfecto ibi eadem de re colloquatur. Est omnino hæc conservatio aggerum miraculosa Dei benignitas, qua Deus de coelo testatur se velle nobis parcere, si egerimus poenitentiam. Ideo Deo debemus esse grati. Dominus Jesus te custodiat. Ora Deum pro me. Ex Slesvico 16. Decembris anno 88.

287

Magister Jacob Fabricius, Tønder, 28. januar 1589.

Tak til Pistorius for hans mange beviser på kærlighed, som har ført til, at Fabricius for nogle uger siden er blevet kaldet til hofpræst, skønt der var mange andre, der eftertragtede denne stilling og var bedre egnede, og for at have bragt ham i forbindelse med Caspar Hoyer, som beredvilligst havde givet ham lejlighed til en samtale og været ham til megen nytte. Hoyer prises i høje toner, og Fabricius glæder sig til at omgås mænd som ham og kansleren. Han håber at kunne vise Pistorius sin taknemmelighed og beder Gud om at gengælde ham, hvad han har gjort for ham, og give ham godt helbred og langt liv til kirkens vel.

XXXIX

M. Jacobus Fabricius Johanni Pistorio.

Salutem per Jesum Christum, Dei et Mariæ Filium, salutem nostram unicum et solam. Quantum, reverende et clarissime vir, amice et fautor plurimum colende, quantum, inquam, me diligas, cum jam diu antea multis argumentis, **isque** maxime conspicuis, ostendisti, tum vel inprimis ante paucas septimanas, cum ad officium ecclesiastæ aulici ab Illustrissimo et clementissimo nostro Principe et Domino clementer vocatus, mei honorifica mentione facta, me ad id accersitum maluisti. Duplex vero potissimum hic singularis tuæ in me propensionis indicium minime obscurum. Primum quidem, quod cum multis de causis istas partes suscipere recusasses, tibi me substitui optasti. Hic sane multa sunt, quæ admirationem et celebrationem summæ tuæ virtutis flagitant. Honori tuo voluisti deesse, ut meæ promotioni **servires**; tuum commodum negligis, ut meum quæras; tuo loco acquiescis, ut me ad celebriorem evehas. Quid, quod eo ipso manifeste indicas nos temetipsum nullum tibi esse cariorem me, magno summi amoris argumento? Taceo, quod ad id officium, cui administrando præclarissimæ quæ in te sunt dotes, pietas, inquam, eruditio, experientia, humanitas, eloquentia ceteraque omnia sufficiebant, post te proxime me eligi petiisti, cui rei certe hæc tacita est significatio, quod

excellentissimorum horum donorum, quæ divinitus tibi contigerunt, vel
umbram aliquam benignitate Patris coelestis mihi contigisse, state
denique et usu accrescere posse existimasti. Non queo omnia verbis
exorimere, quæ mente concipio huic tuæ optimæ voluntati inesse, quod
partes tam augustas tibi oblatas ad me devolvi suasisti. Illud vero,
quod alterum est, præterire minime possum: vehementer me mihi gratu-
lari, quod tantopere te mihi amicum faventemque clementissimus Deus
effecerit, ut me unum, unum dico me, nominare volueris, cum præter
me alii plurimi in tot hisce ecclesiis essent, qui et magno conatu
eo contendissent et ad onus tantum aptiores fuissent. Quod si nihil
aliud hoc inso effectum fuisset, hoc saltem tuum de me iudicium coram
viris inprimis principibus et illustribus tanti beneficii loco omnino
existimare debuissim, cui referendo vires nullæ pares fuissent.
Neque enim manifestius præclarissimæ tuæ de me spei testimonium
posteritati omnique statui relinquere potuisti. Ad illud venio, quod
magnum est et omni meo merito speque majus, illud, inquam, quod
Magnificum virum D. Casparum Hoyerum, excellentissimum Illustrissimi
nostri Principis consiliarium et inclitum vestræ provinciæ præfectum,
mihi conciliasti. Non enim tantum ad colloquium libenter me admisit
Magnificentia ejus, verum sponte se obtulit multisque, imo omnibus
modis in hoc negotio mihi profuit, de quo honestissimo et nobilissimo
viro vix habeo, quod dicam, nisi hoc, quod vix persuaderi antea
potuissem negotiis aulicis et gravissimis gubernationis oneribus
occupatos tales tantosque esse aliquos posse. Tanta est D. Caspari
eruditio in literis omnibus, tam excellens et maturum de pietatis
questionibus omnibus iudicium, tanta orationis copia, ubertas,
venustas, tanta humanitas morumque mista gravitati suavitas, ut an
parem habeat dubitem, superiorem vero desperem. Omnino tantus vir est,
ut ex animo a nobis omnibus Deum orandum assiduis et pressis gemi-
tibus censem, servet nobis eum una cum clarissimo D. Cancellario,
viro etiam omni celebratione majore, diutissime salvum et incolumem
ad nominis sui gloriam, divinæ veritatis propagationem, Illustrissimi
nostri et laudatissimi Principis commodum omniumque subditorum
salutem. Ad quæ omnia quantum pius, prudens fidelisque consiliarius
conferat, quid attinet dicere? Dicam aperte, quod sentio, mi pater
et frater: vehementer mihi gratulor, quod tantos viros videre
loquentesque audire jam paulatim liceat. Quæ enim omnia in libris
tanquam mortua sepultaque cognoveram, in eis tanquam vivis exemplis
contemplor. Et puto tantorum hominum congressu die horæ una plus
me discere quam diutino alias labore. Ad te vero redeo, qui horum
omnium et auctor et dux exististi, gratias tibi obnixè et submisse
agens, quod majora tibi et aliis quoque viris præclaris de me, quam
revera sunt, polliceri voluisti, pro quo beneficio tibi omnem meam
gratitudinem defero. Et ut primum honeste de sentiendo et coram aliis
tua in me merita prædicando non sim meo officio defuturus, ita dabit
Deus occasionem, spero, quo re ipsa aliqua saltem ex parte me gratum
esse voluisse ostendere possim. Novi, quod scribam, nihil est. De
libris enim editis (neque enim fere alia soleo habere, quæ scribam)
puto tibi ex catalogo constare. Deum optimum maximum oro, ut tuum in
me amorem et propensissimam voluntatem largissima remuneratione
compenset, in eadem te conservet et ad ecclesiæ tum publicæ, tum
privatæ, tum suæ, tum tuæ salutem et emolumentum Nestoreis te beet
annis et valetudine firma. Conjugem tuam, filias et affinem omnesque
mihi notos meis verbis amanter salutabis. Festinationi et incultæ
ruditati veniam dabis, neque enim vel semel relegere licuit. Tunderæ
28. Januarii anno 89.

Magister Jacob Fabricius, Slesvig, 19. marts 1589.
 (Dateringen i håndskriftet er onsdag efter 5. s. i Fasten (5. april) 1587, men årstallet er åbenbart en skrivefejl, som brevets indhold og alle foregående breve fra Fabricius fra og med 1587 viser.)

Fabricius slægtning Laurentius Dithmersen (en fætter til Fabricius' mor og morbror til Niels Hansen Meldvad) har brædt hilsen og gode efterretninger fra Tetenbüll. Fabricius er med familie og bohave flyttet til Slesvig. Han sender Pistorius to bøger, en ved Peucer og en anden med den hebraiske og kaldæiske bibeltekst skrevet fra venstre til højre(!).

XXIIII

M. Jacobus Fabricius Johanni Pistorio S.

Reverende et clarissime vir, Domine et amice colende, pergratus mihi accidit adventus cognati mei D. Laurentii Dithmari, qui cum alia multa coram dissereret, tum salutem a Tua Dignitate mihi nuntiavit recteque omnia apud vos habere significavit. Ego vero pro salute communicata gratiam habeo, et quod omnia salva sint gaudeo. Res nostræ quo loco sint, jam Tuæ Dignitati innotuit. Quia enim ita visum fuit Patri clementissimo tua imprimis auctoritate, opera, suavis, consilio me advocari, cum tota familia et supellectile huc commigravi. Regit ita omnes actiones laborosque nostros idem, qui fecit, qui voluit, qui gubernavit, ut gloria divini nominis augeat, salus ecclesiæ crescat, multorum hominum commodis consulatur, tum vero consilium magis magisque indies probetur, increbrescat, placeat. Quod superest, mitto ad Tuam Dignitatem scripta duo, alterum manu scriptum Peuceri, missum ad me a M. Valentino Schachtio, professore Rostochiensi. Dominus Superintendens cum perlegeret, multa induxit, enotavit notis quibusdam ad marginem signatis, id data comoda occasione quamprimum Tuæ Dignitati remittet. Nam ubi licebit Rostochium scribendi occasionem nancisci, ad Schachtium, ut per literas a me petiit, remittendum erit. Alterum habet speciem novi operis Biblici Chaldæi et Ebræi, in quo textus a sinistris ad dextram, præter consuefum, legi possit; id etiam data occasione ad nos redibit. Hæc raptim subitoque exarata Tua Dignitas benigne accipiat mihique favere non desinat. Deus benignissimus Tuam Dignitatem ad nominis sui gloriam ac ecclesiæ tum publicæ, tum privatæ incolumitatem diutissime salvam velit. Sleswig die Mercurii post Judica anno 87(!).

289

Samme (som XL, nr. 277, Jacob Fabricius), Slesvig, 16. juli 1589.

Erkebiskop af Bremen og biskop af Lübeck (Johann Adolf) opholder sig sammen med en hertug af Braunschweig og Lüneburg på Gottorp, og (enke-) hertuginde (Christina) ventes dertil. Fra universiteterne: I Tübingen har man skrevet om brugen (af nadveren) som svar på et skrift med Hoffmanns navn; Jacob Andrea har udgivet et lille skrift om ubikviteten (1583 havde han udgivet et udførligere skrift om samme emne); superintendent Daniel Gresser i Dresden har nedlagt sit embede; Selnecker er blevet afsat; Mylius i Jena nyder stor anseelse. At Pistorius' kollega er blevet så længe borte, har sin grund i, at amtmanden (Kaj Rantzau) i Åbenrå har været bortrejst i flere uger. (Dithmers besøg i Åbenrå har sikkert nok stået i forbindelse med hans forestående udnævnelse til sognepræst i Løjt; se nr. 290.)

Alia ejusdem.

S. Reverende et clarissime vir, oblata hac occasione commoda non potui committere, quin literis meis te compellarem. Fuit in aula Illustrissimi nostri Principis nunc in quartam usque hebdomadam Illustrissimus Archiepiscopus Bremensis et Episcopus Lubecensis una cum quodam Duce Brunsvicensi et Lunæburgensi. Clementissima nostra Princeps ac Domina aut hac, aut futura septimana, Deo dante, huc ventura est; dies latet. De rebus academicis hæc: Tubingenses scripserunt de usura, responderunt chartis sub Hoffmanni nomine editis. Jacob Andreae breve de ubiuitate scriptum vulgavit. Daniel Gresserus superintendens Dresdensis officio abdicatus est. D. Selneccerus paulo ante festum Pentecostes remotus aut, ut benigni interpretes volunt, rude donatus est. Collegit rationes aliquot, cur orthodoxi ecclesiæ doctores non possint bona conscientia Calvinianorum nomen pro conatione suppressere; typis excusæ non sunt; habet eas D. Georgius, filius pastoris Gardingensis. Primo dimissus fuerat, sed Elector jusserat eum manere, quod se nesciente renuntiatum ei fuerat. D. Mylius Jhenæ in summa est gratia et auctoritate ac frequentissimum habet auditorium. Publicavit orationem de migrationibus sanctorum hominum in auspicio prælectionum theologicarum Jhenæ habitam 10. Februarii anni hujus 89. Hæc hactenus. Laurentium collegam tuum tandem a vobis et nobis abesse miror, sed causa est absentia Satrapæ Apenradensis, qui in Dania jam septimanas aliquot peregre abest. Utrum ad te scripserit, ignoro. Facit tamen amicitia nostra, ut amanter orandum te putem, ne ægre feras tanto illum tempore ab officio suo abesse. Nam ita vivam, ut illius culpa non sit. Plura in hanc sententiam scriberem, si non prorsus existimarem te pro tuo candore et æquitate facile veniam illi dare. Deum oro, ut familiæ tuæ toti clementer et benigne benedicat. Mea officia qualiacunque nunquam tuis deerunt. Raptim Sleswigæ 16. Julii anno 89.

290

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 15. august 1589.

Pistorius' kollega har fået sognepræsteembedet (i Løjt, se ovenfor). Da Pistorius således mangler en god efterfølger, anbefales en ikke navngivet ung mand ved skolen i Slesvig, som ønsker at blive præst og gerne vil begynde hos Pistorius, selv om han skulde gøre det uden løn, da han kan klare sig selv med de midler, han har.

XLII

Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio suo.

S. per Jesum. Reverende Domine et carissime frater, gaudeo ex animo, quod collega tuus vocationem adeptus est. Dominus Jesus ipsi adsit cum gratia Spiritus Sancti. Amen. Cum autem indigeat Tua Dignitas et ecclesia tua successore bono, idcirco, si nondum aliquem vocastis, fraterne Tuæ Dignitati significo, quod in nostra schola vivit studiosus doctus, qui aliquot annos vixit in academiis et est natus in Holsatia ex bonis parentibus et bona cognatione habetque ætatem justam; ejus parentes una cum ipso nihil magis optant, quam ut apud Tuam Dignitatem ministerium ecclesiasticum cum gratia Dei et auxilio inchoare possit. Stipendium amplum non quærunt, nam etiamsi gratis serviendum esset; tamen mallent eum apud Tuam Dignitatem esse quam alibi. Satis enim sumptuum habet, Deo dante, ex propriis. Si locus

apud Tuam Dignitatem adhuc vacans est, curabo ut quamprimum ad Tuam Dignitatem veniat, ut coram videri et audiri a Tua Dignitate possit. Parentes promittunt Tuæ Dignitati summam gratitudinem. Et ego, quantum fieri poterit, ut a Tua Dignitate in gratiam bonorum parentum et totius honestæ cognationis vel ad unum, vel ad duos vel tres annos [recipiatur], ut ex illo exercitio possit ad alium locum cum Tuæ Dignitatis commendatione promoveri, obnixè oro. Reverenter et officiose saluto nostrum communem Dominum patronum. Dominus Jesus Tuam Dignitatem cum omnibus tuis custodiat. Amen. Ex Slesvico 15. Augusti anno 89.

291.

Georg Crusius, Kotzenbüll, 10. januar 1590.

Crusius har modtaget kirkeregnskabet, efterprøvet det og skrevet det af. Provsten bedes bestemme tid og sted for sit eftersyn af samme.

XLIII

M. Georgius Crusius d. Johanni Pistorio Præposito.

S. per Jesum Christum. Reverende et doctissime D. Præposite, tandem, et vix tandem, Johannis Volcquardi libellum acceptorum et expensorum reddituum ecclesiasticorum nostræ paroeciæ accepi, ad calculos vocavi et descripsi. Quare nostri ædiles rogant Tuam Dignitatem, ut diem supputationis indicere non gravetur. Ad eum diem præsto erunt, Deo auxiliante, vel domi Tuæ Dignitatis, vel in ædibus meis, si grave et molestum Tuæ Dignitati id futurum non esset. Quam ob rem Tuæ Dignitatis arbitrio locum tempusque putandarum rationum, ut par est, committentes responsum hodie expectamus, ut cras finita contione ædilibus convocatis eos de Tuæ Dignitatis consilio et voluntate faciam certiores. Vale, reverende Domine Præposite. Cotzenbüllii 10. Januarii anno 90.

292

Jacob Fabricius, Slesvig, 10. marts 1590.

Kondolenceskrivelse i anledning af, at en slægtning til Pistorius er død. - På Pistorius' bøn har Fabricius overrakt hertugen en myrdet mands slægtninges bønsskrift, skønt han ellers ikke vil have noget med den slags ting at gøre.

XLIIII

M. Jacobus Fabricius Johanni Pistorio S.D.

Reverende et clarissime vir, magno cum dolore literas tuas, quarum lectione alias plurimum afficior, perlegi vehementerque tecum lugeo consanguinei tui interitum. Deum autem oro, ut vera et efficaci Spiritus sui consolatione te reficiat et omnes illos, qui tecum dolent. Et certe non levis consolatio est, quod pio et placido veroque beato exitu hanc vitam reliquit. Mali igitur illi in morte nil accidit, quia non amissus, sed in vitam coelestem præmissus est. Flagitationi tui obtemperans adjutor fui supplicantibus, ut negotium suum Principi coram exponere possent. Venerunt ad nos pridie Invo-cavit. Quia autem Illustrissimus et optimus meus Princeps ad Sacram Coenam ista Dominica accedere constituerat, non potui duobus istis diebus Celsitudini ipsius hoc negotium insinuare. Me enim tanquam verbi ministrum decebat potius aliis meditationibus occasionem præbere. Hesterno vero die, qui dies Lunæ erat, ad vespertinam quartam expectaremus, cumque ejus Celsitudini negotium aperissem, vocavit ejus Celsitudo ad se patrem interfecti astantem atque ex ejus

manu codicillos supplices accepit, quod tuæ literæ volebant. Alterum quoque in contionibus non negligetur. Feci hoc, quod petisti, tuo rogatu inductus. Nam alioquin omnino liber ab isto officio, supplicationibus nimirum offerendis ac supplicantibus Principi commendandis, esse volo. Nam non tantum hoc officii mei non est, sed et ab illo alienum. Tum ecclesiarum harum afflictissima ratio cogit me invitum, ut frequentius quam velim Principem meum interpellare necesse habeam. Novit etiam Magnificus Dominus Præfectus, quam offendatur Princeps noster, si quis velit literas supplices aliorum offerre, cujus partium id non sit. Rectissime enim judicat hæc officia debere esse distincta ac polypragmosynem vitandam. Quod superest, Deum benignissimum oro, ut gratia sua tibi adsit et omnibus tuis benedicat. Amen. Sleswigæ die Martis post Invocavit anno 90.

293

Georg Crusius, Kotzenbüll, 25.marts 1590.

Den følgende dag vil der hos Crusius blive afholdt et teologisk konvent, ved hvilket han vil recitere et digt om foreningen af de to naturer i Kristus. Pistorius bedes være med, deltage i samtalen og en efterfølgende frokost.

XLV

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum, qui in utero Virginis Mariæ hodie conceptus per dies 276 usque ad 25. Decembris in claustrum pudoris delituit, humanam naturam divini univit vere unitamque servat et sustentat perpetuo,

quo nobis certo est foedere parta salus.

Reverende D. Præposite, observanter et studiose colende D. Pastor, cras elegiacum carmen, Deo volente, sum recitaturus de unione duarum Christi naturarum in personam hypostaticam ejusque causis et effectibus. Quare rogo Tuam Dignitatem, ut crastina nona antemeridiana sis domi meæ præsto atque theologicum conventum et colloquium vacillans ornas et fulcias prandiumque nostrum sale pii et eruditi sermonis condias. Hoc a Tua Dignitate ut indubitate expecto, sic etiam atque etiam obnixè rogo. Cotzenbulii die Annuntiationis Mariæ anno 90.

294

Paul von Eitzen, dr.theol., Slesvig, 7.april 1590.

Af Peter Bokelmann (d.Y.) har von Eitzen modtaget Pistorius' brev og gjort som ønsket; han beder om, at Bokelmann må blive til nytte for kirken og for Pistorius en lydig kapellan. - Jacob Andrea er død, Selnecker lever som privatmand i Magdeburg; således går glansen af den tvedrægtige Konkordiebog. - Pistorius bedes minde Theodor (Grave) om en bog om Kristendommens Sandhed. Peter Bokelmann skal ofte formanes til ikke at ringeagte Melanchthons Loci og Examen, for han læser slet ikke disse bøger.

323

Paulus ab Eitzen, Sacræ Theologiæ Doctor, Johanni Pistorio, fratri suo carissimo.

S. per Christum. Reverende Domine Præposite, literas tuas a domino Petro Bokelmanno accepi, et quod petebatur, feci in nomine Domini

Jesu Christi, quem oro, ut donet ipsi gratiam Spiritus Sancti, ut sit utilis ecclesie et Tuæ Dignitati obediens in dilectione filiali et studio pacis. Novi hic nihil habemus, nisi quod calamitas ecclesiarum Germanicarum Jacobus Andrea mortuus est, et Selneccerus privatam vitam agit Magdeburgi; ita transit paulatim gloria libri discordie concordie. Dominus Jesus cernet nos in veritate verae fidei, ut simus unum in ipso. Amen. Bene vale, carissime frater. Ex Sleswico feria 3. post Judica anno 90.

Carissime frater, cum veneris ad Dominum Magistrum Theodorum, Pastorem Tonningensem, rogo ut admoneas eum de libro Veritatis Christianae Religionis, quem nondum accepi.

Carissime frater, necessarium est, ut Dominus Petrus Bokelmannus admoneatur saepe, ne Locos et Examen reverendi Domini Philippi contemnat. Nihil in libris istis legit.

295

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 27. april 1590.

Et bønskrift fra Simon Lambert sendes til Pistorius, da det i første instans vedkommer ham. En påmindelse om den i 294 nævnte bog. Teologerne i Hamburg vil svare på, hvad Bremenserne har tilskrevet dem.

XLVI

D. Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine Praeposite et frater carissime, mitto ad Tuam Dignitatem supplicationem Simonis Lamberti, idque facio cum consilio Magnifici et nobilis Domini Praefecti, nostri communis Mæcenatis. Causa enim in prima instantia ad Tuam Dignitatem pertinet. Ego nondum possum ex mea imbecillitate eluctari. Dominus faciat mecum secundum bonam suam voluntatem. Ipsi te cum omnibus tuis commendo. Si occurreret tibi Dominus Pastor Tonningensis, rogo libri sis memor. Novi nihil habemus, nisi quod hodie ex D. Magistro Jacobo intellexi Hamburgenses theologos velle respondere ad scripta ipsis a Bremensibus missa, quæ ego non vidi. Dominus servet nos in unitate et veritate fidei. Amen. Ex Sleswico postridie Quasimodogeniti anno 90.

296

Johannes Hamer, Husum, 6. juni 1590.

Indbydelse til Pistorius med familie til Hamers datter Saras bryllup med Paul Lund den 28. juni.

XLVII

M. Johannes Hamerus Joh. Pistorio S.

Honorabile conjugium inter omnes, et cubile impollutum. Scortatores autem et adulteros judicabit Dominus. Non immerito Apostolus, reverende et clarissime vir, amice et frater in Christo colende, conjugium in maximo honore ac pretio habendum judicat, cum totam Divinitatem auctorem habeat et in eum finem institutum sit, ut Deum mentem castam agnoscamus, homo laborum ac studiorum suorum adjutorium habeat, legitime genus humanum conservetur ac propagetur, ex eo colligatur æterna ecclesia et singuli Deo propagatione liberorum cultores suo loco relinquunt, denique ut remedium sit adversus vagas libidines, quas Deus presentibus et æternis poenis punire solet. Hinc patet conjugalium vitæ honor et dignitas. Imo ipsæ gentes hunc statum maximi

fecerunt, ut ex historiis, poetis et legibus liquet, maxime vero ex illa egregia Metelli Numidici sententia: Si, inquit, sine uxore possemus esse, omnes ea molestia careremus. Sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, salutem perpetuam potius quam brevi voluptati consulendum est; auctor Gellius lib. 1 cap. 6. Et Cicero, oratorum parens, 1. Officiorum ex Aristotele inquit: Conjugium est principium urbis et quasi reipublicae seminarium. Diabolus vero, hostis operum Dei et legitimae conjunctionis, quae Dei nomine et auspiciis sancitur, hunc sanctum et divinum ordinem multis modis commaculare impuroque celibatui postponere per sua organa conatur. Sed ut decus casti conjugii pristinam suam dignitatem retineat et a probro contumeliaque Satanae vindicetur, Deus ipse suum ordinem tuetur et conservat cuique suam ordinariis mediis adducit conjugem et, ut caste in conjugio vivant, copulat et jungit, sicut in principio hic primus paranympus Evam Adamo, Rebeccam Isaaco, Rachaëlem Jacobo et Saram Tobiae conjunxit. Et si prospere omnia succedere debent, fieri non potest, nisi Deum pronubum habuerint, cujus divina dispensatione factum non dubito, quod filiam meam Saram, consensu et consilio eorum, quorum consensus requirebatur, condiderim ac docto, pio, honesto ac modesto adolescenti Paulo Lundt, ex honestis et piis parentibus nato, desponderim. Cum autem juxta solennem ecclesiae ritum, Deo favente, Dominica 2. Trinitatis, quae est 28. Junii, nuptiis dictus ac constitutus sit dies, Tuam Dignitatem, reverende ac clarissime vir, pro mutua inter nos familiaritate oro et obtestor, ut pridie ejus diei, quo nuptiarum sollemnitas inchoabitur, cum conjuge et liberis comparere, in hoc actu inchoando conficiendoque vera cum nominis divini invocatione pro felici conjugio sponsae sponsoque praesto esse, honorifica tua et tuorum praesentia has nuptias ornare atque epulis nuptialibus una cum aliis Dominis ac amicis perfrui, hilarem ac lubentem in filiae meae nuptiis se praebere non dedignetur. Feceris hoc ipso officio, quod ego maximi beneficii loco habiturus sum, te non indignum, Deo ac sponsis rem gratissimam, et quod omni officiorum genere vicissim promereri studebimus. His Tuam Dignitatem cum omnibus tuis tutelae ac patrocinio Dei optimi maximi commendo. Husiae 6. Junii anno 90.

297

Professor Oventus Günther, Helmstedt, 16. juni 1590.

Angående Pistorius' søn Theodor, som det går bedre med end før, i alt fald hvad god vilje angår. Günther håber, at han med et fast forsæt vil overvinde sit ustyrlige sind; han viser ikke mere modvilje mod professoren og spiser endda hos ham. Pistorius bedes sende det beløb, hans søn skylder ham, i alt 12 daler.

XLVIII

M. Oventus Guntherus, Professor Aristotelicae doctrinae in Academia Julia Helmstadii, D. Johanni Pistorio S. D.

Reverende Domine Pastor, amice et frater colende, si tibi ac tuis bene est, gaudeo pro eo ac debeo plurimum. Postquam filius tuus mihi facultatem tibi scribendi monstravit, hactenus mihi semper ignotam, intermittere non potui, quin tibi scriberem, inter plurima vero illud solum, quod unum scire tibi in votis scio: Filius tuus valet et vivit, et quidem rectius quam ante, si non plane actu, saltem προαιρέσει; spero eum impotentiam animi certi propositi armatura superaturum. Ejus rei argumentum inde capere tuae paternae sollicitudini licet, quod

non modo, ut prius, conspectum meum reformidet, sed familiarem se mihi gerat ac communione mensæ meæ, quod hactenus noluit, utatur. Si quid eidem monendo informandoque prodesse potero, non tuis votis nec meo officio deero. Spero hæc præclara humanitatis semina in segetem, data non plane sterili solo, cum aliqua fruge enascitura. Laborem enim bono animo susceptum scimus nunquam inane esse. Si meministi, scripsi aliquando de pauculis nummis, quos mihi debere ex mutuo ceperat partim, partim etiam pro necessariis vitæ subsidiis aliis; inde mihi adhuc restant 4 taleri, 8 præterea pro mensa. Si mihi obsignatas pecunias mittas, factura erit Tua Humanitas, quod rectum est. Nam quod meum est, inde capiam, residui ero frugalis illius dispensator. His vale, et statum patriæ mihi significes oro. Si non graveris Hoyerum, Præfectum vestrum, salutare, esset mihi gratissimum. Helmstadii 16. Junii anno 90.

298

Nicolaus Albinus, Lüneburg, 20. juli 1590.

Følgebrev til et brev fra Pistorius' søn Theodor i Helmstedt, som en brevbærer har bragt til Lüneburg, hvor han er blevet opholdt, så han ikke har kunnet bringe det videre og aflevere det til faderen.

XLIX

Nicolaus Albinus d. Johanni Pistorio εὐπρόσπευ.

Reverendissime et doctissime D. Pastor, habes hic literas filii tui, quæ te haud dubie tum de statu filii, tum totius academiæ certiore facient, quas tabellarius Helmstadensis huc usque pertulit, eo quidem animo, ad Tuam Dignitatem ut ipse percurreret ex sententia dilecti filii. Verum certis et gravibus retentis causis etiam atque etiam orat et obtestatur, hoc ut sibi condones et perspectæ filii voluntati ex literis oblatis respondere digneris. Eam certe de Tuæ Reverentiæ filio injecit expectationem et spem, ut non tenere mihi minime vulgaria de ipso polliceat; proinde tuarum erit partium non deesse ipsius studiis. Bene et feliciter vale. Lunæburgi 20. Julii anno 90.

299

Christopher Prætorius, kantor og musiker, Lüneburg, 3. november 1590.

Pistorius' søn har været to år på universitetet i Helmstedt, men har nu i nogen tid opholdt sig i Lüneburg, hvor han har brugt sin tid til nyttig læsning. Prætorius vil ikke råde til, at han vender tilbage til Helmstedt, hvor ungdommen ødelægges ved tøjlesløshed; Wittenberg vil han heller ikke anbefale, da Calvinismen indsniger sig der, lige så lidt Leipzig, hvor det samme er tilfældet, Jena ikke på grund af mangel på alt og den store afstand. Derimod vil han råde til Frankfurt an der Oder med den himmelske læres renhed, streng disciplin og ærbare sæder.

L

Christophorus Prætorius Silesius,
Cantor et Musicus Lunæburgi antiquus, Johanni Pistorio S.D.

Reverende et doctissime vir, cum ab eo tempore, quo primum filius tuus huc literis ac moribus imbuendi gratia missus esset, qualemcunque ipsius curam habuerim, nec non de ipso optima quæque mihi pollicitus ipsi studiisque suis consultum semper voluerim, idcæ ideo et quod

in illo ingenium a studiis non alienum indolesque haud illiberalis elucere, et quod tum temporis colendissimo meo affini D. Johanni Danckwers (piæ memoriæ) a Reverentia Tua commendatus esset, ipsi cohabitaret; optime jam factum existimo, quod majores sumptus filii causa Reverentia Tua fecerit ipsumque in Julia Academia per biennium sustentari paterne procuravit. Cum autem jam denuo Helmstadio discedens nuper hic Lunæburgi substituerit ac aliquandiu commoratus fuerit, ipsius conversatione admodum delectatus sum, ac ita quidem, ut Reverentiæ Tuæ de ipsius in studiis profectu merito gratulari debeam, quod sane expertus (citra ullam dubitationem dictum velim) attestor, cum quotidie me accedere soleat meisque libris (quos libenter ipsi communicavi) usus fuerit, ut neque hoc tempus, quoad hic commoratus est, inutiliter consumserit, quare cum facile mihi constet illum ita, ut coepit, perrecturum. Helmstadium ut revertatur, non sum auctor, non ideo, quod academiæ notam inurere velim, sed quod vitæ dissolutione et licentia nimia juventutem ibi corrumpi ipse coram viderim. Maxime igitur ipsi ex usu foret, si ad aliam quandam academiam, et quidem celerius, mitteretur. Witebergensis Academia propter Calvinismum irrepentem mihi non probatur, et Lipsensis eandem ob causam, neque Jhenensis propter omnium rerum caritatem locique distantiam, sed ad Francofortensem ad Oderam suaderem, quam propter doctrinæ coelestis puritatem, disciplinæ severitatem morumque honestatem et alias circumstantias ceteris præfero. Ad hanc igitur si filium mitteres, ad quam et affinis meus Ludolphus Danckwers ac cum eo meorum discipulorum non pauci me auctore et suasore nuper missi sunt, operæpretium te facturum plane mihi persuadeo et tibi affirmo. Hæc ideo, quod dilecto filio tuo studiisque ipsius honestis bene cupiam, ad Reverentiam Tuam scribere volui etiam atque etiam rogans, ut Reverentia Tua quæ in rem filii tui scripta sunt, boni consulat meque ignotum in numerum amicorum suorum recipere dignetur. Bene valeat Reverentia Tua in Christo. Datæ Lunæburgi 3. Novembris anno 90.

300

Caspar Hoyer, Hoyerswort, 28. december 1590.

Et af superintendent Paul von Eitzen udfærdiget mandat skal snarest bekendtgøres af præsterne. Hoyer får stadig rykkerbreve for penge, der skyldes skolen i Husum, og Pistorius bedes sørge for, at disse indbetales snarest. (Årstallet 1591 forstået som det nye kirkeår.)

LI

Caspar Hoyer Joh. Pistorio S.

Accepi literas tuas, mi Pistori, et cum eis mandatum ad provinciæ hujus pastores manu D. Superintendentis D. Pauli ab Eitzen exaratum hoc ipso momento, et paucis respondeo, siquidem occupationes meæ literarum prolixitatem vetant. Itaque D. Doctoris piæ voluntati astipulor atque hortor, ut primo quoque die decretum ipsius per conditionatores publicetur, ut eum, quem decet et par est, effectum sortiatur. De pecunia scholæ Husensi debita Indies monitoriales literas ad me mittunt Husenses. Ut itaque ea primo quoque tempore expediatur, te etiam atque etiam rogo. Deinceps tecum et cum reliquis deliberaturus de rationibus ejus pecuniæ pro nostris scholis retinendæ, siquidem hoc æquitati consentaneum existimem. His te cum tuis recte valere jubeo, et vobis omnibus currentis jam anni felicitatem optans. Uxor mea, quæ jam, Deo gloria, revalescit, te et uxorem tuam salutat

et omnia felicia vobis precatur. Hoyerwordia calamo festinante die Innocentum anno Christi 1591.

301

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 17.januar 1591.

En stedsøn af hr. Peter Momsen er på Pistorius' og Tønning menigheds anbefaling blevet eksamineret og ordineret af von Eitzen. (Det må antages, at han skulde være kapellan i Tønning, og den nye kapellan, som i 1590/91 fik embedet, var Andreas Lonerus. Forudsat, at det er ham, det drejer sig om, og at hr. Peter Momsen er den afdøde sognepræst i Tønning Peter Momsen, kan Andreas Lonerus kun have været dennes stedsøn i det tilfælde, at førstnævntes hustru Elisabeth, datter af Andreas Joedecken, har været enke efter Andreas Lonerus' fader Hermann Lonerus i Lunden, og Arends opgiver da også dennes hustru som en datter af Andreas Joedecken, men sætter spørgsmålstegn ved hendes navn Elisabeth.) - Pistorius har skrevet noget horribelt om 'fidusmageren Jacob Andrea'; von Eitzen takker Gud for, at han har bekendt sin uredelighed, hvis denne bekendelse ellers er sket i sand bodfærdighed. - Der nævnes endvidere et skrift fra præsterne i Bremen.

LII

D. Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine Præposite, privignum Domini Petri Momsen a Tua Dignitate et paroecia Tonningensi ad me missum examinavi et ad sacerdotium ordinavi in nomine Jesu Christi, qui et ipsi et nobis donet gratiam Spiritus Sancti, ut maneamus in sermone Jesu Christi et in vera ac simplici fide vivamus et moriamur. Amen. Horrendum est, quod de Jacobo Andrea impostore scribis. Sit Deo laus et gloria, quod ipsemet suam fraudem est confessus. Utinam ea confessio facta sit in vera poenitentia et conversione ad salutem. Miror, quod de tuo judicio ne verbum quidem scribis super mea commonefactione de libro Bremensium contionatorum. Namque mox ut ab solveram, dedi filio meo Conrado exemplum, ut describeret et tecum communicaret, quod spero factum esse, et puto etiam, quod a te nobili et magnifico Domino Mæcenati nostro sit monstratum. Oro, ut accepta occasione de tuo judicio aliquid scribas. Precor tibi et omnibus tuis cursum hujus anni felicem et salutarem in Domino Jesu. Bene vale in Christo. Ex Slesvico die Anthonii anno 91.

302

Samme, Slesvig, 22.februar 1591.

En sag angående en kone, som har forladt sin mand, overvises til Pistorius i håb om, at denne sammen med stilleren kan få dem til at leve sammen igen.

LIII

Alia ejusdem.

S. per Jesum. Reverende D. Præposite, carissime frater, querela, quam hic Mummius de uxore desertrice adfert, ad Vestram Dignitatem in prima instantia pertinet. Ideo rogo, ut cum consilio incliti et nobilis Domini Præsidis, Mæcenatis nostri, tuum ipse consilium et opem in hac causa communices. Nam si accesserit auctoritas Domini Præsidis Provinciæ, intelligo facile posse huic malo inveniri

remedium, ut una in conjugio vivant et non distrahantur ab amicis. Bene vale, mi carissime Domine et frater. Slesvigæ postridie invocavit anno 91.

303

Samme, Slesvig, 17.marts 1591.

Tak for en afskrift. Efter Pistorius' ønske har von Eitzen anbefalet Pistorius' søn til (generalsuperintendent og professor i Frankfurt a.d.O.) Christopher Pelargus. - Om nogle afhandlinger.

LIIII

Alia ejusdem.

S. per Jesum. Carissime frater, magnas ago gratias, quod loca descripta ad me misisti, et vicissim mea officia defero. Filium tuum modestum et eruditum adolescentem commendavi, ut petivisti, diligenter Domino Doctori Christophoro Pelargo. Spero, quod commendatio ipsi sit profutura. Dominus Jesus regat Spiritu Sancto ipsius studia et vitam ad Dei gloriam et ecclesiæ ædificationem. Amen. Disputationes dedi vicino pastori legendas, quas suo tempore bona fide recipies. Bene vale in Christo, et Nobilem ac Magnificum Dominum Mæcenatem et patronum nostrum officiosissime salutari peto. Ex Sleswiga feria quarta post Lætare anno 91.

304

Magister Jacob Fabricius, Slesvig, 18.marts 1591.

Fabricius har haft et kort besøg af Pistorius' søn. Selv lider han af dårlig mave. Hans slægtning magister Albert (Meyer, Lindholm, Fabricius' hustrus morbroder) har været syg, men lever endnu.

LV

M. Jacobus Fabricius Joh. Pistorio S.

Reverende et clarissime vir, dici satis non potest, quam mihi fuerit et literarum tuarum et filii inprimis tui humanissimi adventus expectatus, literarum quidem, quod jamdudum eas expectabam de rebus vestris me edocturas, filii vero, quod illum videre, cum illo colloqui toto an.imo jam cupiebam vel tum, cum primum eum rediisse ex Domino Superintendente intellexissem. Sed ut fit, quæ maxime petimus, iis vix ac ne vix potimur. Ita præter omnem opinionem cum ad me venisset egoque ei reditum in patriam et felicem ad me adventum gratularer, hic ille mihi statim subjicit jam jam se ad vos cogitare, currum enim jam in promptu esse. Fieri itaque non potuit, ut, quod vellem, satiarem animum meum amicis cum illo colloquiis de rebus multis. Sed quia res aliter tulit, ferendum est æquo animo. Ego ipsi precor omnia fausta et felicia, iter tutum, progressum salutarem et reditum optatum. Res nostræ mediocriter habent. Ego hactenus cruditatibus seu $\kappa\alpha\chi\omicron\upsilon\mu\epsilon\lambda\lambda\alpha$ laboravi, neque dum ad me redii. Precibus vestris me studiose commendo. M. Albertus, affinis meus, ut scribunt amici, ægrotavit quidem autumno superiori, sed tamen adhuc vivit. Hæc cursorie, ut vides, manu citatissima. Conjugem liberosque tuos una mecum salute impartiunt tum mater, tum conjunx mea, Deumque oro, ut te ad suam gloriam ac ecclesiæ emolumentum cum filio omnibusque tuis diutissime faxit incolumem. Salutari ex me optarim amicos, D. Petrum et D. Sebastianum Gardingenses, D. Crusium Cotzenbulensem, D. Momse-nium in Oldenswordt, M. Theodorum Tønningæ aliosque mihi familiariter notos. Sleswigæ 18.Martii anno 91.

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 17. april 1591.

Om en i et vedlagt brev (som ikke findes) omtalt sag. Mere kan von Eitzen ikke skrive, da han er meget svag: han ønsker at blive bortkaldt i en sand tro og være sammen med Kristus.

LVI

D. Paulus ab Eitzen Senior Joh. Pistorio.

S. per Jesum. Reverende Domine, quid hic vir postulet, ex imposita epistola cognosces. Itaque non dubito, quin facturus sis, quod æquitatis ratio postulat. Ego prolixius non possum scribere, quia decimus climactericus cum magna imbecillitate incepit ante dies quinque. Dominus Jesus clementer me ex hac miseria evocet in vera fide, quia cupio dissolvi et esse cum Christo, cui te, mi frater carissime, cum omnibus tuis commendo. Ex Sleswiga Sabbato post Quasimodogeniti anno 91.

Ludolph Danckwert fra Lüneburg, Frankfurt a.d.O., 2. juni 1591.

Pistorius' søn Theodor er for nylig kommet til Frankfurt, hvor man vil hjælpe ham i studiet. Universitetets tilstand er nogenlunde med mange gode professorer og mange studenter fra nær og fjern. Her har den himmelske læres renhed sit sted. Især nævnes Pelargus. Sønnen Theodor studerer flittigt og fører et hæderligt liv.

316

Ludolphus Danckwerts Lunæburgensis D. Johanni Pistorio.

S.P. Etsi, vir doctissime, mea scriptione Reverentiam Tuam a studiis et occupationibus satis haud dubie gravibus detrahere et cicatricem amicitiae jam aliquandiu (nescio qua tempestate infelici, quibus imbribus adversis, silentio et velamine quasi obductæ) refricare vix audeam, tamen humanæ vitæ habita ratione semel, si non plus fata licuerint, semel inquam, scribere et cancellos verecundiæ transgredi placuit, si fortuna fortassis in tantum mihi faveret, ut rursus tuæ, vir doctissime, mihi apparerent literæ. Sed sine dubio cogitas tecum, quid animi habeam, quove tendam. Profecto merus amor tui me cogit et trahit ad hoc officium, qui unde profectus sit, facile conjectura tibi dictitabit. Ultro igitur dextre de meis hisce rapsodiis te judicaturum spero. Theodorus tuus, amicorum mihi proximus, nuper nobis se adjunxit, quem advenientem cum honore et amore excepimus, exceptum habemus fovemusque et benevolentia vera et sincera prosequimur in studiis. Academia hæc Marchica mediocriter floret et viris, quos nomen aliquod doctrinæ et literarum commendat, referta est. Studiosorum frequentia hic ampla. Veniunt hic ex Moravia, ille ex Transsilvania, hic ex Pannonia, ille ex Polonia, ex Saxonia, ex Silesia, hic Witeberga, ille Basilea, Lipsia, Helmstadio et ex aliis celeberrimis academiis. Puritati verbi coelestis hic ante omnia locus, quæ etiam indies (Deo sit laus) constanter defenditur, fovetur etc. Pelargus noster vere est pelargus in defendenda Christi veritate. Theodorus filius probe suum administrat munus discendo sedulo, vivendo sancte. Sed rogo, vir doctissime, ut epistolam hanc meam ruditer scriptam Reverentia Tua boni consulat et dextre de me judicet, Theodoro quia admonitore hoc periculum feci. Peto meis verbis plurimam salutem impartiat Tua Reverentia uxori et filiabus.

Valete in Christo Jesu. Dabantur Francofurti Marchionum 2. Junii
anno salutis reddita 1591.

307

Bernhard Horsten, Skt. Peter, 24. juni 1591.

Horsten har en vigtig sag, som han, hvis det er Pistorius belejligt, vil komme og tale med ham om. Hans hustrus broder vil gifte sig med en enke, som er beslagt med ham i tredje grad, og da der dertil kræves dispensation fra de gældende bestemmelser, bedes Pistorius om at udvirke en sådan hos stalleren.

LVII

Bernhardus Horstenius Joh. Pistorio.

Gratia, pax et misericordia a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Decreveram, reverende clarissimeque D. Compater, Præposite et Pastor dignissime, Gardingam adire hodie nullam certe aliam ob causam, quam ut daretur nobis colloquendi potestas cum de M. Oveni Guntheri inopinato adventu et festinantiore discessu vel abitu, tum propter aliam non levem causam. Sed quia de Tuæ Dignitatis adventu incertus essem et alia negotia me domi retinerent, mutavi illud propositum. Est autem negotium quoddam præ manibus, quod Tuæ Dignitatis consilium et auxilium requirit. Quare si Tuam Dignitatem cras domi futuram scirem nec molestum esset me eam accedere, cras vobis adessem deliberaturus vobiscum de illa causa, quæ quidem, ut tribus verbis indicetur, talis est: Uxoris meæ frater ambit viduam Hamken Peters piæ memoriæ, junctam sibi in tertio gradu affinitatis. Quia autem hic gradus a magistratu prohibitus est, nisi fiat dispensatio, et extent nonnulla exempla ejusmodi dispensationis, sperat se Tuæ Dignitatis opera et intercessione a Magnifico et tam nobilitate quam virtutibus eximio Domino Præfecto, Mæcenate nostro plurimum observando, licentiam contrahendi posse impetrare, qua spe si non frustretur, pro concessa licentia utrique se gratum futurum promittit. Rem divulgari propter suas cras Tuæ Dignitati revelandas causas non vellet. Et quia inconstantiam hominum hujus temporis plerorumque timet, ut quamprimum voluntas et licentia Magnifici D. Præfecti exploretur, petit, ne, dum spes ipsius lenta sit, id, quod petit, alter habeat, de qua re coram liberius colloqui possumus. Quare, reverende clarissimeque D. Præposite, pastor et compater dilectissime, uno verbulo significo, num integrum sit, ut cras accedam, nec ne. Vale, mi D. compater, et antiquum amando nos retine. Saluta dilectissimam costam et omnem familiam. Datæ ad S. Petrum die Johannis Baptistæ anno 91.

308

Paul von Eitzen Senior, Slesvig, 23. juli 1591.

David Chytraus beklager i et brev til von Eitzen, som han sender til Pistorius, menighedernes elendige tilstand. Desuden beder von Eitzen Pistorius om, i samråd med stalleren at hjælpe hans stedatters søn Paul Brüggemann (som næppe kan være nogen anden end den hos Arends nævnte; han kommer jo med nyt fra universitetet i Frankfurt, hvor han havde studeret) til et embede, når der bliver et ledigt.

D. Paulus von Bitzen Senior d. Johanni Pistorio.

S. per Jacum. Reverende Domine, carissime frater, iterum accepi a D. Doctore Davide Chytraeo literas, quibus miserabilem statum ecclesiarum deplorat et significat se nobiscum unanimum esse. Quare mitto tibi ipsius epistolam propria manu subscriptam, quae etsi ante Pascha est scripta, tamen praeterita Dominica mihi primum est reddita per tabellarium Lubecensem. Oro, ut bene servetur et ad me remittatur. Privignum meum filium Paulum Bruggemannum tuae Dignitati commendo orans, ut cum locus vacabit, velis eum cum consensu benigno incliti Domini Praefecti, communis nostri patroni, promovere. Francofortensis academiae statum (cum filius tuus nunc ibi commoretur) ex Bruggemanno cognosces. Bene vale in Christo Jesu, carissime frater. Ex Sleswiga 23. Julii anno 91.

309

Johannes Hamer, Husum, 10. februar 1592.

Nytårsønsker. Pistorius slagting Martini hustru er blevet forligt med menigheden og har modtaget Herrens nadver. Om kirketugtens håndhævelse i Husum i almindelighed og i dette tilfælde i særdeleshed.

LIX

M. Johannes Hamerus Johanni Pistorio.

Reverende ac clarissime Domine Praeposite, amice et frater in Christo carissime, quam initio tuae epistolae salutem mihi impartivisti, cum favore remitto toto pectore Deum orans, ut et tibi et toti familiae hujus anni auspiciis felix ac faustum sit. Paxit Deus, ut simus et maneamus vasa misericordiae suae, regat suo Sancto Spiritu nostra studia et totius vitae actiones, ut ipsi grata, nobis et ecclesiae salutaria dicamus et faciamus. Amen. Quae ad me de Martini cognati tui uxore scripsisti, scias omnia benigniter esse transacta. Cum a recepta ecclesiae nostrae consuetudine nullo modo recedere potuerim, vocavi Martinum et rationes meas ipsi exposui; is pro sua pietate non repugnavit, uxorem ad me misit, quae mihi pro consolatione gratias egit et sequenti Dominica cum ecclesia reconciliata sacra Coena Dominica usa est. Non soleo delinquentes inhumaniter tractare, invitos cogere aut afflictionem afflictis addere, absit hoc a me, sed consolationibus erigere et in viam reducere. Eo res, Dei beneficio, in nostra ecclesia rediit, ut publice delinquentes ultro se ad publicam confessionem offerant. Sane circumstantiae in omnibus actionibus sunt considerandae, quae actiones variant, nec in praesenti casu uno modo delinquitur. Ritus tamen publicus ideo non est abrogandus. Si ego hanc privatim, ut tu suades, alias vero publice, quod hactenus factum, absolvere vellem, quid de me fieret? Hoc tamen facio, et ibi locum habet ἐπιτάφια; si misera muliercula, ut haec fuit, negotium ecclesiae proponendum est, fit hoc alio modo, quam si mihi res est cum turpi scortatore, adultero, homicida aut alio facinoroso. Ferreus esset, qui non commiseratione afficeretur tam tristitia audiens et matris animum considerans, quae carissimum infantem amisit. Et mea narratio, cum ego deplorarem hunc tristissimum lapsum, multis excussit lacrimas, ut me vix continere potuerim, et preces fuerunt ardentiores. Non igitur dubito, quin talis confessio et absolutio Deo et angelis ipsius grata et ecclesiae salutaria sit. Simus, amice et frater carissime, nos ministri in tuenda disciplina diligentiores, praesertim

hæc ultima mundi senectæ, quod summe necessarium, ne nostra indulgentia peccandi studium et licentia augeatur. Petitiones tuæ semper apud me locum habuerunt et deinceps habebunt, quam diu vixero; id amicitia nostra vetus et sincera a me exiget, et utinam tibi et tuis ita gratificari possim, ut animus meus impense cupit. Quid hactenus bono et candido animo fecerim, etsi res non semper ex sententia successerit, testabuntur tui. Hoc unicum tantum peto, ne mihi imponantur talia, quæ salva conscientia a me præstari non possunt, quod in proximo nostro colloquio factum. Ego, qui dirimere lites studeo, novas faces incendere jubeor et de rebus incognitis testimonium ferre. Sed puto me juramento vobis satisfacisse. Fuit mihi durus paroxysmus, quod etiam socrus mea mihi objiciebatur, quod non debuisset fieri, cum ego contra tuos non deliquerim. Sed ista valeant; ad istas incursiones ego sum assuefactus, nullius igitur apud me sunt momenti. Maneamus nos in amicitia nostra constantes ad extremum usque spiritum, quæ Deo dante in vita coelesti perfectissima et jucundissima erit. Has literas citius ad te misissem, sed aëris inclementia tam diu eas apud me detinuit. Nova hæc quando legisti, quæso ut mihi remittas. His, Domine ac frater in Christo carissime, cum omnibus tuis felicissime vale. Ex Husem 10. Februarii anno 92.

310

Sebastian Meyer, Garding, 24. februar 1592.

Meddelelse om sønnen Christians, Pistorius' gudsøns, død; Pistorius bedes vise ham den sidste are ved begravelsen.

LX

Sebastianus Meyer, ecclesiastes Gardingensis, Johanni Pistorio.

Salutem per eum, qui propter peccata nostra traditus fuit et propter justificationem nostri excitatus est. Reverende ac clarissime Domine Præposite, amice et compater reverenter colende, Filium meum Christianum, quem Dominus Deus ex mera clementia 15. die Novembris anni 88 nobis dedit, hesterno die hora 9. vespertina abstulit. Cum autem anima ipsius apud Dominum in pace quiescat (talium enim, attestante ipsa veritate, est regnum coelorum), etiam corpus, quod vere templum Dei fuit, ad κοιμητήριον suum crastino die hora 12. deferri et piis ceremoniis terræ reddere constituimus. Quare te fautorem, Mæcenatem ac compatrem meum dilectissimum reverenter oro, ut illi, quem Christo Salvatori nostro unico ulnis tuis in sacrosancto baptismo obtuleris, et cui vivo summum officium exhibueris, etiam mortuo (quatenus ratione officii non remoratus fueris) extremum honorem præstare et tua præsentia exequias peragendas ornare non dedigneris. Hoc mihi erit tam gratum, quam quod gratissimum, quodque pro tenuitate mea libentissime promereri studebo. Vale feliciter et prospere cum tota familia in Christo Jesu. Amen. Gardingæ 24. Februarii anno 92.

311

Jacob Ursinus (Berndes), Wesselburen, 5. maj 1592.

Meddelelse om, at der er lyst to gange til ægteskab for Tetke Saxe af Tetenbüll sogn og Andreas Fabers datter Telsa; da der ikke foreligger nogen indsigelse mod dette ægteskab, kan de vies hos Pistorius.

Jacobus Ursinus, Pastor Wesselingburensis, Johanni Pistorio.

Salutem per Christum. Reverende Domine Præposite, præsens hic sponsus vestras Tetke Saxe nupturiens una cum sponsa sua Andream Fabri filia Telsa bina vice in frequenti ecclesiæ nostræ coetu proclamatus est, et preces pro felici conjugii auspicio petiit. Nemo autem comparuit honestum illorum institutum impediturus, nec nobis ministris quoque de ullo obstaculo constat, quominus copulari possint. Quare per nos licet, ut apud vos ritu publico sacri conjugii vinculo astringantur. Bene valeat in Domino Reverentia Vestra, meque infirmum in precibus sibi commendatum habeat. Ex Wesselingburen die 5. Maji anno 92.

312

Conrad Wobbius fra Lüneburg, Frankfurt a.d.O., 21. juni 1592.

Tilskyndet af sin ven, Pistorius' søn Theodor, vover Wobbius at skrive til den gamle Pistorius, som har vist ham faderlig velvilje. Ud over nogle gode ord om Theodor, indeholder brevet intet særligt.

LXII

Conradus Wobbius Lunæburgensis Johanni Pistorio.

Salutem a salutis fonte Jesu Christo. Bona te valetudine, vir doctissime colendissimeque, frui spero, et ut quam diutissime fruaris ea, a Deo suppliciter contendo. Etsi, vir clarissime, aliquoties animum induxi meum ad te aliquid literarum dare, tamen hactenus timor et pudor obstitere, quominus, quod animo conceperam, in actum produxerim. Timor quidem, quia conscius meæ tenuitatis et balbutiæ doctissimis tuis auribus, acutissimis oculis molestus esse rusticitate mea non ausus fui, judicio tuo limatissimo nugas meas pueriles et nullius momenti subjicere veritus fui. Pudor autem, quia audaciæ esse existimabam juveniculum senio et canis conspicuum virum, eundemque de facie ignotum, cum quo nullos unquam sermones, nullum verbum commutasset, scriptis molestare. Vicit tandem et timorem et pudorem meum incredibilis animi tui in me propensio et paterna quædam benevolentia, qua me complecteris. Quamvis etenim semel tibi visus et ex eo intervallum temporis haud exiguum effluxit, tamen tanto me amore complexus es, sive astrorum inclinatione, sive (cui potius adscribo) Dei optimi maximi voluntate, ut nomen meum memoria tua elabi minime passus fueris, sed in literis aliquoties ad filium Theodorum datis mei mentionem feceris. Stimulos currenti is mihi admovit. Quid enim ei recusem, qui mihi ob amorem, morum gravitatem, suavitatem vitæ, indolis specimen et virtutum nomina quam maxime commendatus est, et merito? Filium dico tuum, qui mihi jam dudum notus, pridem notissimus, familiaris antea, nunc familiarissimus, amicus per se, per parentem longe amicissimus. Quare etiam atque etiam oro, ut has meas literas sereno accipias vultu aut summam tuam erga me benevolentiam et amorem, tum filii tui adhortationes accuses. Statum nostræ academiæ sine dubio a filio cognovisti, quare hac prima vice brevior ero; alias, si Deus vitam concesserit, plura. Commendo hisce te cum tuis omnibus Deo optimo maximo, et ut me fovere et promovere non intermittas, oro. Vale. Scriptum properante penna Francofurti Marchionum 21. Junii anno 92.

Johannes Mumsen, Oldenswort, 7. september 1592.

Mumsen beder for en tidligere medelev i skolen, Henrik Aurifaber fra Rendsborg, om tilladelse for denne til at holde skole for børn i en landsby i Tetenbüll sogn i den kommende vinter, da børnene derfra vanskeligt kan besøge skolen ved kirken.

LXIII

Johannes Mumsenius, Pastor in Oldenswordt, Johanni Pistorio.

Salutem per Jesum Christum, Dominum nostrum. Meus olim, reverende Domine Præposite, condiscipulus Henricus Aurifaber Rensburgensis vehementer a me contendit, ut suo nomine pädagogiam in Sivertsfleeth vestra parochiæ exorarem. Cum itaque ex ipso intelligam habitantes ibi et in vicinia unanimi consensu pädagogum expetere, præsertim hoc tempore hiberno, quo liberi eorum difficulter scholam ad templum visitare possunt, majorem in modum Vestram rogo Reverentiam, ut hunc bonum virum promoveat et ei concedat per hanc hiëmem loco prædicto liberos erudire. Officium illud ita ego accipiam, quasi in me ipsum esset collatum, et pro virili compensabo. Vestra Reverentia valeat feliciter. Datæ Oldenswordiæ 7. Septembris anno 92.

314

Laurentius Dithmer, Løjt, 6. januar 1593.

Dithmer takker Pistorius for alt godt i de henved syv år, han havde været kapellan hos ham, og for, at han havde hjulpet ham til embedet i Løjt (1589). Han beder om undskyldning for, at han hidtil ikke har skrevet, men han har ikke haft lejlighed til det. Han og hans familie har det nogenlunde, men han har den foregående sommer været alvorligt syg i 8-9 uger af en pestlignende sygdom (sprinkel). I to år har de på hans egn haft misvækst, så mange er kommet i den yderste fattigdom.

LXIIIÎ

Laurentius Dithmarus, pastor Luchtoniæ, Johanni Pistorio S.D.

Reverende Domine Præposite, pastor, compater et pater in Christo carissime, quoties cogito de magnitudine amoris et benevolentia tuæ, qua me semper in septimum usque annum complectebaris, cogito autem sæpissime, tum certe animus meus ingenti erga te tuosque amore inflammatur et exardescit. Tibi enim adscribendum est, quod hunc in locum veni et translatus sum, pro quo beneficio ingentes tibi ago æquamque, quoad vixero, gratias. Peto autem, ne in malam partem accipias, quod hactenus nihil literarum ad te dederim. Non est factum tui vel beneficiorum tuorum in me oblivione, cum memoria tui et beneficiorum tuorum adhuc in mente mea vigeat, maneat manebitque, ut dixi, quoad hos spiritus reget artus, sed quod occasio scribendi et nuntius mihi defuerit. Quod ad statum mearum rerum attinet, scias me cum meis, gratia sit Deo, mediocriter valere, sed præterita ætate in nonam usque septimanam decubui; extremum vitæ meæ tempus adesse non solum multi tunc, sed et ipse plane statuebam. Divina tamen clementia ex periculoso illo morbo pesti non dissimili (nostri vocant de sprinkelen) eluctatus sum. Postridie autem Michaëlis ad functionem meam redii, quoad usque Domino placuerit. Per biennium habuimus hic magnam agrorum sterilitatem, unde plurimi ad extremam paupertatem redacti sunt. Sed annus 92 mediocris, laus sit Deo, fuit.

Habeo breviter, vir reverende et clarissime, condicionem rerum nostrarum. Quodsi non molestum esset et de rerum vestrarum statu ad ea scribere, libenter eum scirem, item quo in loco hoc tempore filius tuus unicus et carissimus Theodorus agat. His commendo Deo optimo maximo te cum conjuge, liberis et tota familia, vir doctissime. Data Luchtonia ipso die Epiphaniæ Domini anno 93.

315

Georg Crusius, Tönning præstegård, 9. januar 1593.

Sognepræsten i Tönning Theodor Grave er død. Pistorius bedes tage begravelsen den 11. januar og ikke lade sig afskrække af de bundløse veje, ligeledes at sørge for, at der ringes med kirkeklokkerne hos de andre præster, og at meddele sin kollega Peter (Bokelmann) begravelsesdagen.

LXV

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum, Immanuelem nostrum. Reverende Domine Præposite, meus animus mæstitia sic est repletus, ut verbis exprimere nequeam. Etenim, quem fratris loco habebam, M. Theodorus Gravius hac nocte vitam cum morte commutavit, sive, ut verius dicam, mortem cum vita. Hujus corpus die 11. Januarii terræ mæstissima vidua mandandum curabit ex consilio multorum. Quare Tuam Dignitatem ad exequiarum honorem precibus évocamus, obnixe rogantes, ut Tua Dignitas hoc officii genus defuncto largiatur neque voraginibus viarum deterreatur. Quod ad campanarum motiones solitas attinet, Tua Dignitas ut hoc oneris demandandi aliis in se recipiat, etiam atque etiam rogo. Collegæ D. Petro funerationis diem indicari rogo. Valere Tuam Dignitatem exopto. 9. Januarii anno 93 Tonningæ in ædibus paroeciæ.

316

Samme, Kotzenbüll, 9. februar 1593.

Pistorius med hustru indbydes til Crusius' ellefte barns dåb den 11. februar.

LXVI

Alia ejusdem.

S. per Jesum Christum, qui nos in vineam suam vocavit ad bona opera, ut in eis incedamus. Reverende Domine Præposite, Pastor et Frater observanter colende, Deo quantas possum, non quantas debeo, gratias ago, quod undecima prole nostrum conjugium nunc beavit,

stirpsque patris mensam et latus ex latere edita cingat,

cujus gaudii Tuam Dignitatem participem faciendam existimavi et ad convivium cum conjuge Tuæ Dignitatis invitandam, quod XI. Februarii instituimus ob filiolum baptizandum, quod ut Tua Dignitas a se imperari sinat et domi nostræ præsens Deo nobiscum gratias agat et cum lætis se hilarem præbeat, etiam atque etiam rogo atque obsecro. Hoc ego beneficium officiis ἀνθυμνηρεσιῶν studebo, aut animi saltem promptitudine adsqvabo. Valere Tuam Dignitatem exopto. 9. Februarii anno 93 Kotzenbüllii.

Laurentius Addi, Witzwort, 7.maj 1593.

Pistorius har skrevet til Addi, at en pige og hendes forældre har klaget over, at hendes trolovede Peter Michaelsen uden grund vil have trolovelsen. Addi har forhandlet med begge parter og deres forældre, men de lavede et sådant spektakel, at han intet kunde udrette. Ved et nyt møde har den unge mands forældre nægtet nogen sinde at have givet deres samtykke til trolovelsen. Addi har foretaget lysning til ægteskab for dem og opfordret til at gøre indsigelse, hvis nogen har noget at indvende, og samtidig påtalt begge de trolovedes letsindighed. Der vil blive forhandlet videre om sagen med kirkejuraterne, og Pistorius bedes meddele Addi, hvad han videre skal gøre i denne sag.

Dominus Laurentius Addi, pastor Witteswordensis, Johanni Pistorio.

S. per Christum, κοιμένα et Archipastorem nostrum. Ex literis reverendi Domini nostri Præpositi intellexi puellam hodie conquestam esse se immerito a sponso Petro Michaëlis repudiari; idem ante parentes esse conquestos indicant literæ Reverendi Domini Præpositi. Ego, Reverende Domine Præposite, cum præviderem aliquid periculi mihi et ecclesiæ nostræ offensionem nonnullam ex præsentis negotio imminere, præterito Sabbato maturius imminenti malo occurrere volui, ideoque puellæ parentes nec non et sponsum ejusque parentes præterito Sabbato domi meæ convocavi de matrimonio cum illis acturus, de sponsalibus ceterisque circumstantiis, sed propter illorum clamores, maledictiones, jurgia et rixas conjugii meæ, jam puerperæ, intolerabiles et odiosas nihil agere cum illis potui. Sequenti die Dominica ante conditionem iterum accesserunt sponsi parentes cum duobus fide dignis viris et sancte coram nobis affirmarunt nunquam se consensisse vel a puella ejusve parentibus rogatos esse de consensu. Cum autem ex circumstantiis tantum didicissem, consensum nimirum a parentibus et sponso negari et a puella clam esse factum asseri, nec tamen carnalem copulam intervenisse, nuptias juxta ecclesiasticam hujus ducatus et provinciæ nostræ constitutionem futuras in solemni ecclesiæ nostræ coetu denuntiavi cum admonitione, ut si quis habeat, quod constitutas nuptias juste impedire posset, hoc significet mature ante diem nuptiis dictum. Adjeci præterea gravissimam objurgationem in sponsum et puellam directam, qua ratione mei officii et ecclesiæ nostræ illorum levitate quodammodo offensæ graviter utranque personam perstrinxi sponsoque mulctam pecuniariam quinque marcas pauperibus numerandas imposui. Hæc, Reverende Domine Præposite, sine ulla προσωποληψία a me acta sunt; de perfidia parentum puellæ et abusu emendicatarum a parocianis literarum ad diem Solis, Deo dante, coram juratis ecclesiæ nostræ publice agemus; de levitate puellæ et sponsi, qua uterque usus est, et de ceteris Reverendus D. Præpositus plenius ex matre sponsi edocebitur, et mihi quid porro in hoc negotio faciendum sit, mandabit D. Præpositus, qui cum conjugue lectissima et liberis quam diutissime et felicissime valeat. Witteswordi 7.Maji anno 1593.

Jacob Fabricius, Slesvig, 17.maj 1593.

En kvinde har til Fabricius klaget sin nød over, at hun har forladt sin mand, degn og skolelærer i Poppenbüll, og været borte fra ham temmelig længe; hun har bedt Fabricius om råd, og han har ikke vidst

noget bedre, end at hun henvender sig til Pistorius, som bedes tage sig sjælesørgerligt af hende. - Fyrsten har på grund af superintendentens (Paul von Eitzens) alder overdraget en del af hans embeds- pligter til Fabricius; fyrstens skrivelse herom vedlægges. Det drejer sig om eksamination og ordination af alle præster i hertugdømmet og om kirkevisitatserne på Nordstrand.

LXVII

M. Jacobus Fabricius Joh. Pistorio S.D.

Reverende et clarissime D. Præposite, Domine et amice colende, magno cum dolore misera hæc foemina, quæ has tibi reddit, suum mihi fatum conquesta est, quomodo nimirum a marito, quem ait esse ædituum et ludimoderatorem Poppenbullensem, misere avulsa sit, atque satis jam diu absit, neque scit, quomodo isti malo occurri possit. Ego sane, quoniam a me consilium petiit, rectius illi consuli non posse existimavi, quam ut ad te, istic Præpositum et communem istorum negotiorum curatorem, confugeret. Et quoniam literis meis aditum sibi ad te parari omnino voluit, etsi nihil opus erat, studiose tamen petenti non potui denegare. Est sexus muliebris omnino imbecillioris infirmiorisque judicii ideoque in consiliis sæpe misere hallucinatur. Itaque vere, procul dubio vere, ἐλεημοσύνην officiumque Deo gratis- simum præstiteris, si paterna cura et consilio pastorali hanc quasi errabundam in viam reduxeris, ut cum marito honestis rationibus atque utrinque conducibilibus in gratiam redeat. Verum ista omnia tuæ et pietati eximiæ et prudentiæ singulari relinquo. Et hactenus illud. Quoniam etiam fieri potest, ut rumor ad vos venerit de parte laborum reverendi et clarissimi D. Superintendentis in me translata ob ingravescentem ejus ætatem, volui ad te formulam seu copiam mandati Reverendissimi et Illustrissimi nostri Principis de hoc negotio tecum amice communicare, ut quid esset, certo tibi constaret, quam meæ in te observantiæ significationem amice interpretaberis. Deum oro, ut clementer te tuosque regat et defendat. Amen. Sleswigæ 17. Maji anno 93.

✱

Copia Fürstliches befehls an den Probst.

Wir von Gottes gnaden Johan Adolff, postulirter und Erwelter zu Ertz und Bischoffen der Stiffter Bremen und Lübeck, Erbe zu Norwegen, Hertzog zu Schlesswig, Holstein, Stormarn und der Dittmarschen, Graff zu Oldenburg und Dellmenhorst, Entbeden dem Ehrwürdigen und wollgelarten unserm Hoffprediger, Probste zu Gottorff und lieben getrewen M. Jacobo Fabricio unsere gnade und fuegen euch hiemit zu wissen: Nachdem wir auff guttachten unserer getrewen Rathe die Verordnung gemacht, das nun hinfurthan die Kirchendienere und ordinanden in diesen unsern Fürstenthumben Schlesswig, Holstein etc. von euch examinirt und ordiniert, im gleichen auch das werck der jehrlichen Kirchenvisitation in unserm Lande Nordtstrande durch euch verrichtet werden sollen, in massen wir solchs auch dem auch Ehrwürdigen und Hochgelarten unserm Superintendenten und lieben getrewen Ern Paul von Eitzen, der Heiligen Schrifft Doctorn, schriftlich zu erkennen gegeben, das wir euch derowegen hiemit und krafft dieses in gnaden committirt und anbefohlen haben wollen, das Ihr von nuhn an und hinfurter allewege die Kirchendienere und ordinanden in diesen unsern Fürstenthumben Slesswig, Holstein ernstlich und getrewlich examinieren, ordinieren, im gleichen auch das werck der jehrlichen Kirchenvisitation in unserm Lande Nordtstrande verrichten und dabei nach

inhalts unser Kirchenordnungh und dieser Fürstenthumbc woll hergebrachten gebreuchen verfahren sollet. Daran vollenbringet Ihr unsere gnedigste und zuverlessige meinung, deme wir zu allen gnaden wollgewogen pleiben. Urkundtlich unsers auffgetruckten Fürstlichen Secrets und unterschriebenen Handtzeichens, Gegeben auff unserm Schloss Gotorff den 28. Januarii anno 1593.

319

Rektor Paul Sperling, Hamburg, 1. september 1593.

Anbefaling af en ung mand fra skolen, Peter Tetzius, en slægtning af Pistorius, som bedes beholde ham hos sig og hjælpe ham videre med uddannelsen; hans forældre vil have ham til at opgive studiet.

LXVIII

M. Paulus Sperling, Rector Scholæ Hamburgensis, Johanni Pistorio S.D.

Reverende et doctissime vir, Petrus Tetzius, disciplina nostræ alumnus, cum istuc ad vos iter facere cogitaret, commendari se tibi a me petiit. Non potui hoc illi denegare, neque etiam volui, cum adolescens boni exempli et testimonii fuërit, quamdiu mea usus disciplina fuit, usus autem opinor fuit ad sexennium. Nam et lectiones semper in schola frequenter audivit et auditas domi diligenter repetivit, examinibus scholasticis libenter interfuit, præceptores denique suos debita obedientiâ, amore et observantia coluit ideoque spe sui bona me implevit fore, ut in utilem reipublicæ Christianæ virum aliquando evadat. Etsi vero nulla mihi hactenus tecum, Reverentia Vestra, intercessit notitia, gerendus tamen mos adolescenti fuit, qui meam per literas commendationem multum apud te ponderis habituram sibi persuasit. Peto igitur a te, reverende et doctissime vir, ut pro singulari tua erga bonos omnes, ut audio, benevolentia et liberalitate adolescentem tibi sanguine junctum, mediocri ingenio, indefesso studio, pietate singulari præditum, doctrina denique pro ætate minime pænitenda in studiorum cursu (siquidem eorundem amore flagrat) per te retentum velis. Scio, quam tu unus, clarissime vir, ad eum juvandum maxime sis aptus, quantum gratia et auctoritate istic valeas; non ignoro, ut, si forte expectatione sua frustretur, non te, sed me sibi defuisse sit judicaturus. Quare iterum rogo, mi Domine Pistori, ut adolescentem benevolentia tua complectaris illiusque conatus laudabiles, quibuscunque modis poteris (poteris autem multis), promoveas. Magnæ tibi aliqui voluptati erit, mihi crede, bonæ et spei et indolis adolescentem tua ope in literarum studiis (quæ deserere ipsum parentes volunt) perstitisse. Mihi certe, cui ille curæ cordique est, rem feceris longe gratissimam. Ipse vero adolescens operam dabit sedulo, ut te tuæ in illum declaratæ benignitatis nunquam pæniteat. Cum enim ceteris se virtutibus ornatum esse cupit, tum vero minime omnium immemor et ingratus vult videri. Agerem hac de re tecum pluribus, si de humanitate tua et bonitate dubitarem, et nisi tute scires optime, quid sit nudus et esuriens Christus. Vale ergo, reverende et doctissime vir, et audaciæ huic meæ ignosce. Raptim Hamburgo Calendis Septembribus anno 93.

320

Johannes Thomæus, Hamma, 30. september 1593.

Sognepræsten i Osterhever (Gerhard Owe) er blevet kaldet til Skt. Johannes i Flensborg, og Pistorius' svigersøn Johannes Thomæus beder

om at komme i betragtning ved nybesættelsen af embedet i Osterhever. Han har været i Husum og er med sin hustru kommet godt hjem til Nordstrand, mens den efterfølgende båd er gået under med 40-50 mennesker.

LXIX

Johannes Thomæus Johanni Pistorio.

S. per Christum. Reverende et clarissime Domine Præposite, pater colende, ex literis tuis proxime ante triduum ad me datis, ut et ex aliorum quorundam relatu, percepi Dominum Pastorem in Osterhever Flensburgum ad Divum Johannem vocatum et migraturum. Quare nunc et ego et conjunx a te maximopere petimus, ut hoc tempore mei ratio habeatur, ita ut parochianis ibi de me indicium facias et etiam cum nobili et Magnifico Domino Præfecto, summo tuo amico, loquaris, quo consilio, intercessione et suffragatione vestra eo vocarer et condicionem illam obtinerem. Oro et volo, ut persuadeatis vobis me gratia et auxilio Dei ea apud illos præstiturum, quæ pium, modestum et fidelem verbi divini ministrum et animarum curatorem decent et requiruntur; hoc fiducialiter vobis et parochianis illis de me promittatis. Libenter vellem hunc locum mutare, ideoque ad Deum sæpius preces fundo, ut me ex hoc loco educat et in commodiorem, et quidem vobis viciniorem, colloquet, quo sæpius convenire et colloqui possemus, quo nihil magis et dilectissima mea conjunx, filia vestra, (ut facile cogitare potestis) exoptat et in votis habet. Domini voluntas fiat, quem precor, ut studia, cogitationes, conatus et labores meos regat et dirigat ad divini nominis sui gloriam et ecclesiæ ædificationem etc. Porro scias consilio et hortatu Dominorum Præfactorum Caspari et Georgii a Lithtensibus vocatum et electum esse Hermannum illum, pædagogum filiorum Johannis Langemakii, Petro Blessio autem, filio defuncti pastoris, spem ab ipsis factam, quod me sit successurus. Nam me promovendum ad condicionem in Eyderostedia, ita mihi ipse Petrus se audivisse ex Dominis Præfectis rettulit. Proximo die Jovis fui Husiæ, quo me potissimum hac de causa contuli, ut te ibi alloquerer, sed non inveni te ibi. Domum igitur repetens in maximo fui, una cum conjuge, vitæ discrimine, e quo tamen Deus nos clementer eripuit, altera navi nos subsequente pereunte et pluribus hominibus, qui in ea fuerunt, miserabiliter submersis. Certum numerum indicare non possum, aliis 40, aliis 50 periisse referentibus, inter quos fuerunt viri non exiguæ æstimationis. Itaque magnus hic est luctus et ploratus. Fama est nauclerum fuisse ebrium et causam dedisse interitus tot hominum et simul ipsum una periisse. His vale cum dilecta conjuge et tota familia, et quid sperare debeam de condicione, cum sciveris, mihi significato. Ex Hamma Nortstrandia 30. Septembris anno 93.

321

Henrik Moller, Tönning, 7. oktober 1593.

En mand, hvis kone for flere år siden har begået ægteskabsbrud, forladt ham og unddraget sig straffen ved at flygte, ønsker at indgå nyt ægteskab. Pistorius bedes oplyse, hvad der skal gøres, for at manden kan få skilsmisse fra sin første hustru.

LXX

M. Henricus Mollerus, Pastor Tonningensis, Johanni Pistorio.

S. per Christum. Reverende et clarissime Domine Præposite, senior in Christo honorande, præsentium exhibitor Carsten Nickels nomen suum

de ineundo cum puella quadam matrimonio apud me professus est meumque officium in ea re exquisivit. Fatetur vero idem se alteri cuidam mulieri conjugali vinculo astrictum fuisse, quæ ante annos sex et ultra, rupto turpiter per adulterium aliquoties commissum conjugali foedere, fuga promeritam poenam anteverterit, de cujus vel vita vel morte neque adhuc quicquam constet. Cum autem priusquam secundas faciat nuptias legitimo divortio per iudices consistoriales a priore, seu adultera potius, separari et dissolvi ipsum oporteat, prudentiæ vestræ committo, ubi et quando et per quos iudicium hoc exerceri velit, ut legitime omnia conficiantur. Producit admissi ab adultera flagitii testes fide dignos, quorum alter (ambo cives nostrates sunt) de vita ipsius hic turpiter acta, alter de notoriis ipsius et furtis et scortationibus in Belgio, quo per magistratum expulsa sit, commissis testimonium fert. Sed quid fieri debeat, Reverenda Vestra Dignitas statuatur ac decernatur. Bene in Domino valete. Tonningæ ipsis Nonis Octobribus anno 93.

322

Gerhard Owe, Osterhever, 5. december 1593.

Pistorius med hustru indbydes til Owes lille datters dåb; hun er født 2. december og skal døbes den 9. s. m.

LXXI

M. Gerhardus Owe, Pastor in Osterhever, Johanni Pistorio.

S. per Christum. Reverende Domine Præposite, amice et frater in Christo colende, nata est mihi ex conjugate carissima 2. Decembris filiola, quam Dei beneficio 9. ejusdem mensis, qui incidit in 2. Dominicam Adventus Domini, per sacrosanctum regenerationis lavacrum Christo, viti coelesti, adhibitis baptismi testibus publice in ecclesia inserere decrevi. Cum vero pia ac pervetusta consuetudine receptum sit vicinos et alios amicos officiose invitare, ut Deo optimo maximo cum recens natam prolem, tum matrem puerperam precibus suis commendent et deinde peractis sacris hilares sese præbeant, a Tua quoque Reverenda Dignitate etiam atque etiam peto, ut ad prædictum diem cum conjugate honestissima precibus suis nobis adesse et præsentia sua conviviolum nostrum amicis instructum ornare dignetur. Hoc tam gratum nobis erit, quam quod gratissimum, nostraque vicissim officia Reverendæ Tuæ Dignitati semper constabunt promptissima. Vale. Datæ in Osterhever 5. Decembris anno 93.

323

Laurentius Dithmer, Løjt, 22. februar 1594.

Der har i denne vinter været frygtelige storme. I Tønder amt har der været digebrud; mange mennesker er druknede, huse ødelagte. Dithmers eneste broder Christian, kapellan i Nykirke, har sammen med sin familie tilbragt flere dage i kirken. Der har været rygter om, at Tønning og mange nabosogne har været oversvømmet, så kirkernes tagryg næppe har kunnet ses, men nu er der kommet bedre efterretninger. - Den unge Christian 4. kom den 16. februar til Haderslev og er der endnu; han vil undersøge og afgøre sine undersåtters forhold; man sætter store forhåbninger til ham. Jacob Fabricius er sammen med provst Johannes Generanus (fra Åbenrå) på visitats på disse egne. Under visitatsen i Tønder amt kort før jul 1593 blev provst Andreas (Thomsen) der syg og døde nogle dage senere. - Forespørgsel om

Pistorius' søn Theodor. - Dithmer vil sende to agestole til Flensborg til Pistorius' brug. - Hilsener til forskellige.

LXXII

Laurentius Dithmarus, Pastor Luchtoniæ, Johanni Pistorio.

S. per unicum Redemptorem nostrum Jesum Christum, Filium Dei vivi. Venerabile et clarissime D. Præposite, pastor, compater et pater in Christo colendissime, si vales cum conjugè dilecta et sobole suavissima, bene est. Ego, Omnipotenti sit gratia, cum uxore et liberis adhuc mediocriter valeo. Jam dudum, pater in Christo carissime, Humanitati Tuæ scripsissem, si per internuntium certum id fieri potuisset, atque id eo libentius, ut certum de præsentis statu vestræ provinciæ recepissem nuntium. Ingens enim illa tempestas et horribilis flatus ventorum pridie Nativitatis Christi et alias sæpe præterita hac hieme magnum mihi de condicione vestra cogitanti inflixit mæroris vulnus. Auxit in me dolorem terribilis casus, qui accidit in præfectura Tunderensi. Nam pridie Natalitiorum Filii Dei mane oriente Sole aggeres magna vi rupti sunt et multi homines misere submersi, domicilia de loco mota et dissipata sunt. Frater meus unicus et dilectissimus D. Christianus, sacellanus Nienkercken, in templo ibidem cum sua familia per aliquot dies sese continuit. Vicini autem ipsius plerique aquis suffocati sunt. Hoc audiens simile quid de vobis mihi incidit, et cogitare coepi. Accessit etiam tertium, quod majus erat: spargebatur hic rumor per aliquot dies, imo septimanas, nescio quo auctore, Tonningam cum multis aliis parochiis submersam esse, adeo ut summa templorum culmina in imo maris refluxu videri vix poterant. Quanto igitur dolore, mi compater, (si apud te hoc scriptum fidem aliquam invenit) correptus fuerim, scribere equidem non possum, quandoquidem Eyderostediam non viatorum more (qui externam locorum faciem solummodo aspiciunt deque hominibus ignotis parum solliciti sunt) pervagatus sum, sed ut incola vicinus et frater in septimum usque annum versatus. Talis jucunda consuetudo et familiaris conversatio ut in rebus lætis sincerum gaudium in piis mentibus excitat, ita certe in adversis ingentem movet tristitiam, quod te virum prudentem, gravem et in variis negotiis exercitatum ac casibus perferendis assuetum minime latet. Verum jam (laus sit æterno et omnipotenti Deo, cujus protectione et misericordia liberati et conservati estis) meliora et lætiora de vobis narrantur, is siquidem ibi præsens et vobis adfuit, cui venti et mare obediunt. Pertinent itaque ad vos dulcissima Psalmi 123 verba: Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis, forsitan aqua absorbuisset nos; torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem etc. Præsente igitur hoc divino adjutorio terra vestra immersabilis permansit, alias aggeres creberimis et violentissimis fluctuationibus fracti et rupti tantam molem aquarum per se sustinere et repellere non potuissent. Ego itaque pro hac summa clementia divinitus vobis largita ex intimo cordis mei thalamo gratias ago venerandæ Trinitati, quod in ira sua justissima non respexit nostra scelera ingentia et peccata multiplicia, sed recordatus misericordiæ suæ paterne nobiscum egit. Faxit Deus, ut ostensa hæc iracundiæ signa et clementiæ testimonia cedant nobis ad meliorem vitam inchoandam. Hæc ad te, pater reverende, scribere volui, ne cogitares te cum tuis periculoso isto tempore præterito a me oblitteratum fuisse. Fieri enim id omnino non potest, tum quia conversatio nostra erat fraterna et suavissima, tum quod beneficia in me tua eximia fuerunt. Auribus tuis, reverende D. Præposite, hæc non

dantur, quia Gnathonis personam hactenus non egi, neque hominem Christianum simulare decet. Novi hic habemus nihil. Christianus IIII, electus Rex Daniæ, 16. die Februarii Haderslebam venit ibique adhuc commoratur. Causæ subditorum, ut fertur, præcipue cognoscuntur et dijudicantur. Bonam spem subditi de novo hoc Rege conceperunt. Misericors Deus det, ut Regia ipsius Majestas in bono et pio proposito maneat. Amen. Præterea ex mandato Illustrissimi et clementissimi Principis et Domini nostri, D. Joh. Adolphi etc., venit in hanc præfecturam M. Jacobus Fabricius, Præpositus Sleswicensis, cognatus meus dilectus, qui has ecclesias visitat cum Præposito nostro, viro reverendo Domino Johanne Generano, et hodie, qui est dies Divi Petri, post meridiem ad me sunt venturi. In visitatione Tunderensis præfecturæ paulo ante festum Nativitatis Christi anno 93 ægrotare coepit Dominus Andreas, Pastor et Præpositus Tunderensis, et post paucos dies obiit. Ut condicionem filii tui unici et dilectissimi Theodori data occasione mihi aperias, summopere flagito. Memoriam enim ipsius, familiaritatem et amicitiam cum ipso inchoatam vix unquam deponere possum. Ipso die Pentecostes in templo traditæ sunt mihi literæ filii tui, ad quas respondissem, si tabellarium ad ipsum habere potuissem. Duas sediculas, quibus in curru utuntur, in tuum usum parari curavi; quam potissimum eas Flensburgum mittam ad Ovenum Sweins, ubi illas petas. Valde placet mihi carmen filii tui de nativitate Christi, item ejusdem de Hercule in bivio sedente etc. Vale longum, mi compater, cum dilectissima conjugē et suavissimis liberis vestris. Saluta totam tuam familiam et sororem cum filiis Husiæ. Valedic vicinis tuis et meis omnibus et singulis, nec non clarissimo vestro Præfecto, viro integerrimo Casparo Hoyero, patrono meo colendissimo, nec non D. Petro et D. Sebastiano cum eximio viro Nicolao Fabricio Gardingæ. Iterum vale, mi pater carissime. Datæ Luchtæ anno 94 die S. Petri Apostoli.

324

Jacob Fabricius, Slesvig, 22.marts 1594.

Fabricius har haft besøg af Pistorius' søn, som han var meget fornøjet med. Hans eget helbred er ikke godt, det hænger i en tynd tråd. Han har for nylig købt en græsk-latinsk Pindar, som han endnu ikke har fået indbundet. Amtmandens skrøbelige helbred bekymrer ham.

LXXIII

M. Jacobus Fabricius Joh. Pistorio.

S. in Jesu Christo pro nobis oblato. Reverende et clarissime vir, Domine et amice colende, gratæ mihi literæ tuæ fuerunt, gratissimus etiam filii tui adventus, de cujus ad vos reditu toto pectore gratulor omnibus. Locutus sum cum ipso de rebus variis, imprimis ad studia nostra pertinentibus, per horam unam atque alteram. Placet mihi ipsius ingenium, placet de rebus multis judicium, placet modestia, placent et cetera. Augeat hæc in ipso dona Pater clementissimus faciatque ipsum organon sanctis usibus destinatum aptumque, quod Deo honori serviat sitque patriæ ornamento, parentibus refectioni, ecclesiæ quoque toti emolumento. Recta vos uti valetudine toto pectore lætamur, Deumque, ut eam salvam faxit diutissime, ex animo precamur. Et nos benedicente Domino ex catharro illo epidemio, qui apud nos familiarissimus fuit, restituti sumus. Valetudo mea afflictissima est, deque tenui pendet filo. Verum Deo et amicorum, tuisque

inprimis, precibus me committo. Disponet Deus pro beneplacito suo de nobis, ut possimus sufferre crucem impositam. Pindarum Græcolatinum habeo, sed quia admodum nuper emi, nondum potuit compingi, nec est ita occasio compactori nostro, cum desint multa, quibus operæ ipsius indigent; quam primum habuero, data occasione mittam. De Magnifici Domini Præfecti, Domini et patroni, imo patris mei observandissimi, infirmitate magno cum dolore certior fio. Restituat eum Deus optimus maximus nobisque eum servet diutissime. Eundem etiam oro, ut te cum conjuge, liberis, generis totaque familia ad omnem animi sententiam prosperrime valentes, viventes florentesque faxit. Raptim Sleswigæ 22. Martii anno 94.

325

Jacob Jacobæus Wolf fra Odense, København, 11.maj 1594.

Brev sendt med dr. Thomas Fincke. Wolf var i 1584 blevet ansat ved skolen i Oslo, hvor han havde gode indtægter, især af et kanonikat til 200 daler, men er nu blevet kaldet til teologisk lektor i sin fædreneby Odense og agter at flytte dertil sammen med sin hustru (en datter af biskop Jens Nilsson i Oslo) og sine børn før Bartholommusdag. -Dagen før Kristi Himmelfartsdag (8.maj) er der kommet sendebud fra Skotland til Helsingør; dronningen af Skotland (den danske prinsesse Anna) er efter lang tids barnløshed (hun var da kun godt 19 år gammel!) den 19. februar nedkommet med en søn.

LXXIIII

Jacobus Jacobæus Wolfius Otthoniensis Johanni Pistorio S.D.

Quamvis, doctissime vir, non dubitem, quin Tua Humanitas mei memoria præ temporis diuturnitate fere fortassis exciderit, tamen oblata tam commoda occasione tibi per clarissimum et doctissimum virum D. D. Thomam Finchium scribendi prætermittere nolui neque debui, quin tuam memoriam his literis refricarem. Id enim ut faciam, tuorum in me benefactorum magnitudo hortatur et extimulat. Scribendi vero argumentum non habeo præter illud vulgare, quo solemus amicos de rerum nostrarum statu et conditione certiores reddere. Anno igitur 84 (ab illo enim, ut opinor, tempore nullas ad Tuam Humanitatem dedi literas) ad scholasticam functionem scholæ Asloënsis in Norwegia, relicta mea patria, concessi, quæ quidem condicio, etsi eo molestior, quo remotior meis amicis erat, tamen mihi propter reditus pinguiores non ingrata, præcipue propter canonicatum 200 talerorum, quem anno superiori ab amplissimis Proregibus impetravi, promotore meo singulari amplissimo Domino Cancellario Nicolao Caasio, qui me Haffniam promovendi gratia profectum et a Superintendentente Otthoniensi M. Jacobo Mathiæ, idque ex consilio Doctoris Petri Severini, Regiæ Majestatis summi archiatri, vocatum ad theologiam in patria urbe lectionem confirmavit. Jus enim illam functionem conferendi est penes amplissimum Regis Cancellarium. Constitui igitur divina aspirante gratia cum mea uxore, filia Superintendententis, et nostris liberis Otthoniam intra diem Bartholomæi commigrare, oblatam functionem acceptaturus. Certum quidem mihi fuit, et adeo, ut nihil certius, in Norwegia et propter socerum et socrum aliosque uxoris cognatos voluisse mansisse, sed ego, victus amicorum meorum precibus et Domini Cancellarii solito favore, consilium illud mutavi. Hæc volui Tuæ Humanitati significare. Nova non habeo præter hoc: Legatos e Scotia pridie Ascensionis Domini venisse Helsingoeram; causam adventus ignoramus. Regina Scotiæ post diuturnam sterilitatem, qua hactenus laboravit, filiolum 19. Februarii enixa est. Ego vero

tandem in portum appello, te cum uxore et liberis Dei optimi maximi tutelæ commendans. Ipse vos quam diutissime incolumes conservet et tueatur. Amen. Haffniæ 11. Maji anno 94.

326

Jacob Ursinus (Berndes), Wesselburen, 8. november 1594.

En ung mand af god familie vil have sit giftermål med en pige fra Tetenbüll sogn i orden. Han har ført en upåklagelig vandel, indtil han for tre år siden i ungdommelig kådhed kom til at dræbe en anden ung mand, og han har derfor undladt et begære lysning til ægteskab. Hans sognepræst attesterer, at han ikke har givet løfte om ægteskab til nogen anden i sognet, og har derfor intet at indvende imod, at parret bliver lovformeligt gift; provsten bedes gøre ham denne kærlighedens tjeneste.

LXXV

Jacobus Ursinus, Pastor Wesselingburensis, Johanni Pistorio.

S. per Christum. Adfuerunt mihi, reverende et clarissime Domine Præposite, duo boni adolescentes, fratres hujus γραμματοφόρου, petentes obnixè, ut fratrem suum Hans Reimersen, nupturientem apud vos, Tuæ Dignitati commendarem, quæ petitio cum æqua sit, non potui illis officium dilectionis denegare. Quod igitur sponsum illum attinet, ex honesta et nobili familia Popponum Nordicensium et bonis parentibus est prognatus. Ille ipse etiam, dum apud nos fuit, honeste vixit et opus suum fideliter fecit, ut omnibus gratus esset, donec, proh dolor, ante triennium in homicidium fortuitum cum sodali ex puerili lusu incideret. Publice itaque, ut moris est nupturientibus, nomen suum proclamari non petiit. Mihi tamen optime constat, quod nulli in hac paroecia, ubi semper a tenera ætate vixit, fidem matrimonii dederit. Quare per nos, ut cum desponsata Anna Petri Harowi Batavi ex fratre coepti publico conjugii vinculo astringatur, licet, et ut D. Præpositus misero officium caritatis præstet, ego quoque amanter peto. Quod superest, reverende vir, Tuam Dignitatem cum suis Altissimè tutelæ commendo. Salutem meo nomine dicito collegæ. Raptim ex Weslenbura 8. Novembris anno 94.

327

Henrik Møller, Tønning, 5. maj 1595.

Rektoren for skolen i Tønning Conrad Wobbius er død, og nu måtte man se sig om efter en efterfølger. Kirkeforstanderskabet har enstemmigt udset sig Conrad Backhusen fra skolen i Lunden, som imidlertid havde givet Katingenserne løfte om at komme dertil. Nu har han fundet en efterfølger til Kating, og provsten bedes godkende valget til Tønning. Til tilføjelsen i marginen om, at han var en værre vindbøjtel, se nr. 335 og 339.

LXXVI

M. Henricus Mollorus, Pastor Tonningensis, Johanni Pistorio.

S. per Christum, nobis partum. Clarissime Domine, reverende et dignissime Præposite, etsi non sine intimo cordis gemitu deploravi immaturum et inopinatum Conradi Wobbii, ludimoderatoris nostri pie

defuncti, obitum, tamen ubi et propinquas et remotas mortis ipsius causas, quantum pro iudicii tenuitate licet, perscrutor et considero, nullam neque ipsi, neque nobis factam injuriam, aut cladem nobis immissam fuisse deprehendo, sed salutari providentiæ divinæ arbitrio, totum quicquid est, in utriusque partis emolumentum et salutem conversum esse sincere statuo et fateor, qua de re coram aliquando cum reverenda Vestra Dignitate candide et vere sermocinabor. Nunc ex re nata consilium de successore capiendum fuit. Quam ob rem templi nostri antistites unanimi cum voto meo consentiente suffragio delegerunt honestum et doctum adolescentem Conradum Backhusium, scholæ Lundinensis moderatorem, qui non tantum præcipuorum in ista parochia virorum, sed totius communitatis optimo testimonio vitæ integritatem et officii administrati laudem commendante ornatus tanto nobis carior fuit. Sed cum operam suam ante Catingensibus addixisset, res dilata in festum usque Paschatos fuit, ubi cum alterum studiosum quendam suo substituens loco bona cum gratia dimissionem impetrans ad nos accessit, quibus et scholasticæ administrationis specimen et musicæ peritiam ac vocis templo nostro convenientis ornamentum ostendit et comprobavit. Proinde quod restat, submissee rogamus, ut reverenda Vestra Dignitas nostræ electioni sua suffragetur auctoritate, præsertim cum hic adolescens, quantum judicare possumus, scholæ nostræ atque templo utilem ac necessariam, adjuvante Domino, operam sit navaturus. Bene et diu reverenda Vestra Dignitas in Christo valeat precamur. Tonningæ III Nonas Majas anno 95.

In margine: Hic fuit pessimus nebulo et tamen ipsis carior Wobbio, cujus ingenium et eruditio et pietas fuit eximia, quod paulo post deprehenderunt et experti sunt.

328

Simon Hogreve, Kotzenbüll, 26.maj 1595.

Indbydelse til Hogreves bryllup den 15.juni med Margareta, datter af den fremragende teolog og medicus Georg Crusius.

LXXVII

Simon Hogrevius, Ecclesiastes Cotzenbullensis, Johanni Pistorio S.D.

Reverende et doctissime vir, Domine et amice plurimum colende, quod ætas jam maturior mea et vitæ condicio resque familiaris, nec non ceteræ rerum mearum rationes postulare videbantur, ut de uxore tandem ducenda cogitationem susciperem, id, ut egomet mihi sum conscius, et pie et serio et diu satis et sedulo feci. Post multam itaque deliberationem adhibito bonorum consilio delegi virginem honesto loco natam, honeste educatam, honestis præditam moribus, Margaretam, reverendi et docti viri M. Georgii Crusii, theologi et medici præstantis, filiam. Et eo tandem, Deo sic disponente, res nunc deducta est, uti, quod faustum et felix sit, dies dictus sit nuptiis Junii mensis 15. Id ego te, reverende et doctissime vir, præ aliis scire volui, simulque rogatum miris modis, ut pro tua summa humanitate honoris mei causa ad hoc tempus nobis adesse, ecclesiæ ritus ceremoniasque solennes præsentia tua condecorare ipsosque nuptiarum dies hilares nobiscum sumere non dedigneris. Quod si feceris, reverende et doctissime vir, humanitate tua feceris dignum mihi que tam gratum, quam quod gratissimum. Quod si quid erit, in quo vicissim opera mea utendum putabis, promptum me plane paratumque semper habebis. Vale. Datæ in Cotzenbul anno 95 Maji 26.

Georg Crusius, Kotzenbüll, 1. juni 1595.

Crusius' indbydelse til Pistorius med hustru og børn til samme bryllup.

LXXVIII

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum. Reverende et observanter colende et honorande D. Præposite, insolenter facerem, si pluribus ad Tuam Dignitatem verbis uterer in asserenda aut commendanda conjugii dignitate, qui auctorem ejus, exempla sanctorum tuamque conjugem et liberos divina dona quotidie intueris. Quare omissis his, ne in silvam ligna feram, meas preces paucis delineabo. Meam filiam Margaretam, invocato Jesu Christo paranymphe et consultis amicis, despondi collegæ meo et ecclesiastæ erudito et pio D. Simoni Hogrevio; cumque dies XV Junii nuptiis sit dictus, in quem incidit hoc anno Festum Sacrosanctæ Trinitatis, quæ ut sponsæ, sponso convivisque benedicat obsecro, Tuam Dignitatem, uxorem* liberosque ad hosce solennes nuptiarum ritus hic Cotzenbulii peragendos amice evoco, ut iis tua præsentia sis honori atque gaudio proque felicitando conjugio nobiscum vota concipias hilaremque te cum piis dies aliquot præbeas. Quod si huic petitioni locum Tua Dignitas reliquerit, ut plane spero, non dubito, quin hoc sit cessurum in officium gratum Christo Jesu, qui nuptiis interesse dedignatus non est et officiorum præstitorum remunerator est largissimus, eritque mihi, amicis piisque quam acceptissimum. Ego quoque vicissim Tuæ Dignitati officia, quæ a me proficisci possunt, defero prompto calamo et corde atque officia officiis remereri κατὰ δὺναμιν sedulo et sincere studebo. Cotzenbulii anno 1595 Junii 1. Valere reverendum Dominum Præpositum exopto.

* Håndskriftets uxores er dog nok en pudsig skrivefejl!

330

Jacob Fabricius, Slesvig, 16. august 1595.

Anbefaling af Matthias Pampus (til kapellan i Osterhever). Fabricius har med sin anbefaling aldrig villet påtvinge nogen en mand; hvad han har gjort, har han gjort af kristen kærlighed til næsten. Hvis sognebørnene bifalder hans kaldelse og fyrsten giver sit samtykke, vil Fabricius ikke kunne modsætte sig hans ordination. Han lover Pistorius' søn sin bevågenhed, hvis han får brug for den, og håber det bedste for ham i kirkens tjeneste.

LXXIX

M. Jacobus Fabricius Joh. Pistorio.

S. Reverende et clarissime D. Præposite, Domine et amice observande, iterum ad vos eunti D. Matthiæ Pampo literas meas non potui denegare, non tam ut denuo eum tibi commendarem, quam ut literis tuis proximis responderem. Novit Deus me nec illum, nec quenquam cuiquam commendare nec commendasse unquam, quasi vel commendatum obtrudere aliis, vel aliis isto pacto obstaculo esse velim voluerimus.* Sed, ut vides, jubet dilectio Christiana, jubet bonorum intercessio, jubet spes concepta, ut quo possimus modo proximo prosimus. Filio tuo omne polliceor studium, quamvis eo vix opus habeat. Spero etiam eum fore in sanctissimos Jesu Christi ministros, ut multorum amore et benevolentia dignum se exhibeat. Qua in re procul dubio piissimis

parentis monitis parebit. Utinam vero eum videam diem, quo digno tali patre filio amoris istius, quo me semper complecti voluisti, talionem rependam. Saltem id præstare conarer, ne voluntas mihi defuisse videretur. Impetravit D. Matthias, ut intelligo, Illustrissimi Principis literas ad parochianos, quemadmodum procul dubio tibi narrabit. Omnia sunt in manibus coelestis Patris familias; quod si parochiani in ipsius vocationem consentiant et Illustrissimus Princeps eam confirmet illumque per impositionem manuum sacro ordini docentium inseri mandet, vides me non posse reluctantari. Æternus Deus totum negotium ad nominis sui gloriam et ecclesiæ salutem clementer regat. Bene vale, vir amicissime, cum conjuge, liberis totaque familia. Sleswigæ 16. Augusti anno 95. * Sic!

331

Conrad Gentzel, Poppenbüll, 12. september 1595.

Indbydelse til Pistorius med hustru, søn og datter, til en den 10. september født søns dåb den 14. s.m.

315

M. Conradus Gentzelius, Pastor Poppenbullensis, D. Johanni Pistorio.

S. per Samaritanum, qui veram et æternam beatitudinem implendo legem et obligando vulnera nostra nobis acquisivit. Reverende Domine Præposite, patrone et in Christo frater colende, stulte facerem, si apud Tuam Excellentiam pluribus verbis in commenda felicitate ob datam prolem et dignitate sacri baptismatis uterer, qui institutorem hujus et datorem illius optime nosti. Ergo omissis his, ne noctuas Athenis, ut dici solet, meas preces paucissimis delineabo. Die Mercurii, quod felix et faustum sit, hora secunda matutina Deus optimus maximus nostram familiam nova prole, filiolo scilicet, auxit. Illum ad mandatum et promissionem Christi Marci 10 per baptismatis sacri lavacrum ipsi vicissim ad diem Solis, erit 14. hujus, adduci curabo. Cumque apud Christianos moris sit, ut compatribus aliisque amicis convivium apparetur, rogo Vestram Excellentiam, uxorem, filium et filiam, ut ad dictum diem nostras ædes accedere, pro felici initiatione et sanitate matris nobiscum vota conjungere et vos hilares præbere non gravetis. Quod si huic petitioni locum reliqueritis, ut plane confido, non dubito, quin hoc in honorem Christi cessurum, eritque mihi conjugique acceptissimum officium. Ego vicissim mea officiola Vestræ Excellentie defero et officia officiis remereri unice studebo. Valeat Excellentia Vestra cum conjuge liberisque carissimis. Poppenbüllii die 12. Septembris anno 1595.

332

Peter Aurifaber, Garding, 9. december 1595.

Aurifaber beklager, at Pistorius endnu ikke helt er kommet sig efter sin sygdom, så han kan passe sit embede. Aurifaber selv plages stadig af sin gamle sygdom, så han nu og da tvivler på at blive rask, men han passer dog, så vidt der er kræfter til det, sit. Den følgende dag skal der sammen med nogle præster forhandles om Anna Nicolai Pistoris sag, og det bedste vilde være, om Pistorius kunde komme til denne forhandling. Kan han ikke det, bedes han med budet sende papirerne fra Ditmarsken og tilkendegive sin mening.

Petrus Aurifaber Joh. Pistorio.

Salutem corporis et animæ per Jesum Christum, ἀρχιτρυφὸν Israelis, Dominum et Servatorem nostrum. Amen. Reverende, doctissime atque ornatissime D. Præposite, Mæcenas observande, acceptis Tuæ Reverentiæ literis non absque dolore cognovi te nondum plene integrum restitutum, ut tuo munere divino beneficio domi et foris fungi possis, id quod ardentibus precibus et piis votis a Deo petimus et futurum plane confidimus. Equidem et ego pristino meo morbo multo jam tempore vehementer afflictus sum, ut semel atque iterum de recuperanda valetudine pæne desperarim; divino tamen beneficio præter expectationem recuperatis paulatim viribus meo munere pro virili functus sum, etsi in hac æëris intemperie procul extra ædes evagari non ausim. Habebit itaque Tua Dignitas, reverende D. Præposite, me excusatum, quod in hac infirmitate Tuam Dignitatem tanquam veterem, summum et integerrimum meum amicum invisere non potuerim. Et quia Tua Dignitas cupit in causa Annæ Nicolai Pistoris crastino die aliquid certe et finaliter definiri et decerni, evocatis in hoc aliquot nostri ordinis pastoribus, qui subscripserunt, non tamen dubito omnibus nihil optatius et gratius fore, si per valetudinem liceret, Tuæ Dignitatis præsentia, consilio et auctoritate omnia gubernari. Quod si fieri nequeat, studiose et amanter oro, ut Tua Dignitas apud tabellionem documenta, quæ e Dithmaria perscripta sunt, mittere et uno atque altero verbo suam nobis sententiam, censuram et judicium communicare dignetur, siquidem nihil dubito in Tuæ Dignitatis absentia quicquam decretum iri absque Tuæ Dignitatis approbatione. Spero itaque Tuam Dignitatem hac in re nostræ petitioni, desiderio et expectationi satisfacturam. Interea Tuam Dignitatem Deo optimo maximo etiam atque etiam commendamus, qui Tuam Dignitatem pristinæ incolumitati restituat et non modo honestissimæ et piissimæ conjugii, liberis et domesticæ ecclesiæ, sed et omnibus hujus provinciæ ecclesiis diu superstitem conservare velit. Data Gardingæ die 9. Decembris anno 95.

333

Samme, 11. december 1595.

En beretning om det i nr. 332 nævnte møde. Det drejer sig om et ægteskabsbrud og desertion. Manden har i fem år ikke skrevet til sin kone eller gennem andre ladet hende vide noget om sine forhold, som kunde give hende håb om en forsoning. Man har derfor opsat et skilsmisdedokument med tilladelse til kvinden til at indgå nyt ægteskab. Pistorius bedes godkende det eller give det en bedre form og give kvinden meddelelse herom.

LXXXI

Alia ejusdem.

Salutem per eum, qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum. Reverende atque ornatissime D. Præposite, quid heri in decisione controversiæ notæ juxta Tuæ Præstantiæ maturum consilium institutum actumque sit, relatione carissimi generi D. Johannis Thomæ Tuæ Præstantiæ jam innotuisse minime dubito, nimirum post recitationem literarum Tuæ Præstantiæ et rescripti scribæ Dithmariensis Raschii Annam accitavi et in præsentia propinqui et affinis post repetitionem principum punctorum hujus controversiæ (in Tuæ Præstantiæ

et consistorialium presentia) a me interrogatam, num bona conscientia (si res noscere videatur) præstito juramento sancte asseverare posset et vellet vera esse, quæ de documentis commissi adulterii novissime exposuerat, ad hæc quæ de desertoris ἀστροπύλα commemorarat, quod inde ab ipsius discessu toto quinquennio nihil ad ipsam vel scripserit, vel aliorum relatu de ipsius rerum statu deque sua erga ipsam affectu significarit, unde de ipsius constanti amore ac reconciliationis, et vel hic vel alibi cohabitatione, spem aliquo modo concipere posset; nam de tertio puncto, quod patrem ipsius attinet, post Raschii rescriptum nullam esse controversiam. Ad quæ cum ingenue et aperte responderisset hæc revera ita se habere seque, si judicis sententia juramentum imperetur, posse et velle bona conscientia istuc præstare. Quibus secedentibus, iterum lectis novissimis Tuæ Præstantiæ ad me literis, re cum reverendis Dominis et fratribus huic actioni deputatis deliberata, recitata a me paulo prolixius concepta divortii formula cum omnibus circumstantiis, illorum consilium et suffragium, si non displiceret, vel si secus, emendationem petii, quum illa nihil annotatum sit, quod a Tuæ Præstantiæ consilio alienum sit, neque dubitare me, quin Tua Præstantia nervosiolem et breviorlem divortii formulam propria manu scriptam illis sit communicatura. Consenserunt igitur, ut hanc formulam paulo contractius et succinctius scriptam una cum rescripto Raschii ad Tuam Præstantiam mitterem, unde conspicuum fiat nos Tuæ Præstantiæ consilium et ductum secutos divortii sententiam pronuntiasse et derelictæ liberam potestatem iterum in Domino nubendi jure concessisse, certa fiducia concepta hanc legitimam sententiam a Tua Præstantia approbatum et confirmatum iri; et ut derelicta de hujus sententiæ certitudine magis persuadeatur, ipisus nomine studiose oramus (si modo Tuæ Præstantiæ in hac imbecillitate nimis molestum non sit) meliori forma conceptam hanc sententiam propria manu scriptam illi communicare dignetur, id quod Tuam Præstantiam facturam confido, quam divinæ clementiæ medelæ et curæ, quod corporis et animæ incolumitatem attinet, etiam atque etiam commendo, qui et tuis domesticis et propinquis et nobis omnibus Tuam Præstantiam diutissime velit esse superstitem. Conjugem etiam honestissimam et liberos dilectissimos et inprimis Theodorum filium nostro nomine humaniter et amanter salutari petimus. Data Gardingæ 11. die Decembris anno 95.

334

Albert Meyer, Lindholm, 20.maj 1596.

I erindring om gammelt venskab og fælles studium i København beder Meyer Pistorius om, som et måske sidste venskabsbevis at gøre, hvad han på nogen måde kan, for at skaffe vennen Peter Dimer, der uretfærdigt og uforskyldt er blevet sat fra sit embede, en ny stilling i kirkens tjeneste.

LXXXII

M. Albertus Major, Pastor in Lintholm Risingmohræ,
Johanni Pistorio S.D.

Incredibile dictu est, amice solidissime, sodalis jucundissime et frater in Christo dilectissime, quam dulcis mihi tui memoria hactenus semper intimis cordis mei sinibus penitissimisque ossium meorum recessibus medullitus insederit atque etiamnum resideat hæreatque, quoties scilicet recordor (reminiscor autem sæpenumero) dulcissima

amantissimæque istius nostræ antiquæ conversationis communisque studiorum juventutis nostræ laborumque nostrorum in alma olim Haffniensi academia sub doctissimis clarissimisque nostris præceptoribus exantlatorum. Quo magis doleo nobis tanto locorum spatiis dissitis tot annis veteribus consuetisque amicitia familiaritatisque fructibus frui atque gaudere minus licuisse. Quia vero de antiqua totque experimentis confirmata amicitia nostra favoreque tuo nihilo minus hodie ambigo, quam unquam antea dubitavi, unicum nunc, eumque fortassis postremum veræ amicitia nostræ usum, fructum decerpere experimentumque indubitatum capere constitui, quo majus, gratius acceptiusque nihil mihi unquam feceris, quo ut forsam amicitia nostræ probas concludemus, utpote qui mihi fortassis in nullo unquam alio, certo in nullo magis requisito gratificari poteris. Est quippe mihi a multis annis ingens necessitudo cum hoc amico meo Domino Petro Dimero; is cum ministerio suo injuste exutus immeritoque exclusus est (uti occasiones omnes et causas is explicare tibi latius poterit) et proinde functione caret. Qui et ob ingravescentem hanc ætatem suam et naturæ bonitatem et fidem aliaque dona (quæ ex aliis meis aliorumque de ipso testimoniis latius cognoscere poteris) promotione dignus est. Quare nulla in re amicitia nostra convenientius, ipsi magis necessarium mihi que gratius aliquid præstare poteris, quam remis velisque si incubueris, omnem moveris lapidem, omnem ansam captaveris, omnem dederis operam ore, manibus, pedibus, scriptis, intercessionibus, ut ipsi de condicione ecclesiastica tandem, tandem prospiciatur, utque vel sic hic ipse sentiat nos veros fidosque fuisse et esse amicos, quique nihil nobis mutuo negaverimus vel prætermisuri simus, quin quoquo modo alter alteri gratificaturus sit. Hoc igitur esto extremum summumque amoris nostri signaculum, si senserit Petrus hic meus a te Johanne meo strenuam, seriam, indefessam fidamque promotionem et tantum esse amicitia nostræ vinculum, tantum foedus, ut nihil tam grave futurum sit, quo non amicitiam nostram contestemur et confirmemus. Vale. Raptim ex Lindtholm Risingmohræ anno 1596 die Jovis inter Dominicam Invocavi et Exaudi. Amicus solidissimus et ad ultimum vitæ hujus suspirium futuræque consortium præ dulcedine memoriæ veteris amoris cum lacrimis et gemitu has ipsas (et quidem ultimas forsam futuras) claudens literas

tuus ex asse Albertus Major.

335

Henrik Moller, Tønning, 3. juni 1596.

Der er blevet klaget over den nye rektor Conrad (Backhusen, se nr. 327), og han har modtaget en skrivelse fra Pistorius, hvorved denne med bemyndigelse fra stilleren har suspenderet ham. Moller beklager dette for skolens og den ustyrlige ungdoms skyld og beder om, at der må fares med lempe, modparten høres og sagen stilles i bero, indtil der træffes en endelig afgørelse.

LXXXIII

M. Henricus Mollerus Joh. Pistorio S.

Reverende et dignissime Domine Præposite, amice et patrone observande, ostendit mihi hesternò die ludimoderator noster inhibitorium reverendæ Dignitatis Vestræ mandatum, quo ille officiis scholæ et ecclesiæ nostræ hactenus præstitis prohibitus est. Cumque reverenda Dignitas Vestra hoc ipsum jussu et auctoritate nobilis et generosi

Domini hujus provinciæ Præfecti fieri scribat, haud dubie non sine probabili et gravi ratione illud decretum fuit. Sed quia scholæ nostræ maximopere interest, ne subita ista mutatione perturbetur, neve juvenus, quæ hisce temporibus et locis ita prolapsa est, ut omnium potius opibus atque opera refrenanda sit atque curanda, periculosam et disciplinæ et literarum jacturam ista sui præceptoris remotione faciat, summis et reverenter a Dignitate Vestra peto, ut ante omnia scholæ nostræ et ecclesiæ majorem atque potioem habeat rationem et severum hoc mandatum paterna moderatione atque ἐπιεικείᾳ mitigare atque relaxare dignetur, ne ecclesiolæ nostræ et scholæ respublica propter privatam illorum controversiam laboret et damnum patiatur. Quod ad Francum istum Conradi adversarium attinet, qui etsi generosi Domini Præfecti animum falsis querelis præoccupatum prægravavit et permovit, dubium mihi tamen nullum est, quin generosa sua Præstantia, quæ ipsius naturæ bonitas et mansuetudo est, ubi alterius partis honestam apologiam atque defensionem benigne audire atque percipere dignabitur, non prorsus in accusatoris verba juratura, sed reo quoque alteram aurem illasam et integram sit reservatura. Interea reverenda Dignitas Vestra, quæ suo consilio ministris ecclesiæ et scholarum in his locis præstet et patrocínio suo succurrit, hujus quoque adolescentis studiosi inique accusati, quippe qui et injuria et ignominia damnoque gravi suo tempore vindicando sit affectus, apud generosum D. Præfectum rationem habeat et tam diu illi succurrat, donec tota causa coram legitimo vestro judicio audiatur, cognoscatur et dijudicatur. Quod etsi reverenda Dignitas Vestra etiam me tacente esset factura, tamen rogare id ipsum hoc meo epistolio volui, cujus benevolentis et amoris me commendo, et ad ecclesiæ nostræ salutem incolumis et salva vigeat reverenda Dignitas Vestra Deum precor. Toningæ 3. Junii anno 96.

336

Johannes Pistorius til en række præster, Tetenbüll, 7.juni 1596.

Meddelelse om Pistorius' hustrus død den 6. og indbydelse til begravelsen den 9.juni. Præsterne bedes lade ringe med kirkeklokkerne dagen før; eventuelle udgifter herved vil Pistorius gerne afholde. - Præsternes påtegning og svar; påtegning fra Vollerwiek mangler.

327

Reverendis viris, pietate, eruditione et virtute præstantibus Dominis Pastoribus et ministris verbi divini in Oldenswort, Cotzenbul, Toning, Cating, Welt, Fullerwick, Tating, Poppenbull, Garding und Catrinherde.

Gratia et pax a Deo Patre per Filium, Dominum nostrum Jesum Christum. Reverendi, pii et docti viri, amici ac fratres carissimi, hesterno die hora 9. ante meridiem omnipotens et misericors Deus dilectissimam meam conjugem, cum qua annos 37 juxta ordinationem et voluntatem Dei pie, amanter et quiete in conjugio vixi, ex hac terrena et ærumnosa vita ad coelestem ac beatam vocavit et traduxit. Etsi autem certo sciam et me consoletur ipsam in numero illorum esse, de quibus in cap.14. Apocalypseos dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, tamen quod ipsius dulcissima consuetudine et adjutorio fideli mihi nunc carendum sit, maximo sum in mærore et luctu, ac tantum cordi meo inflictum est vulnus, ut id verbis effari satis nequeam. Erepta est mihi γυνή γ' ἀρσστη, non dicam secundum tragoediam τῶν ὑφ' Ἡλῶ

μακρῶν, sed certe in paucis, et mihi merito suo longe carissima. Verum τὸ δὲ μόρσιμον ἄφυκτον. Et ut Sophocles ait: οὐν τῷ θεῷ πᾶς γελᾷ κώδύρεται, vel potius quod propheta regius Psalmo 68. ait: Onus imponit nobis Deus, et tamen est salus nostra. Cum autem die Mercurii, qui est 9. Junii, exuvias Christiano more terræ mandare constituerimus, vos Dominos, amicos et fratres meos honorandos et dilectos, amanter rogo, ut eas vestra præsentia cohonestare et ad locum sepulturæ comitari velitis. Datæ in Tetenbul 7. Junii anno 96.

Johannes Pistorius vester.

Ich bidde ock ein ider will tho siner Kercken am Dingestage mine gelevede und selige Hussfrouwe beluden lathen; so dar wat vor schall uthgegeven werden, will ick gerne dhon.

Georgius Aurifaber, Pastor Weltensis, animo condolente legit et venerabili Domino Præposito consolationem Spiritus Sancti toto pectore precatur piisque exequiis aderit.

Johannes Mumsen, Pastor Oldenswordensis, mæsto animo has literas legit et reverendo D. Præposito Spiritus paracleti consolationem precatur.

Georgius Crusius reverendo D. Præposito ejusque liberis efficacem consolationem ex spe resurrectionis et vitæ æternæ per fidem in Christum conceptam precatur et, Deo secundante, exequiis intererit.

Henricus Mollerus, Pastor Tonningensis, salutarem consolationem Domino Præposito optat et suas preces cum mæstis conjungit.

Reverendum Dominum Præpositum suavissima consuetudine dilectæ conjugis orbatum esse Nicolaus Modt ex animo dolet ipsique cum suis veram et salutarem consolationem precatur atque pium ac debitum officium in comitando (Deo volente) præstabit.

Michaell Heinen non sine dolore has legit et exequiis, Deo volente, intererit. Et quod Dominus Præpositus in privatis literis petit, summa qua potest diligentia exequetur.

Conradus Genzelius, Poppenbullensis Pastor, tristi animo has literas legit et Domino Præposito efficacem Spiritus Sancti consolationem precatur et præsentiam (Deo volente) promittit.

Petrus Aurifaber non sine commiseratione et gemitu literas reverendi D. Præpositi, Domini et amici sui integerrimi, legit ipsique ex animo divinam consolationem in hac acerbissima cruce precatur. Reliqua quæ petuntur, propitio Deo, studiose curaturus.

Paulus Hintzenius literas hasce legit et reverendo Domino Præposito, amico suo, Spiritus Sancti consolationem precatur præsentiamque suam (Deo volente) promittit.

337

Henrik Moller, Tønning, 10. august 1596.

(Brevet følger i håndskriftet efter LXXXIII (her nr. 335), d. v. s. det er fra sognepræsten i Tønning.) En meget fattig gammel mand, som for et år siden har giftet sig med en løsagtig ung kvinde, er blevet forladt af hende, og hun er flygtet til Holland. Nu vil han forsøge sig med en gammel kvinde, hvis han kan få skilsmisse fra den anden. Moller har frarådet det påtænkte nye ægteskab, men manden siger, han

ikke kan være uden kone. Pistorius vil sikkert give manden et godt og rimeligt råd; når Moller får meddelelse herom, vil han gøre, hvad hans embede kræver af ham.

LXXXIIII

Alia ejusdem.

S. per Christum Servatorem. Reverende Domine Præposite, amice honorande, miser hic pannis annisque obsitus et pauperie depressus senex ante annum sibi juvenulam lascivam matrimonio jungebat (ein hartte nuss, ein stumpfer Zahen, ein junges weib, ein alter man, ut Mathesius inquit), quæ turpi et secunda fuga in Hollandiam maritum imbecillum et senem deseruit. Hic de ejus nefandis libidinibus multa dicit et conqueritur et divortium quærit, cum vetula nunc periculum facturus, si a desertrice separari possit. Ego dissuasi conjugium, sed ait sibi opus omnino esse conjuge neque sine ea vitam degere posse. Reverenda Vestra Dignitas sine dubio, si non ad illius votum, tamen ad æquitatem et moderationem composito consilio illum informabit, de quo ubi certior factus fuero, ego, quod mei officii partes hac in re flagitabunt, libenter et sedulo faciam. Bene valeat reverenda Dignitas Vestra cum tota domo. Tonnings ipso die Sancti Laurentii anno 96.

338

Christian Machabæus Alpinas, Sorø, 19. september 1596.

Chr. Machabæus har haft besøg af Pistorius' søn, som bragte hilsener fra sin far, og da det ikke er blevet til noget med Pistorius' besøg hos ham, vil han ikke vente længere med at skrive, men håber stadig, at de må få lejlighed til at mødes. Det vilde føre for vidt at berette om alt, hvad Machabæus har oplevet, siden han tog afsked med Pistorius i Wittenberg, men efter mange omskiftelser er han kommet til ro. Han har været gift i 23 år og har to sønner, som studerer i Wittenberg, men for tiden er hjemme til festlighederne i anledning af Christian 4.s kroning (29. august). De skal snart tilbage til Wittenberg og blive der vinteren over, men til forår skal de til Genève eller Louvain for at lære fransk; i Frankrig er der så store uroligheder, at man ikke uden fare kan opholde sig der. I Wittenberg, hvor universitetet i Melanchthons tid blomstrede, er på grund af de voldsomme teologiske stridigheder alt så forandret, at der der ikke mere findes noget, som smager af lærdom og fromhed. Københavns universitet går der ry af på grund af lærde professorer og dets store antal af studenter, men den skade, det har lidt ved Niels Hemmingsens afgang, vil det tage meget lang tid at få rådet bod på. - Machabæus' mor er åndsfrisk og med inderlig påkaldelse af Guds Søn død Skt. Povlsdag (25. januar) 1589 i en alder af næsten 86 år, som det ses af medfølgende program (der imidlertid som hendes dødsdag har 6. Calendas Februarias, 27. januar). - Machabæus udtrykker sin deltagelse i Pistorius' sorg over at have mistet sin hustru. - Pistorius' søn vil fortælle om kroningsfestlighederne; Machabæus ønsker kongen lykke ved regeringstiltrædelsen og en lang regering til Guds ære, sandhedens fremme og hans eget og undersåtternes vel. Aldrig har der i Danmark været samlet så mange fyrster og udfoldet så megen pragt, og det bedste varsel er den største endrægtighed mellem alle klasser. - Machabæus ønsker at fortsætte korrespondancen med Pistorius og sender hilsener fra rektor for skolen i Sorø Johannes Stephanus og andre og beder Pistorius hilse Albert og Samuel Meyer. - I en efterskrift

meddeler han, at fremtidig brevveksling kan foregå gennem en skriver Jørgen i Haderslev, som vil sende Pistorius' breve videre til hans landsted Bisbo (Bispbo, i Gamtofte sogn, som senere blev Brahesborg) ved Assens.

I universitetets program af 4. februar 1589 nævnes Machabæus' moder Agnete Sutherlands, eller Matthews', herkomst af en skotsk adelig familie, og at hun for sin religiøse overbevisnings skyld havde foretrukket eksil i England frem for sit elskede fædreland; i England blev hun gift med Johannes Machabæus Alpinas af den gamle skotske MacAlpin slægt, ligeledes i eksil der; under forfølgelserne (i den sidste del af Henry 8.s regering) begav de sig som fredløse til Tyskland og havnede i Wittenberg, hvor de blev venner med Luther og Melanchthon; 1542 blev Johannes Machabæus af Christian 3. kaldet til et teologisk professorat i København og virkede her i 15-år. Hans hustru viste sig at være sin store mand værdig og berømmes af mange, høje og lave, som de havde optaget i deres hjem, og som tilskriver hende en stor del af deres religiøse opdragelse. Efter sine mands død i 1557 levede hun 32 år som enke og var for alle dannekvinder et godt eksempel. - Alle under universitetets jurisdiktion pålægges det at give møde ved hendes jordefærd den 5. februar om morgenen kl. 8.

LXXXV

M. Christianus Machabæus Alpinas Joh. Pistorio, veteri suo amico.

Salutem in Filio Dei. Reverende et doctissime vir, amice vetus et æternum conjunctissime, quod tui memoriam non deposuerim, etsi a postremo congressu te non viderim vel per literas compellaverim, testabitur illustris Dominus Ericus Hardenbergius noster, cum quo luculenter et honorifice de te collocutus sum, quotiescunque convenimus, et ita quidem, quod optaverim occasionem ad te scribendi mihi offerri, quo ab interitu paternas amicitias et quæ inter nos coaluit jam dudum necessitatem vindicarem et ad nostros posteros transmitterem, tum etiam, ut tui desiderium aliqua ex parte mihi lenirem. Quia vero tuum ad se accessum expectavit Dominus Ericus, suasit, ut scriptionem differrem, cum effecturum se promitteret, ut coram mutuis colloquiis et conspectu, intermissione diuturniori consuetudinis, interruptam et consopitam familiaritatem nostram renovarem et renovatam confirmarem. Itaque spe fretus optatissimi et jam dudum desideratissimi adventus [tui et] conventus nostri nihil ad te literarum dedi. Sed cum ornatissimus filius tuus in itinere ad me deflecteret et tuo nomine me peramice salutaret, nolui diutius in tuum adventum scribendi officium differre, verum per optatissimum internuntium ad desideratissimum amicum scribere volui et de meo in te amore et tui observantia testari, donec, Deo ordinante, concessum nobis fuerit, plenius et cum majori suavitate de perveteris amicitia nostræ incunabulis et progressu coram conferre, quod ut utrique concedatur, ex animo opto. Longum autem esset percensere curriculum vitæ meæ ab eo tempore, quo te Witebergæ reliqui, traductæ, nec, si otium esset, referre liberet, cum deflantis fortunæ tempestatibus in florida et virente ætate variis modis exagitatus fuerim. Tandem tamen peregrinationum et fluctuationum molestiis superatis, Deus optimus maximus me et res meas in portum tranquilliolem deduxit, ut nunc in conjugio vicesimum tertium annum confecerim, duobus filiis, facultatibus et loco mediocribus juxta vota a Domino cumulatus, ut cum Jacobo Patriarcha vere dicam: Minor sum cunctis miserationibus tuis et veritate tua, quam exhibuisti servo tuo. Filios meos, quos ad hanc coronationis solennitatem Witeberga revocavi, propediem eo sum

remissurus, ut hanc hiëmem illic traducant. Verno tempore, Deo anuente, constitui ipsos vel Genevam, vel Lugdunum Batavorum ablegare, ut Gallicum idioma addiscant. In ipsis enim Galliis omnia sunt tumultuum, seditionum et turbarum plenissima, ut sine summo discrimine nemo ibi vivat. Quod Witebergam attinet, furiosorum theologorum et Flacianorum clamoribus, rixis, ambitione pulcherrimus status, qui vivente suavissimo et æternæ memoriæ Præceptore nostro Melanthere floruit, omnino mutatus est, ut nihil ibi reperiatur, quod vel doctrinam vel pietatem sapiat. Nostra academia Dei beneficio virorum doctissimorum copia et auditorum frequentia est celebris. Sed detrimentum, quod ex ablegatione D. Hemmingii percepit, sero admodum resarciat. Matrem meam dulcissimam, cum annos ætatis LXXXVI complevisset, integris sensibus in ardente invocatione Filii Dei præmisimus ad æternæ vitæ consuetudinem anno salutis 89. die Conversionis Pauli, ut ex programme adjuncto cognosces. Dominus resuscitet ipsam cum suavissimo patre meo ad gloriam et nos in æterna vita in omni æternitate denuo jungat. Amen. Non sine dolore intellexi te dulcissimam conjugem tuam nuper amisisse, cujus opera et consiliis, ingravescente jam ætate, tibi maxime opus fuisset. Sed tu pro tua prudentia et pietate fortiter sustinebis tantæ crucis acerbiter, et ut illam superes, Deum oro, fontem omnis solidæ consolationis, ut te confirmet et efficaciter justissimo dolori tuo medeatur. Amen. Πάντα βατα βλου. Felices sunt, qui maturius hinc auferuntur, ut transplantati coelis inserantur. Nos multo miseriore sumus, qui supervivimus, sed in statione hac nobis manendum est, donec voce Summi Imperatoris nostri hinc evocemur, et interea patienter feramus γενναίως τὰ τῶν λογισμῶν καὶ παθῶν κύματα, cum tandem victores in Christo evadamus, superatis hujus mundi procellis et tempestatibus. Clarissimus filius tuus tibi explicabit, quæ Hafniæ in solenni coronationis pompa acta sunt; itaque de iis nihil hoc tempore scribam. Utinam auspiciato Illustrissimus et clementissimus Rex noster gubernationem suam ineat et quam diutissime ac felicissime illam administret in gloriam Dei, veritatis propagationem, salutem propriam et omnium subditorum. Nunquam in Dania fuit illustrissimorum principum major frequentia, splendidior apparatus equestris, spectacula ludorum et certaminum magnificentiora et, quod optimi est ominis, summa omnium ordinum et diversorum hominum concordia. Adderem plura, si otium scribendi supeditaretur. Te vero per veterem necessitudinem nostram obtestor, ut cum dabitur oportunitas, ad me de omnibus rebus tuis luculenter scribas. Ego vicissim non sum defuturus officio, modo intellexero meas literas non esse ingratas, tuæ autem mihi erunt optatissimæ. Præstantissime Pistori, dabo operam, ut intelligas nihil magis me in votis habere, quam ut tecum paternas amicitias continuum easque ad futuræ vitæ consuetudinem inviolatas traducam, idque declarabo assidua studiorum executione, quibus existimavero me tibi aut tuis gratificari posse. De tua erga me benevolentia et sincero affectu mihi omnino persuadeo. Bene vale, ab uxore mea et clarissimo hujus Regii Gymnasii rectore M. Johanne Stephano, ut ab amicis de facie ignotis quidem, sed qui te in Domino venerantur et amant, humanissime salutat, et inprimis rescribe. Oro, ut ex me amanter salutare non graveris Dominos magistros Albertum et Samuelem Majores, cum dabitur occasio. Filius Dei te servet et suo Sancto Spiritu consoletur et gubernet ad vitam æternam. Amen. Scribebam Soræ ταχυγράφως anno salutis 1596 VIIbris 19.

Præstantissime Pistori, si ad me rescribere volueris, literas tuas Haderslebiæ ad Georgium quendam scribam mittas, qui eas ad prædium

meum Bisbo, quod est in vicinia Assens, transferri deinde curabit. Per ipsum etiam ad te in posterum scribam. Existimo enim sine magna molestia curaturum ipsum per certos homines meas ad te deferendas. Iterum et millies vale, et hanc indiligentem scriptionem meam, ut acceleratam, boni consule.

*

Programma, sive intimatio, cujus in literis mentio facta est.

Rector Academiæ Hafniensis Johannes Aurifaber Lectori S.

Rerum humanarum inquietum adversis plerumque flatibus et procellosum pelagus est; rari et vix hominibus accessibiles portus, scopuli undique innumerabiles, inter quos vita difficilis et prorsus ambigua navigatio est. Quemadmodum igitur nauta, quem ventus, licet acrior, cito in portum pertulit, felix quidem censetur, sed qui diutius periculosiusque jactatur, majore cum gaudio terræ appellit, ita quos festinata ex hac vita translatio difficultatibus omnibus eximit, fortunati quidem judicandi sunt, attamen iis, qui longiores hujus caducæ vitæ labores et peregrinationes perpessi sunt, gratior magisque exoptata, teste experientia, quies in coelesti patria obtingit. Quod ipsum suo exemplo nuper comprobavit nobilis et honoranda matrona Agneta Sudderlandia vel Mattheusona, quæ varias fortunæ vices annis jam 86 fere experta 6. Calendas Februarias ad coeleste beatarum animarum contubernium ex hac lacrumarum valle in invocatione Dei emigravit. Nam cum parentibus ex præcipua Scotiæ nobilitate orta fuisset generisque splendorem statim ineunte ætate veræ pietatis studio auxisset et tetros religionis pontificiæ errores agnovisset, coacta est pio zelo dulcissimæ patriæ exilium anteponeere atque in Angliam sese conferre, ubi matrimonio juncta est Johanni Machabæo Alpinati, viro ex generosa et perveteri Macalpinorum familia in regno Scotiæ oriundo, theologo clarissimo atque ibidem religionis causa exulanti. Verum conjugalem felicitatem parum dioturnam pontificia tyrannis permisit. Etenim cum denuo ad idolomaniam pristinam relaberetur Anglia, proscripti in Germaniam concesserunt et post varia itinerum exhausta tædia Witebergæ quieverunt, familiaritate intima gratissimaque sanctissimæ memoriæ viris Lutherō et Philippo aliisque bonis et doctis conjuncti, unde anno 42 a laudatissimo et æterna recordatione colendo Rege Christiano III vocatus et professioni theologicæ adhibitus summus ille vir Johannes Machabæus annos plus minus quindecim functioni isti magna cum laude præfuit, quo etiam nomine tunc temporis in magna apud Regiam Majestatem gratia extitit. Interea conjunx tanto marito dignam sese gessit, pietatis industriæque studium nunquam intermittens et domesticos suos ad honestatem omnibus modis invitans, cujus rei testes etiamnum superstites sunt, tam nobiles quam ignobiles, qui tecto mensaque ipsius usi magnam partem piæ educationis illi acceptam referunt.

Postquam autem virum anno Christiano 1557 amiserat, tristissimæ viduitatis annos integros triginta duos ita traduxit, ut exemplar et speculum se præbuerit pietatis, castitatis, industriæ honestatisque matronis omnibus. Nullum profecto tempus præterire passa est, quin vel sacrarum literarum lectioni precationibusque invigilaret vel contionibus interesset vel denique rebus utilibus agendis (ut erat ab otio plane aliena) incumberet. Sed nostra prædicatione haudquaquam indiget, quam vivam nemo non ob vitæ integritatem et morum probitatem suspexit, et de qua defuncta fama ipsa aliud mentiri verebitur. Felix (licet imbecilla) senectus, quæ juventute elapsa fruitur jucundaque vitæ anteactæ memoria recreatur. Beata item mors, quæ

longam in terris vitæ coelestis meditationem claudit, possessionem vero inchoat. Hanc felicitatem honorandæ huic matronæ gratulari et quovis officio gratæ recordationis virtutes ipsius prosequi par est omnes pietatis et honestatis amantes, imprimis vero nostri ordinis homines. Id enim et recta ratio deberi arguit inculpatæ vitæ defunctæ hujus viduæ et præclaris in scholam hanc et rempublicam Danicam meritis, tum mariti, quem olim præmisit, tum filii, quem mæstissimum post se reliquit. Quocirca mandamus universis et singulis, qui sese nostræ jurisdictioni subjectos esse agnoscunt, ut hujusmodi affectum officiosa sua præsentia hora octava antemeridiana crastinæ diei, cum funus ei fiet, declarare contentur. Valete, studiosi p.p. 4. Februarii anno Christi Dei MDXIC.

Sub officii nostri sigillo.

339

Henrik Moller, Tønning, 6. oktober 1596.

Rektor Conrad (Backhusen, se nr. 327 og 335) er blevet afskediget, og nu har man udset sig Johannes Schnell fra Tønder, en efterkommer af den forrige provst Georg Petrus og en slægtning af den nuværende provst i Slesvig (Jacob Fabricius), til hans efterfølger. Han anbefales af sognepræsten i Süderstapel Johannes Holmer, landfoged Peter (Vaget) sammesteds og en anden af Mollers venner. Man håber, dette valg vil blive stadfæstet af provsten.

LXXXVI

M. Henricus Mollerus Johanni Pistorio.

S. per Christum Jesum, Servatorem nostrum. Reverende et clarissime D. Præposite, amice et fautor observande, postquam communi antistitum templi et nostro suffragio propter vitæ atque morum dissolutionem ac turpitudinem, quam totiens admonitus emendare neque potuit neque voluit, Conrado ludimoderatori nostro officium renuntiatum sit, neque is contra necessariam atque honestam animadversionem nostram, qua innumeræ illi prævaricationes et enormitates fuerunt objectæ et comprobatæ, justam excusationem aut defensionem proferre potuerit et vestrum etiam judicium atque sententiam (quæ liberrime ipsi concessa et proposita fuit) declinaverit, in eo etiam cardine adhuc res tota volvitur et persistit. Hanc severitatem omnino necessariam et, ut speramus, scholæ nostræ et communitati salutarem mutationem reverenda Vestra Dignitas, cum nuper mihi adesset, expressa una atque altera ratione prudenter approbavit et sibi placere indicavit. Solliciti igitur de pio, honesto et erudito atque modesto adolescente dum sumus, divina providentia factum est, ut veris istis notis atque donis ornatus adolescens nobis innotuerit; is est Johannes Snellius Tunderensis, optimi viri filius et clarissimi quondam Domini Præpositi Georgii Petræi avi nepos et, ut audio, Domini Præpositi Slesvicensis moderni affinis, qui aliquot annos præceptore Magistro Sperlingio Flensburgi et postea Hamburgi usus et in academia Witebergensi aliquandiu versatus dignam expectatione eruditionem cum morum integritate conjunctam acquisivit et ad communem scholarum et ecclesiæ usum inde in patriam secum attulit. Vixit jam per æstatem præteritam apud M. Johannem Holmerum et Petrum Præfectum Suderstapliæ, quorum filios fideliter et diligenter instituit. Colloquutus etiam ipse cum eo sum Lundini, quo cum M. Johanne invisendi nundinas gratia advenerat, et deprehendi necessaria in eo ornamenta et præsidia gubernandæ scholæ

nostra et chori musici ornandi requisita ac utilia futura. Accedit peritia juventutis regenda atque erudienda non vulgaris, cui jam annos aliquot operam navavit laudabilem, sic ut cum discipulis in academias missus et liberalitate hospitem suorum sustentatus sit, quae omnia M. Holmeri testimonio veraci et pio sunt corroborata. Tum etiam ex amicis meis quidam vir pius et sincerus verbi divini minister respondet literis suis: De Johanne isto hoc vobis pollicebimini habituros vos hominem modestum sedato ingenio et moribus, literis etiam Graecis et Latinis ita instructum, ut cui, Deo illum bene juvante, illi loco par esse possit. Regat et dirigat consilia et conatus vestros supremus scholarum dux, caput et auctor Filius ipse Dei. Spero eum talem fore, qui se vobis non plane indignum exhibebit. Hactenus ille. Quod restat igitur, reverende atque dignissime Praeposite, non dubitamus, quin hoc necessarium, pium et e re nata consilium nostrum reverendae Dignitati Vestrae probetur et sua benevolentia scholam et ecclesiam adjuvare prompto animo velit atque laboret, ut hactenus consuevit. Nostra studia et operam paratam reverendae Dignitati Vestrae nos vicissim deferimus. Rogo itaque, ut uno atque altero verbo suam de hac re sententiam nobis reverenda Dignitas Vestra aperiat, quo locum vacantem scholae nostrae sine ulteriore mora sarciamus et jacturam hoc invento et literis indicato atque expresso pii, boni atque eruditi adolescentis praesidio atque opera compensemus. Bene in Domino valeat reverenda Dignitas Vestra, quam suo Spiritu Sancto gubernet et consoletur princeps vitae nostrae Christus. Amen. Prudie Nonas Octobres anno 96.

340

Albert Meyer, Lindholm, 5. august 1597.

Rykkerbrev til Pistorius om tilbagelevering af en bog af Otto af Freising.

312

M. Albertus Major D. Joh. Pistorio.

S. Promissione tua, dilectissime amice et frater venerande, certo confisus propriis sumptibus nuntium Husiam ad Agatham Berndes expediti, ut mihi Otthonem Frisingensem, olim tuum, nunc meum, adferret. Verum cum tu, ut speraveram, eo nondum transmisisses, dolui bajulum vacuum rediisse sumptusque frustra factos. Quare secundo hanc famulam ad te destino indubitata spe ipsam sine Otthone nostro comitatum haud reversuram. Quod si Diasii tui Locos communes adjunxeris, pretiumque quantum rependere debeam, scripto significaveris, nihil facere poteris gratius. Vale. Raptim ex Lindtholmo anno 1597 die Augusti 5.

Tuus ex asse vetus fidusque frater A. M.

341

Johannes Pistorius til Peter Tezenius, Tetenbüll, 15. august 1597.

Tak for brev og et par småskrifter. Pistorius sender Tezenius en daler, da det f. t. er småt med rede penge; hvad han i denne høstens tid kan skrabe sammen, går til høstfolkene, men når han får regnskaberne fra kirkerne, vil han, som lovet, forsøge at få nogen studiehjælp til ham.

Johannes Pistorius Domino Petro Tezenio Rostochii literis operam danti. S. per Christum. Literas tuas et simul pagellas intimationum vestrarum hic die 15. Augusti cum tabellario Gryphiswaldensi ad me datas accepi. Gratum mihi fuit, quod scripsisti et de rerum tuarum statu me certiore fecisti; gratæ etiam fuerunt pagellæ, pro quibus tibi remitto talerum, cum hoc tempore parum in promptu sit pecuniæ. Nam in messe nunc operariis, quicquid possumus corradere, impendimus. Conabor autem, ut promisi, cum rationes ecclesiarum hujus provinciæ habebuntur, quod (nisi fallor) circa diem S. Michaëlis fiet, ut aliquid pecuniæ tibi in subsidium studiorum tuorum impetrem. Interim bene et feliciter vale, ac diligenter stude. Theodorus non est domi, sed peregre profectus; alias ad te scripsisset. Datæ in Tetenbüll 15. Augusti anno 97.

342

Albert Meyer, Lindholm, 20. august 1597.

Tak for tilsendte bøger. Dimer (se nr. 334) var på Fær, da Pistorius' brev ankom, men Meyer vil snarest muligt sende ham til Tetenbüll og håber, han må få embedet på Helgoland. (Han fik det ikke.)

313

M. Albertus Major D. Johanni Pistorio.

S. Gratiam habeo tibi, dilecte amice et frater, pro misso Otthone et Virvesio. Putaram Alphonsum illum fuisse Diasium, qui fratrem Johannem interfici curaverat. Jam Virvesius ille quisnam fuerit, a te doceri velim. Dimerus noster in Föhram insulam secesserat, cum nuntius et literæ huc venerunt. Satagam, ut quam primum eo ad vos veniat, et ut condicionem illam suscipiat. Tu quoque interea da operam, ut vocatione Hilgelandensi potiatur, et ne alius ipsum antevertat. Vale. 20. die Augusti anno 1597.

343

Georg Crusius, Kotzenbüll, 21. september 1597.

Indbydelse til Pistorius og datter til Crusius' datter Annas bryllup med kapellanen Andreas Horn i Tønning den 2. oktober.

LXXXVII

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum. Reverende D. Præposite, observande atque honorande Pastor, rectum est cogitationes de conjugio ordiri ab ea narratione, quæ describit primam humani generis formationem, ubi scriptum est: Dixit Dominus, non est bonum hominem esse solum, faciam ei adjutorium. Sapientissimo enim consilio Deus unum masculum uni foeminæ legitime copulat, et huic suo decreto acquiescere vult hominem neque θεομαχεῖν, nisi continentia dono divinitus fuerit ornatus. Huic consilio obsequens D. Andreas Horn, ecclesiastes Tonningensis eruditus et pius, nostram filiam Annam in conjugem sibi expetiit legitime, cujus votis, invocato Deo, annuentes diem nuptiis Tonningæ celebrandis diximus 2. Octobris. Cum vero ad solennes hos ritus adhibeantur et invitentur amici, ut pro conjugio pio, tranquillo,

fortunato et secundo preces ad Deum fundant, rogo, ut hoc officium nobis Tua Dignitas faciat atque præsentia sua nuptiale convivium ornet seque hilarem nobiscum dies aliquot præbeat. Quod si hoc abs se impetrari Tua Dignitas siverit et filiam una, quod precor, adduxerit, non dubitet, quin id sit cessurum in officium Christo gratum, qui nuptiis interesse non est dedignatus, eritque mihi et amicis acceptissimum. Ego quoque vicissim, quæcunque a me proficisci possunt, defero lubens calamo et corde minime fucato atque officia officiis sincere κατὰ δύναμιν remereri studebo. Vale, reverende D. Præposite, et Vestræ Dignitatis præsentiam in coetu nuptiali nobis ne deneges, etiam atque etiam rogo. Cotzenbulii anno 97 die 21. VIIbris.

344

Andreas Horn, Tønning, 24. september 1597.

Brudgommens indbydelse til Pistorius med børn til samme bryllup.

LXXXVIII

Andreas Horn, ecclesiastes Tonningensis, Johanni Pistorio.

S. per Salvatorem nostrum Christum. Reverende, clarissime ac humanissime Domine Præposite, quanta sit sancti conjugii dignitas ac majestas, quibusve laudibus Spiritus Sanctus illud evehat, aut quas ob causas a Deo optimo maximo institutum et tot secula contra insidias et astutias diabolicas conservatum et ornatum sit, supervacaneum judico reverendæ Vestræ Dignitati multis recensere, siquidem ipsa sacras literas quotidie evolvat Deique arcana scrutetur et aliis aperiat. Hoc saltem illi significandum duco me quoque, cum ad justam ætatem pervenerim, illum ordinem divinum amplexum et singulari Dei providentia maturaque ante habita amicorum deliberatione piam, modestam ac honestam virginem Annam Crusiam, reverendi ac clarissimi viri M. Georgii Crusii, Pastoris ecclesiæ Cotzenbullensis fidelissimi ac vigilantissimi, dilectam filiam in mutuum adiutorium atque vitæ sociam elegisse et in nomine Sanctæ Trinitatis mihi despondisse. Cum igitur vetus et laudabilis mos sit, ut cognati, affines, amici et viri honesti ut testimonium hujus sacri conjugii adhibeantur, ut ita publice coram tota ecclesia confirmetur, et jam ad solennem illum ecclesiæ ritum (quod felix faustumque sit) Dominica 19. Trinitatis, quæ erit 2. Octobris, sit constituta, reverenter et ea, qua decet, observantia rogo, ut reverenda Vestra Dignitas constituto die hic Tonningæ una cum liberis suavissimis comparere suaque præsentia eruditorum virorum, honestarum matronarum ac pudicarum virginum coronam cohonestare, nuptiales dies cum aliis invitatis amicis et dominis licita hilaritate transigere et ea, quæ Deus architriclinus pro sua bonitate largitur, æqui bonique consulere dignetur. Hoc mihi, meæ dilectæ sponsæ et toti familiæ nihil gratius fecerit, et nos vicissim reverendæ Vestræ Dignitati omnibusque suis perpetuam animi gratitudinem et omnem operam pollicemur et reverendam Vestram Dignitatem cum omnibus suis protectioni divinæ fideliter commendamus. Vale. Tonningæ anno 97 die 24. VIIbris.

345

Henrik Moller, Tønning, 16. februar 1598.

Pistorius bedes komme til Tønning i anledning af et par unge hollænderes ægteskabssag; manden har forladt sin hustru, og denne sammen med begges forældre ønsker ægteskabet opløst.

M. Henricus Mollerus, Pastor Tonningensis, Johanni Pistorio S.D.

S. per Christum. Reverende et clarissime Domine Præposite, amice et fautor honorande, contractum fuit ante sesquiannum inter puellam et juvenem, Hollandos cives nostros, matrimonium. Id nunc adolescentis sponsi desertione temeraria et levi (quippe qui toto isto tempore Tonninga abfuit, et cum semel tantum adesset, clandestino abitu desertionem comprobavit sparsisque per suos contumeliosis in puellam sponsam verbis in dubio rem reliquit) et sponsæ ipsius atque parentum utriusque partis pœnitudine vehementi rescindi desideratur. Quod reverendæ Dignitati Vestræ indicare volui, et cum primum viæ permittant et negotia vestra ferunt, ut nos invisatis rogo, ubi coram de re tota uberius et certius agetur. Vale in Christo. 16. Februarii anno 98.

346

Olavus Johannis, Oldenswort, 26. april 1598.

Pistorius har gjort indsigelse imod, at en vielse, som var fastsat til samme dag, foretages før pigens sag er blevet nærmere undersøgt; hun siges nemlig i forvejen at være blevet trolovet med en anden mand. Olaus Johannis viser skyldig lydighed, men gør opmærksom på, at den anden mand over for ham har vedgået, at en sådan trolovelse ikke har fundet sted. I sognepræstens fravær meddeler kapellanen provsten dette i forvisning om, at denne vil gøre sit til, at der sker, hvad der er rimeligt og ret.

LXXXIX

Olavus Johannis, ecclesiastes Oldenswordensis, Johanni Pistorio.

S. per Christum. Reverende Domine Præposite, frater et amice carissime, literas tuas accepi. Intellexi te cupere et velle, ne puellam Catharinam Jens cum sponso illo, cui hodie hic nuptura erat, matrimonio jungam, antequam causa cum alio sponso, quem eam habere scribis, cuique ante hoc tempus matrimonium promiserit, legitime cognita sit et discussa. Pareo igitur, ut debeo. Sed non possum te celare hunc eundem, qui literas tuas mihi exhibuit, coram me confessum esse sponsalia inter ipsum et puellam non esse contracta, interveniente voto patris, sed matrem tantum puellæ spem ipsi fecisse, fore ut illa potiretur, si pater vellet consentire. Negat etiam arrham datam esse ullam. Et quanquam hæc ita proferat, tamen nihil probat. Et licet probare posset, tamen ego non video, quomodo posteriora sponsalia per ejusmodi factam promissionem possint impediri. Petente igitur parte altera hoc tibi proferre volui, D. Pastore absente, non dubitans te daturum operam, ut quod æquum et justum sit, promoveatur, et ne innocentes vexentur molestiis et sumptibus non necessariis. Bene vale. Datæ in Oldenswordt 26. Aprilis anno 98.

347

Laurentius Addi, Witzwort, 8. december 1598.

Hermann Hoyer, Caspar Hoyers søn og efterfølger som staller, har vundet sin gode sag og pålagt Addi at meddele Pistorius dette; han beder endvidere om, at der den kommende søndag sammen med taksigelse

herfor må bedes om lykke med hans ægteskabsplaner. (Han blev den 15. april 1599 gift med den kendte rige Anna Ovena.)

(Den omtalte retssag er den, der kort efter Caspar Hoyers død den 19. november 1594 rejstes mod hans arvinger med svære anklager mod ham for misligheder i hans embedsførelse til egen fordel, bl. a. for at have modtaget bestikkelser. Sagen har altså ifølge Addis brev fået et for arvingerne heldigt udfald, men beskyldningerne var ikke grebet helt ud af luften. 'Gaver' har han modtaget, og det var ikke småting. I en beretning fra landskriverne i oktober 1598 nævnes en brøkdæl af dem, mindre og større pengebeløb, guld, land og korn; landskriveren i Lunden Hans Danckwerth nævner 52 tilfælde og et samlet beløb i penge alene på ikke mindre end over 13500 mark.)

XC

Laurentius Addi Johanni Pistorio S.D.

Post varios casus, post tot discrimina rerum tandem bona causa nobilis et magnifici Domini Hermanni Hoyeri, Casparis filii et in hereditate et præfectura successoris optatissimi, triumphat. Hoc etiam ut venerandæ Tuæ Dignitati significarem, jussit petiitque, ut post habitas hactenus deprecationes futuro die Dominico publice in agendis Deo gratiis pro incredibili liberatione ex inimicorum et adversariorum manibus et felici optatoque in negotio matrimoniali successu frequentes et ferventes essemus. Tua veneranda Dignitas feliciter cum filio Theodoro valeat. Wittzwordi anno 98 die 8. Xbris.

348

Henrik Wagenföhrer, Rellingen, 26. januar 1599.

Attest på, at huskarl Georg von Pein, som vil giftes i Ejdersted, er ægte søn af ægtværdige forældre i ringe kår på landet; en broder er natvægter på Pinneberg slot og afholdt af alle. - Wagenföhrer glæder sig, hvis han ikke har taget fejl i, at provsten i Ejdersted er Johannes Pistorius, men skulde dette ikke være tilfældet, bedes modtageren undskylde, at brevet er fejladresseret, og hilse den gamle, ærværdige mand fra ham.

XCI

Henricus Wagenföhrer, Pastor in Relling, Johanni Pistorio S.D.

Reverende et doctissime vir, Pastor observande, liberis, inquit ille, magna dos est parentum virtus, quæ in illis ipsis parit magnam laudem ac suis apud alios bonam de sese parit existimationem. Ea de causa Georgius von Pein, servus domesticus apud nos, suorum a me parentum honeste actæ vitæ commendationem per fratrem petiit. Putavit enim apud ignotos suæ ex recto conjugio productæ originis famam jucundissimam sibi atque honestissimam fore. Etsi autem ejus parens Joachim von Pein aliquot ante annos defunctus est, priusquam ad munus docendi ecclesiasticum huc loci vocatus accesserim, mater tamen ejus honesta foemina adhuc in vivis est in ædibus suis, quæ sunt in pago Appen, qui præfecturæ Pinnenbergensi subjectus est, de utrisque vicini omnes aliique nostri homines rectissime testantur eos in legitimo matrimonio conjunctos vixisse, honesto loco liberos suos omnes ac Georgium quoque procreasse. Voluerunt namque vitæ integritate compensare facultatum et fortunæ tenuitatem. Ex hisce parentibus, hominibus rusticis, originem ducit ex conjugio Georgius v. Pein eorum filius, qui fratrem quoque Hermannum vigilem nocturnum in arce Pinnenbergensi

habet, omnibus notissimum et liberalem ob servitatem carissimum. Quod testari de hac familia æquissimum ac rectissimum esse judicavi, cum frater ejus cum sorore id a me contenderint, ne Georgio ad idem vitæ genus, matrimonium scilicet, apud vos, quo animum adjecerit, interclusus aut impeditus esse videatur. Vestra, vir reverende et observande, pro humanitate adjuvare atque hasce literas apud vos nondus habere ut velitis, etiam atque etiam rogo. Vale. Ex pago Rellingo, qui arci Pinnenbergensi cum ecclesia conjunctus est, 26. Januarii anno 99.

Dubitavi, vir reverende et dignissime, de nomine Pastoris, nec de eo quisquam me certiore facere potuit. Existimavi Johannem Pistorium superintendentem ecclesiarum Eyderostediensium esse. Si me animus non fefellit, vehementissime lætor; sin erravero, virum tamen doctissimum, humanissimum ac senem observandum meis verbis ut salutetis, vehementer oro, itemque ne ægre feratis ob dubitationem incertam vestrum nomen honestissimum non inscriptum esse literis. Iterum vale.

349

Henrik Moller, Tønning, 28. januar 1599.

En kvinde, hvis mand for otte år siden har forladt hende, og som siden da har ført en ulastelig vandel, er blevet rådet til at gifte sig igen med en hæderlig mand. Pistorius bedes tage sig af sagen, så hun kan blive lovligt skilt fra den bortløbne mand.

XCII

M. Henricus Mollerus, Pastor Tonningensis ecclesiæ, Johanni Pistorio.

S. Reverende, clarissime atque prudentissime Domine Præposite, amice honorande, vivit hic Tonningæ foemina, quæ hanc schedam coram exhibit et vulgo vocatur Illien (credo Helenam vel Elsam rectius dici), quæ jam ultra 8 annos, ni fallor, a suo marito, rerum suarum prodigo nebula, deserta, et cum sit et fuerit hactenus non tantum honesta et inculpata, sed laboriosa quoque vitæ et assiduis laboribus victum sibi apud nostros cives quæsiverit, auctores illi fuerunt nonnulli, ut honesto viro rursum nuberet. Quod cum mihi indicaret, monui, ut reverendam Dignitatem Vestram de citatione sollicitaret et sic legitimo postea divortio a suo profugo desertore liberaretur. Quod ut reverendæ Dignitati Vestræ significarem, obnixè a me petiit. Ego reverendam Dignitatem Vestram divinæ gratiæ et protectioni commendo. Tonningæ anno 99 Dominica de servata cum discipulis navicula Christi.

350

Georg Crusius, Kotzenbüll, 28. maj 1599.

Crusius har haft tretten børn, som nu er reduceret til halvdelen, og af seks overlevende er nu den tredje, Georg, på 7 år død af kopper. Pistorius og hans søn Theodor bedes komme til begravelsen.

XCVIII

M. Georgius Crusius, Pastor in Cottzenbul, D. Johanni Pistorio.

S. per Jesum Christam, qui dedit ἁγία πνεῦμα Spiritus Sancti in cordibus nostris. Reverende Domine Præposite, honorande Senior, mei conjugii tredecim liberis dotati πολυτεχνία longe plus lætitiæ atque consolationis quam doloris et tristitiæ divinitus mihi peperit et parit,

atque ut in posterum pariat, Deum æternum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, supplex oro. Etsi enim dimidio minutus sit liberorum numerus et ad senarium redactus atque nunc tertius Georgius septennis, in quo modestiæ, pietatis et ingenii indicia emicabant, sit sepeliendus, quem variolæ, quas *ἐξανθήματα* sublimia plerique medicorum nuncupant, interimerunt heri ipso die Pentecostes, tamen hæc spes reposita est in sinu meo illorum animas, quos ad se venire Christus [voluit], et cum quibus icit in baptismo foedus, ab angelis in Abrahæ sinum deportatas esse et corpora in novissimo die gloriosiora resurrectura. Larva enim deturpantium et perniciosarum variolarum filioli mei, quæ a vertice ad plantam pedis corpus obsederant, non minus oculos Dei et angelorum ab eo avertit, quam a Lazaro, cujus ulcera in Dei conspectu longe fragrantiora, fulgentiora et pretiosiora fuerunt quam omnium Cleopatrarum unguenta atque uniones, quorum unus 312500 taleris uncialibus est æstimatus. Quid? Is, qui fidelis est, *ἀψευδής* atque omnipotens, *μετασχηματίζει* corpus nostræ humilitatis, ut conforme fiat corpori ejus glorioso secundum efficacia, qua potest etiam sibi subjicere omnia. Ex his, ut communem capiam consolationem per mutuam fidem, vestram simul et meam, rogo Tuam Dignitatem, ut die penultimo Maji, qui est dies Mercurii, hora XII, qua corpusculum filioli Sanctæ Trinitatis et animulæ domunculam terræ mandabimus, domum nostram venire, adducto una filio D. Theodoro, atque exsequiis interesse et colloquio pio mæstos parentes *εὐστόργους* reficere non dedigneris. Mea si qua sunt officia, Tuæ Dignitati in tristibus et lætis reofferro. Valere Tuam Dignitatem exopto. Cotzenbulii anno 99 Maji 28.

Collegam reverenda Tua Dignitas meo nomine ad exsequiis ut invitet, rogo.

351

Georg Crusius, Kotzenbüll, 15.oktober 1599.

Johannes Mencke og hans søn bliver ved med at smæde Crusius og være ulydige, så han nu må bede om, at Pistorius sammen med stalleren omgående indstævner dem.

XCIII

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum, qui solutos nervos et animos surrigit, quo opem ferente ut lectorum nostrorum bajuli fiamus. Reverende et honorande D. Præposite, de contumelia et inobedientia Johannis Menckii et filii ejus Tuæ Reverendæ Dignitati antea sum conquestus. Cum vero pertinaciter in proposito suo uterque persistat, oro, ut Tua Dignitas scripta citatione adigat illos, quo se nobilis D. Præfecti atque vestro judicio ad diem Mercurii sistant. Sustinere calcitrationem asini, ut Socrates dicebat, potuissem, nisi contemptus contemptum auditorum quorundam stabilire et Menckiorum animabus exitium, quod Deus avertat, allaturus esse videretur. Tuam Dignitatem Dei tutelæ commendo. D. Theodorum salutari meis verbis peto. Cotzenbulii anno 99 IIXbris 15.

352

Hermann Lather, Wittenberg, 12.december 1599.

Tak for breve fra hans slægtning Johannes Pistorius og dennes søn Theodor. Lather afviser, at han skulde have sagt noget nedsættende

om Conrad Hoyer, og beder Pistorius om at forsvare og rense ham over for denne. Lukas Osiander d.E. har udgivet det 7.årh.s kirkehistorie.

XCIIII

Hermannus Latherus Johanni Pistorio consanguineo suo.

Salutem per salutis principem. Literæ tuæ, reverende et observandissime Domine consanguinee, pridie ante discessum meum Magdeburgo, nempe 12. Calendarum Decembris, mihi traditæ sunt, quibus de statu rerum vestrarum teque adhuc prosperrima valetudine uti certior factus fui. Deum itaque omnipotentem, bonorum et salutis auctorem et conservatorem, rogo, ut te quam diutissime incolumem conservet ad nominis sui gloriam et ecclesiæ salutem. Amen. Literis tuis, cognate dilectissime, etiam Theodori filii tui carissimi literæ adjunctæ fuerunt, in quibus obrectationis de Domino Conrado Hoyero mentionem fecit, utpote me indignis modis illi obrectasse, et Conradum de hoc alicubi esse conquestum et minitatum etiam mihi. Sed, reverende et colende cognate, hujus mihi plane non sum conscius, neque ullum unquam verbum cum illis commutavi, qui hoc de me sparserunt, neque quandiu Magdeburgi fui, unquam audivi Conradi ullam mentionem factam esse, quod libere et bona cum conscientia dico. Et quid, quæso, ad me, quid et quomodo agat, an frugi, an vero prodigus sit suorum bonorum? Ideo te consanguineum meum dilectissimum summopere oro, ut me apud illum defendas et excuses. Nam, ita me Deus amet, innocens calumnia gravor. Si autem de hoc cognovissem, cum Magdeburgi essem, et auctorem hujus calumniæ nominasset, ita me purgassem et calumniam refutassem, ut ipsi satisfactum dixisset. Nihilominus certo oblato nuntio scribam de hac re Magdeburgum ad Alemannum. Propter occupationes meas multivarias hic desistere cogor. Itaque vale, et carissimam filiam tuam Catharinam meo nomine amanter saluta. Lucas Osiander edidit centuriam septimam historiæ ecclesiasticæ; si cupis, data occasione eam tibi mittam. Datæ Wittebergæ anno Christi 1599 die 12. Decembris.

353

Albert Meyer til Theodor Pistorius, Lindholm, 13.januar 1600.

Tak for et par breve. Meyer er i sit 72. år, men besværes ikke af alderdommen. Han har stadig næsen i bøgerne. Hele sit liv har han beskæftiget sig med alkemi, så han nu snart ved alt om denne videnskab, men hvis Theodor finder noget derom, skrevet eller trykt, vil han gerne se det. Han ønsker Theodor til lykke med søsterens trolovelse og med udsigten til at få et embede i kirken, glæder sig over, at Tyge Brahe stadig er i live, og håber, han må leve længe og få udgivet endnu mere. Han frygter for, at Spanierne i dette år vil gøre, hvad Hilten og Luther har forudsagt, og undrer sig over de tyske fyrsters sorgløshed, for han er ikke i tvivl om, at Spaniernes hensigt er at tilintetgøre hele Tyskland og den evangeliske religion. Han kan næppe tro, at Sigismund af Transsylvanien, som så mandigt har forsvaret kristendommens sag, skulde være gået over til den troløse fjende.

XCV

M. Albertus Major, Pastor Lintholmii Risingmohræ,
D. Theodoro Pistorio, Johannis filio, S.D.

Binas, optime dilectissimeque Theodore, abs te accepi literas, alteras datas Julii die 11. imparibus numeris, feliciter, candide atque amice

gratissimeque, alteras Januarii die 8. hujus anni, exaratas, utrasque doctrina, candoris, iudicii atque amoris erga me tui constantissimi testes indubitatas, quibus utinam pro voto utriusque respondere possem. Maximas vero Tuæ Humanitati pro candore atque iudicio de me tuo habeo gratias, relaturus occasione oblata, etsi expectationi doctæ tuæ satis facere pro dignitate meritoque tuo non possum. Ad statum rerum mearum quod attinet, scias, mi Theodore, amice longe amantissime, me nunc ingressum annum ætatis 72 seniumque hoc meum sine ulla molestia hilariter ferre, nulla adhuc oculorum hebetudine, nulla dentium stupore, nullo ventriculi fastidio, nulla pedum defatigatione molestante, ut Deo optimo maximo satis condignas gratias reddere non possim. Fervor quoque omnis generis studiorum omniaque pulcherrima cognoscendi et investigandi non tam in me deferbuit, ut quotidie accendatur, ardeat, inflammetur augeaturque magis, hocque potissimum vitio urgeor præcipue, ut nimius librorum helluo esse videar, ut haud abs re in me Calobæus lusisse videatur hoc haud ingrato scommate: Albertumque sches in libros hængere nasum. In meditatione veræ chymia, de lapide (ut vocant) philosophorum, omnem fere ætatem obiter transegi, ut scripta propemodum ea de re alchymistarum omnia intelligere me putem discernereque posse, qui eorum scriptores vere, qui falso et impostorie (quorum, proh dolor, maxima turba est) scripserint, quique (ut artem celent) falsa veris miscuerint, quique eorum longa, qui brevissima via insistant. Labore etiam et praxi eo (Deo munere) processisse mihi videor, ut propediem me artis verissimæ compendiosissimum finem attingisse sperem, sed toto isto studio nimis quam verum comperi hoc Alciati emblemata:

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas,
ut me pluma levat, sic grave mergit onus.

Ingenio poteram superas volitare per arces,
me nisi paupertas invida deprimeret.

Quod si tamen potiri volo, (Diis aspirantibus) detur, nihil mihi erit suavius, quam te mei gaudii cum primis fieri participem teque Meum Poëtam et esse et dici. Si tibi interim occurrerint tractatus chymistici, seu manu scripti, seu impressi, fac videre detur, non quod maximopere indigeam, sed ut gulositati nostræ faciam satis. Te cum optimo parente tuo, amico meo veteri et dilecto, pancratice valere gaudeo congratulorque fortunæ et sororis desponsatæ, et tui functionem ecclesiasticam suscepturi, addoque vota mea, ut ex animo atque ad animæ corporisque salutem procedant singula. Lætum Nauticum et Fracastorium Gallicum (ut ita dicam) recepi. Ut insulanum emaculare, tibi otium ut esset, optarem maxime. Ex albo tuo nondum descripsi carmina impressa, quæ vellem, omnia, quare si eo aliquanto adhuc tempore absque incommodo tuo carere posses, usum ejus tantisper mihi permittas, quoad, quæ velim, excerpsero, quod te pro tua erga me benevolentia haud gravate facturum confido. Tychonem Brahæum superesse et vivere lætor optoque, ut vivat diu cudatque in usum doctæ posteritatis plurima ac nostris votis satisfaciat. Hispanos valde timeo Hiltenii atque Lutheri vaticiniis hoc anno 600 satisfacturos, quod Deus clementer avertat aut mitiget. Et mirari principum Germanicorum socordiam, remissionem et securitatem non satis possum, quod non tam præsentis et summo malo mature occurrant, imo quod non jam dudum occurrerint. Fronte enim capillata, post est occasio calva, cum mala per longas invaluerint moras. Non enim dubito, quin Hispani meditentur excidium totius Germaniæ omnisque nostræ religionis, quin et occupationem non tantum omnium provinciarum Alemanicarum, sed et totius monarchiæ orbis terrarum. Deus tueatur suos. De Sigismundo Transylvano ægre credere possum ipsum a suis ad perfidum hostem (cui

tuto confidere nunquam poterit) descivisse, nec ea de re quicquam antea fama comperi, cum toti orbi testatum fecerit, quantus heros, quanta felicitate, quantis successibus rem Christianum forti manu fortissimoque animo tutatus sit. Deus te tuosque omnesque pios tueatur ametque. Amen. Raptim ex Lindtholmo Risingmohræ anno virginæ partus 1600 Januarii 13.

354

Dr. theol. Lucas Bacmeister, Rostock, 21. april 1600.

Anbefalingsskrivelse med Peter Tetzenius, som får et godt vidnesbyrd fra universitetet.

XCVI

Lucas Bacmeisterus, sacræ theologiæ Doctor et ecclesiæ Rostochiensis Superintendens, Johanni Pistorio, veteri suo amico.

S. in Christo, Redemptore et Salvatore nostro unico. Reverende et doctissime vir, Domine et frater colende, hic Petrus Tetzenius, cognatus tuus, iter ad te instituens literas meas sibi addi petiit, quibus commendatior istuc veniret, cum enim spes sibi facta sit functionis alicujus istuc consequendæ; etsi de tua erga se benevolentia et juvandi promptitudine nihil dubitaret, tamen magis eam meo etiam testimonio et intercessione augeri et confirmari posse existimavit. Notus mihi fuit aliquo jam tempore in hac academia ac propter pietatem, modestiam ac diligentiam probatus, sicut et aliis viris bonis ac præceptoribus suis. In officio, quo functus fuit, mensæ communi ministrando et bibliothecam facultatis philosophicæ inspiciendo fidem debitam præstitit ac totam adeo vitam ad timorem Dei et honestatem morum composuit. Dignus itaque est, qui a te, non propter sanguinis modo conjunctione, sed etiam propter virtutem et spem optimæ frugis et industriæ in officio, quod ei demandabitur, ametur ac promoveatur. Idque te non gravatim mea quoque causa facturum esse omnino mihi persuadeo. Veteris amicitia nostræ te adhuc recordari et hic Petrus mihi rettulit, et ex aliis jam ante cognovi, teque eam literis ad me datis renovasse aliquando arbitrator, si recte memini. Neque mihi prorsus excidit memoria tui, licet multi jam anni præterierint ab eo tempore, quo nos mutuo novimus et communibus studiis incubuimus. Dominus, qui vita nostra fuit hactenus, et longitudo dierum nostrorum, servet ac regat nos in hac senectute et canitie, ut velut plantæ domus Domini germinemus ac floreamus coram ipso, proferentes in ministerio nostro gratos illi fructus et salutare ecclesiæ ac duraturos in vitam æternam. Hujus gratiæ ac protectioni te totamque familiam tuam commendo. Datæ Rostochii die 21. Aprilis anno 1600.

355

Johannes Pistorius til præst(er) uden navns nævnelse.

Indbydelse til den fjerde og yngste datter Catharinas bryllup med Peter Walckens den 4. maj 1600. De ældre søstre var blevet gift før.

330

R. N. Johannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Reverende vir, amice et frater carissime, non dubito, quin providentia et voluntate Dei factum sit, quod ante aliquot dies dilectissimam filiam meam Catharinam pio et honesto

juveni Petro Walckens, pii et honesti apud nos viri Walcke Mommens filio, desponderim. Est filia hæc natu mihi minima inter illas, quas Dominus mihi dedit, et antea elocatas, quarta et ultima, quæ ab obitu dilectissimæ beatæ meæ conjugis in hac viduitate ac solitudine mea magno mihi hucusque solatio fuit et in oeconomia rebusque meis domesticis curandis et administrandis ad exemplum et imitationem piæ, providæ, sedulæ et laboriosæ matris suæ eam adhibuit diligentiam ac præstitit curam et utilitatem, ut ipsam vel hoc nomine satis prædicare et gratias ei condignas agere haud possim. Etsi igitur difficile et grave admodum mihi deinceps futurum erit ea carere et a me eam dimittere, tamen cum Siracidis admonitionem et præceptum, qui cap.7. ait: Colloca filiam tuam in matrimonium, et magnum quiddam perfeceris, et viro intelligenti trade eam, considerem, et quod divinæ voluntati nos parere oporteat, tum etiam quod me filiæ hac quidem in causa obstare commodis non deceat, cogito et acquiesco in eo, quod Sophocles, quamvis ethnicus, quodam in loco ait: **γένοιτο μὲν τ' ἄν πᾶν θεοῦ τεχνωμένον**, fiant omnia Deo gubernante. Ac quod me attinet, cum excellentissimo et religioso J. C. Matthæo Wesenbecio quotidie oro:

Qui me servasti puerum juvenemque virumque,
 adfer opem misero nunc quoque, Christe, seni.

Cum autem laudabili consuetudine inde usque a primorum patrum memoria receptum et servatum sit, ut conjugium et nuptiæ, quibus juxta Domini Hemmingii sententiam promissio conjugii antea facta ratificetur et consumatur, cum quadam solennitate in frequentia et congressu piorum et honestorum hominum ineatur et celebretur, et id quidem hisce potissimum de causis, prima, ut consideretur admirandum opus creationis hominis, creavit enim Deus masculum et foeminam eosque certo foedere conjugali ipse copulavit, ut duo in carne una, h. e. inseparabiliter, juncti certa lege genus humanum propagarent et conservarent; deinde ut in congressu et frequentia aliqua a pluribus vota et preces fiant, quo et porro Deus conjugii ordinem a se institutum (quem spiritus immundus variis libidinibus oppugnat et polluit) servare velit et novo sponso et sponsæ benedicat; denique ut non clam in loco occulto, sed omnibus manifesto, maris et foeminæ conjunctio fiat, quo constet duos illos cum invocatione Dei et juxta ordinem divinitus institutum copulari et conjungi, ut sint duo in carne una inseparabiliter juncti ad generis humani et ecclesiæ Dei propagatorem, nuptiis celebrandis constituimus proximam Dominicam Exaudi, quæ hoc anno incidit in 4. diem mensis Maji, ad quas una cum aliis Dominis et amicis, reverende et doctissime vir, Dignitatem Tuam et simul dilectissimam conjugem ac suavissimos liberos vestros perquam amanter invito maximopere orans, ut ad præscriptum diem hic apud nos comparere ac nuptialem coetum nostrum præsentia vestra ornare, cohonestare, vota et preces pro sponso et sponsa ac felici conjugii eorum auspicio ad Deum facere, ac quæ misericors Deus pro bonitate sua e culina et cellario largitus fuerit, boni consulere ipsosque nuptiarum dies festivos et lætos nobiscum peragere velitis. Præstabitis hac in re nobis officium longe gratissimum, pro quo vicissim omnia grati animi obsequia et officia, quantum in me fuerit, polliceor ac ubicumque potero præstabo. Datæ in Tetenbul anno 600.

356

Henrik Moller, Tønning, 5.maj 1600.

Undskyldning for, ikke at have kunnet komme til Pistorius' datters bryllup, med en lille bryllupsgave og alle gode ønsker for de nygifte.
 - Adskillige dødsfald i Tønning.

M. Henricus Mollerus, Pastor Tonningensis, D. Joh. Pistorio.

S. Reverende Domine Senior, dignissime Præposite, amice et pater honorande, epistolam vestram omni humanitate, pietate et suavissimo τῷ ἦθει de vitæ vestræ præsidio et subsidio divino, h.e. sacrosancto conjugio, plenissimam et fragrantem debita reverentia accepi et intellexi. Non parere tantum vestræ expectationi, sed ultro libentissime comparere volui, sed præter omnem expectationem cum ingrata vocatio ad exteras oras, tum luctuosa mors amici nostri Siegfridi Boiens, qui fuit ἀληθῶς κοινὸν ἀγαθόν, me domi detinuit. Excuset igitur reverenda Dignitas Vestra me et sibi et novis sponsis et filio Domino Theodoro, quorum omnium et amicorum præsentia atque consuetudine recreari decreto cupivi et desideravi. Exiguam γαμήλιον sponsæ meo nomine ut tradat cum precatione et voto benedictionis divinæ, hoc unice a Vestra Reverenda Dignitate precor, et ut in bonam et æquam partem meam interpretemini absentiam, id vero amicissime precor, vobis alias pro virili gratificaturus. Bene in Christo omnes valete. Tonningæ 5. Maji anno 1600. Salutate Dominum Theodorum filium vestrum.

Hodie matronam honestissimam octogenariam contione mea funebri terræ mandavi. Martini Pictoris conjugii mortuæ idem debeo officium. Domino Siegfrido Boiens non sine lacrimis et gemitu præstare potero. Multi præterea hic lethaliter decumbunt.

357

Hermann Lather, Wittenberg, 27. juni 1600.

Som tak for meget godt modtaget fra Pistorius sender Lather ham et arbejde over et filosofisk emne, som han ikke har undset sig ved at lade trykke og tilegne Pistorius. Han sender ham flere eksemplarer til fordeling sammen med dr. Gessners teser om koncilierne mod Bellarmin, som Hoë samme dag har forsvaret i det store auditorium, og ønsker Pistorius' datter Catharina til lykke med, at hun har fået en mand, samt sønnen Theodor med, at han har fået præsteembede (som kapellan i Skt. Peter).

C

Hermannus Latherus D. Johanni Pistorio, Eiderostedensium Præposito vigilantissimo, amico et consanguineo suo.

S. Tritum atque vulgare est illud, vir præstantissime atque consanguinee honorande, χαρίτων δὲ θυμὸς ἄριστος. Beneficii enim collati memoria esse debet immortalis semperque in animo grato vivere. Etenim probe scio nec diffitior me a te beneficiis esse affectum quam plurimis (cum semper fidelis auctor et dux mihi in studiis meis exstiteris), quorum oblivisci ingrati et injusti esset. Fructum itaque studiorum meorum a me prope summo jure repetere debes. Quare sæpe meditati, quo modo a Tua Excellentia collata in me beneficia compensarem, tandem thema hoc philosophicum 'de terræ præstantia' mihi injunctum excolendi ingenii gratia; non sum veritus illud ipsum typis mandare Tumque Reverendæ Dignitati propter innumera in me beneficia dedicare et offerre, haud dubitans te hoc meum studium, licet exiguum, æquo animo suscepturum neque tam orationem hanc quam animum respecturum. Non autem spe pretioli alicujus aut vanæ ambitionis ad scribendum sum commotus, sed magis, ut me erga te bene meritum gratum præberem. A te vero, vir reverende et consanguinee summo observantiæ

cultu colende, summis viribus contendo, ne mihi vitio vertas, quod hanc orationem, licet jejunam et aridam, Tuæ Reverentiæ inscripserim; sequentur forsitan meliora. Habes hic, inquam, aliquot exemplaria, quæ aliis, nempe Domino Theodoro et Domino Pastori affini nostro meo nomine distribuere potes, quibus theses D. D. Gesneri de conciliis contra Bellarminum adjunxi, quas hodie nobilissimus et doctissimus Dominus Hoë in auditorio magno pro virili defendit. Filiæ tuæ Catharinæ, virgini piæ atque verecundæ nuptæ viro, atque Domino Theodoro filio, jam ministro verbi Dei facto, gratulor ex animo iisdemque salutem plurimam adscribo atque Dei gratiam benedictionemque precor. His, reverende Domine consanguinee, vale et meo nomine D. Theodorum, filiam Catharinam aliosque quam officiosissime salutato. Etiam atque etiam vale, et me tui amantem redama. Dabantur Witebergæ 27. Junii anno 1600.

358

Georg Crusius, Kotzenbüll, 1. september 1600.

Crusius beder om undskyldning for, på grund af sin svigersøn og kollegas (Simon Hogreves) sygdom ikke at kunne være til stede (vel ved et konsistoriemøde).

Centuria quarta.

1

M. Georgius Crusius D. Johanni Pistorio.

S. per Jesum Christum, ἀρχιτρον καὶ σωτήρα ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἔδοντων. Reverende et honorande Domine Præposite, cum gener meus et collega dilectus feбри ardenti et hypochondriorum distentione sit correptus, etsi Dei benignitate nonnihil respiret, a latere ejus discedere non audeo. Quare rogo, Tua Dignitas ne meam absentiam ægre ferat, et reliquis fratribus reverendis me excuset, quos salutari meo nomine officiose peto. Vale, reverende D. Præposite. Cotzenbulii anno 1600 die 1. Septembris.

359

Henrik Moller, (Tønning), 6.maj 1601.

Moller har været syg af epidemisk leverkatarrh, er ganske vist kommet over den, men kan ikke komme uden for huset, og beder derfor om undskyldning for, ikke at kunne være til stede ved konsistoriets møde. Han ønsker, at man vil forsvare Peter Aurifaber (i Garding) mod alle mod ham rettede onskabsfulde beskyldninger.

2

M. Henricus Mollerus D. Joh. Pistorio.

S. Reverende, clarissime et dignissime Domine Præposite, venerande Senior et amice, quandoquidem e difficili morbo epidemico, febrili hepatico, jam primum eluctatus, non sine gravamine pedes lassos sive languidos domo efferam et anxie cavere studeam, ne fiam recidivæ obnoxius, submissee reverendam Dignitatem Vestram rogo, ut absentiam meam a consistorio decreto æquo ferat animo. Servator noster Dominum Pastorem Petrum Aurifabrum ab adversarii virulentia vestro patrocínio et judicio æquiore defendat ejusque venerandam existimationem, quam hactenus pie, sincere, honeste et cum laude obtinuit, inviolatam et illæsam a malevolis, invidis et vindictæ cupidis,

manifestis et occultis machinationibus conservet. Amen. Vale.
6. Maji anno nati Christi 1601.

360

Johannes Momsen, Oldenswort, 9.juni 1601.

En mand har begæret vielse til en ung kvinde, hvis mand for nogle år siden er flygtet for at undgå straf for tyveri; man ved ikke sikkert, om han endnu er i live eller er blevet henrettet, men hvis han vendte tilbage, vilde han blive dømt til døden. Kvinden anser ham i alle tilfælde for død. Momsen ved ikke, om denne sag skal henvises til konsistorium, eller det påtænkte ægteskab kan tillades uden om de civile myndigheder, og beder derfor provsten om at tilkendegive sin mening.

3

Johannes Momsenius, Pastor in Oldenswordt, Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum. Reverende et clarissime Domine Præposite, Præsens hic Dethlevus Georgii in nostra parochia natus et educatus despondit sibi foeminam quandam, cujus maritus propter furtum apud nos commissum ante annos aliquot aufugit, et petit a me copulationem. Ego autem, cum nihil certi habeam, an fur iste adhuc sit superstes, an vero per supplicium e medio sublatus, cunctor, et quid mihi in hoc casu agendum sit, valde dubito. Rogo itaque Vestram Dignitatem, ut mihi suum communicet consilium. Multa occurrunt; foemina est juvenula et ad conjugium propensa, maritus vero abest, et propter furtum abest, ut non audeat et possit ei cohabitare. Nam si reverteretur, morti adjudicaretur. Furem autem sequi hactenus abhorruit, et [si] eo animo esset, ut sequi vellet, locum ignorat, ubi ipsum inveniret. Sive itaque vivat, sive non vivat, ei tamen spes nulla cum ipso de matrimonio consummando est relicta. Plane enim ipsi videtur mortuus. Alterum igitur hunc sibi delegit, amat. amatur, ille petit, illa petit copulationem et nunc hunc, nunc alium ad me mittit intercessorem et deprecatorem. Ego vero nescio, num causa hæc ad consistorium sit devolvenda, vel an possit hoc conjugium in scio magistratu civili concedi. Iterum itaque et vehementer oro, ut Dignitas Vestra mihi suam mentem explicare velit. Valeat Vestra Dignitas quam felicissime. Datæ Oldenswordiæ die 9. Junii anno 1601.

361

Laurentius Dithmer, Løjt, 16.juli 1601.

Meddelelse om, at Erik Hardenbergs søn Christian er død; en anden søn, Jakob, lever et så udsvævende liv, at han synes at være gået fra forstanden. Erik Hardenberg selv har det godt i Mattorp. Hans tre døtre er godt gift. I Løjt har der i tre år været en dårlig høst. Dithmer har det sammen med hustru, tre sønner og tre døtre nogenlunde og sender hilsener til en række gamle bekendte.

4

Laurentius Dithmarus, Pastor Luchtæ, D. Johanni Pistorio.

S. per Christum. Clarissime Domine Præposite, Pastor, compater et pater colendissime, hunc præsentem parochianum tuum ad te absque meis literis redire nolui. Paucis itaque verbis Domino Præposito res

forsan ignotas aperiam. Obiit nuper Christianus, filius nobilis et præstantissimi viri Domini Erici Hardenbergii in Fionia, cujus obitus omnibus bonis est luctuosus, tanta de juvene illo spes et expectatio fuit. Ajunt illum sepeliendum in Mattorp; adhuc enim inhumatus servatur. Alter D. Erici filius Jacobus, qui ante decennium uxorem duxit, luxui dat operam et adeo dissolute vivit, ut quandoque de mente fere deturbatus videatur. Caret sobole, et in Mattorp domicilium habet et vitam degit. Ericus pater senex, cujus pietas, bonitas et probitas passim ab omnibus prædicatur, olim discipulus tuus et te præceptore dignus, piam et tranquillam vitam (quanquam sub cruce) agit. Tres filia ipsius elocatae sunt, et quidem quam optime. Per triennium hic apud nos magna fuit annonæ caritas, et etiam hoc anno deest nobis pabulum pro pecoribus, ut et duobus præcedentibus annis defuit. Peccata nostra innumera et magna ita increntur, et graviora extimescenda sunt, quia nulla conspicitur apud nos resipiscentia. Tres filios et totidem filias habeo superstites. Mediocriter, laus sit Deo, cum illis et conjuge valeo. Peto, mi D. compater et pastor, ut salutes meo nomine filium tuum unicum et dilectum Dominum Theodorum Pistorium omnesque filias et affines tuos, deinde etiam reliquos ibi mihi notos et fautores meos et inprimis D. Sebastianum Meyerum Gardingensem sacellanum, Fake Edleffs, Tete Harrens, Harre Tetens, Egge Gunnens, Boie Jacobs, Thomas Jacobs; sunt enim boni viri et minime negligendi, sed etiam data occasione salutandi. Nihil hisce literis facere aliud volui, nisi ut ostenderem meum pristinum amorem et observantiam erga Dominum Pastorem et compatrem meum dilectissimum, ac spero ipsum omnia in bonam partem interpretaturum. Elegantiam minime observavi, raptim scripsi, urgente et festinante tabellario. His commendo D. Præpositum cum suis omnibus Deo optimo maximo et peto, ut D. Præpositus data occasione mihi aliquando rescribat. Lætabor enim rebus ejus secundis. Datæ Luchtæ 16. Julii anno 1601.

362

Johannes Momsen, Oldenswort, 9. august 1601.

Man har haft et møde og i overensstemmelse med provstens henstilling behandlet et par ægteskabssager. Den i nr. 360 nævnte kvinde, Anna, er i samklang med provstens tilkendegivelse løst fra sin første mand og har fået tilladelse til at gifte sig igen. Den anden sag, om et ægteskabsløfte, er blevet udsat, og det er blevet pålagt begge parter at give møde i et af provsten sammenkaldt konsistorium.

5

Johannes Momsenius Joh. Pistorio.

S. per Christum. Reverende et clarissime Domine Præposite, 4. die Augusti, ut a Vestra Dignitate mandatum erat, convenimus. Anna illa a marito suo deserta et Ellina, quæ Simonem Zegers de promisso conjugio accusat, coram nobis comparuerunt. Quod ad desertæ causam attinet, unanimi consensu vestræ sententiæ astipulati sumus illamque liberam a desertore pronuntiamus, et ut alii nuberet concessimus. Ellinæ vero causam, quia difficilior est, propter vestram et quorundam aliorum Dominorum fratrum absentiam in aliud tempus distulimus eique serio injunximus, ut dehinc a Vestra Dignitate justum consistorium convocari et haberi curaret, et utrique parti mandavimus, ut illo die et loco, quem Vestra Dignitas nominabit, absque ulla tergiversatione comparerent. Transmitto quoque Vestræ Dignitati utriusque

partis oblatos supplices, uti vocant, libellos. Valeat Vestra Dignitas in Christo Jesu. Raptim Oldenswordi die 9. Augusti anno 1601.

363

Georg Crusius, Kotzenbüll, 9.oktober 1601.

Crusius har på grund af Peter Aurifabers svigersøn Peter Hattkens sygdom den af provsten fastsatte dag ikke kunnet komme til Tønning, og desuden er han blevet kaldt til Husum for at være gudfader for sin hustrus broder senator Dethlev Luths søn. Hvis den foreliggende sag kan udsættes og Crusius' tilstedeværelse er påkrævet, vil han være hjemme den 13. oktober.

6

M. Georgius Crusius Joh. Pistorio.

S. per Jesum Christum. Reverende atque observande D. Præposite, experimur quotidie, quam multa inter os et offam cadant. Tønningam cogitabam proficisci ad eam horam, quam Tua Dignitas nobis indixerat, verum Petri Hattken, reverendi D. Petri Aurifabri generi, asthma, pleuritidi periculosæ implicatum, dilationem non ferens, consilium mutavit. Nunc quoque literis Dethlevi Luthen, senatoris Husensis, meæ conjugis fratris, avocor; huic natus est filiulus ex Catharina conjuge dilecta, ad cujus baptismum testis et compater accersor. Nam sicut ante annos 29 meis ulnis Dethlevum baptizandum Christo obtuli, ita filiolo ut præstem id officium optat, cui respondi me id facturum. Rogo itaque Vestram Dignitatem, cum ante diem Martis reverti Husemo nequeam, ne aliorum interpretetur meam absentiam. Si Vestra Dignitas existimat posse differri negotium et meam præsentiam requirit, omnino dabo operam, ut ad diem 13. IIXbris domi, Deo secundante, sim. Mea si qua sunt studia, voluntatemque promptam Vestræ Dignitati defero libens. Hæc festinanti et ferventi calamo. Cotzenbüllii 9. Octobris anno 1601.

364

Laurentius Addi, Witzwort, 17.oktober 1601.

Addi beder provsten om beskyttelse mod en onskabsfuld og løgnagtig kvindes beskyldninger.

8

Laurentius Addi, Pastor ecclesiæ Dei, quæ est Witteswordi,
D. Joh. Pistorio.

Te autem ex abundantia cordis erga me affectum ita etiam loqui literæ tuæ cum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis satis abundeque declararunt et demonstrarunt. Accedit eo, quod reverenda Tua Dignitas studiorum et salutis meæ ita percupida ante triennium intensissimi frigoris tempore longissimo itinere se committere, ut cum parente meo carissimo de cursu studiorum meorum deliberaret, non gravata sit. Jamdudum nihil a te literarum recepi. Idcirco acceptorum memor beneficiorum a parentibus meis illud unice petii, ut has meas literas quales, quales omni licet gratia, lepore, eloquentiæque flore destitutas tabellioni cuidam Tuæ Dignitati deportandas traderent. Velim, ut Tua Reverenda Dignitas me solito amore benevolentiaque complectatur, neque illud ipsum mihi vitio vertat. Scio quidem te rebus gravioribus serioribusque esse occupatum, quominus mihi dormias, sed propter studia et officia in me tua tantopere tibi sum devinctus, ut illud ipsum præstare debeam. Vivo jam in inclito Marpurgo Cattorum, quod viris undique clarissimis celeberrimisque abundat. In facultate theologica Johannes Winckelman, D. Balthasar Mentzerus, D. Henricus Leuchter, D. Superintendens. In juridica Hermannus Lersner, Doctor et procancellarius academïæ, Hermannus Vulteius Jureconsultus tam apud nostros, quam etiam apud externos celeberrimus, Philippus Matthæus hospes meus observandissimus, Johannes Goeddæus theoreticus excellentissimus. Denique in omnibus facultatibus viri celeberrimi. Rudolphus Goclenius philosophus acutissimus in facultate philosophica etc. Studia privata et disputationes in facultate inprimis juridica hic sedulo exercentur (quibus me adjunxi) adeo, ut quis in anno hic plus possit proficere quam Witebergæ vel Helmstadii intra triennium. Spero (Deo bene annuente) me aliquid hic profecturum, adeo ut nec parentes impensæ et sumptuum, nec me laboris temporisque pæniteat, quia omnia hic sunt aliquanto cariora quam Witebergæ. Adfui ante annum Hamburgi parentibus meis, cum quibus ulterius de studiis meis deliberavi. Post illorum recessum studio juridico coepi invigilare. Ad istud ex consilio et auctoritate virorum clarissimorum doctissimorumque me contuli, ut si forsan aliquando in republica quadam mihi sit vivendum, ut tum Deo grata, tum hominibus salutaria facere possim. Non cupio reverti ad meos, qui ἔπεσιν στέργοντες νόον καὶ φρένας ἄλλη ἔχοντες, ut inquit ille. Sed ita res studiaque mea instituenda sunt, ut et mihi in celebri quadam republica quondam locus relinquatur. Faxit autem Deus optimus maximus, ut sim vas et organon salutare in domo ejus, qui et tibi longissimam vitam proroget, quo et mihi et aliis consilio auxilioque usui et saluti esse possis, quia sine tua auctoritate nihil sum in-centurus; ita stat sententia. Dixi superius me adfuisse parentibus; parens inter alia tum temporis etiam ejus meminit, si, Deo volente, mater diem suum obiret, se cum alia matrimonium contracturum. Perpende, quæso, reverende domine agnate, si animum ad mercaturam applicarem, quæ commoda, quot emolumenta, quantæ denique simultates et odia mihi essent operienda, spes quoque multæ prolis adesset, interim ego multis laboribus curisque deditus vix noctes diesque quiescerem. O bone Deus, potius omne tempus in tam honesto otio insumerem, nec unquam laborum, vigiliarum lucubrationumque me pænitebit. Scio, et quidem memoriter, quid illæ meæ rerum gerant, inprimis jam in mea absentia; subolevi illud ipsum ante multos annos,

tum illa potissimum, quæ e diverso nobis habitat, die woll meher wegflesset in einem jhar, else ich in dreien kan verzehren, interim tamen curiosissima et studiosissima sumptuum, quos facio, indagatrix. Sed tur taciturnitati hæc committo, et lapidi illud dixerim. Reverende et clarissime Domine agnate, summis precibus a te peto, ut meum negotium tibi cure sit meque tibi commendatum habeas, de meliori nota apud parentem commendes, ne tam parce sumptum faciat; ita me Deus amet et adjuvet, nihil præter ea, quam summe ad hanc vitam necessaria, cupio, et si Tua Dignitas cum illo agere possit, ut, si quando (quod tamen Deus avertat) mater in mortis agone fuerit constituta, avocer hinc etc. Et hoc a Tua Reverentia etiam unice contendo, ut quoties meæ afferuntur literæ, haud dedignetur respondere, si me consilio auxilioque juvare possis, nec gratius quicquam mihi accidere unquam potest, ingenue fateor. Quod superest, reverendos viros D. Theodorum filium et D. Johannem generum tuum, filias quoque electissimas, quam officiosissime salvare jubeo. His itaque quam diutissime salvus et incolumis vale et vive. Dabam Marpurgi die S. Jacobi Apostoli anno 1602.

374

Hermann Hoyer til Matthæus Zuber, hertugens poet, Hoyerswort, 1602.

Tak for tilsendte digte, som i sig selv er kønne nok, men da det er kærlighedsdigte og derfor ikke er passende for Hoyer som gift mand, bedes Zuber ikke nævne hans navn eller tillegne ham dem, når de udgives. Han sender digtene tilbage med et lille honorar for ærende omtale af ham i brevet. (Hvorfor dette brev er kommet med i denne brevsamling, ses ikke.)

396

Domino Matthæo Zuberø, Illustrissimi Principis H. Poëta, hoc tempore in aula Gottorpiensi viventi, S.P.D.

Ornatissime ac doctissime D. Poëta, nuntius tradidit mihi carmina et literas tuas, quibus ego maturius respondissem, nisi variis officii mei demandati negotiis impeditus hactenus fuisset. Nunc vero breviter sic habe. Quamvis, ornatissime doctissimeque Domine Poëta, literæ et carmina tua ob honorificam mei mentionem ac elegantem puramque nitidissimorum versuum festivitatem lectu mihi jucunda fuerint, tamen quia sunt amatoria et mihi nunc (Dei gratia) in conjugio viventi incompetentia, amice te rogo, ut publicatione ac inscriptione qualiscunque mei nominis hac vice supersedere velis. Si materia esset aliquanto gravior, recentior ac hisce in terris nata, publicationem cum nominis mei inscriptione facile æquoque paterer animo. Nihilominus autem mihi eris commendatissimus, et omnia humanitatis officia, quæ a me proficisci possunt, expectabis, in cujus rei testimonium exiguo quodam honorario cum gratiarum actione pro honorifica mei mentione in literis tuis facta et laudabili tuo conatu te ornare placuit, remissis simul versuum tuorum pagellis. Tu boni æquique consule. Vive diu ac feliciter. Vale in Christo Jesu, vir optime. Dabantur raptim Eyderostediæ in Hoierswort anno 602.

Hermannus Hoyer,
Præfectus.

Johannes Pistorius til Jacob Fabricius, (1604).

Efter Henrik Mollers død (1603) havde menigheden i Tønning kaldet Habakuk Meier fra Plön til sognepræst, men denne havde hverken været hos provsten eller meddelt ham noget om kaldelsen og overtagelsen af embedet, og efter 13 uger havde han uden nogens vidende søgt embede i Flensborg (Skt. Mariæ) og skammeligt forladt sit embede i Tønning. (Hermed er årstallet for brevet givet.) Nu beder menigheden her om at få kapellanen Andreas Horn til sognepræst; Pistorius har bifaldet dette og beder Fabricius om godkendelse heraf. (Horn fik embedet.) At Horn ikke selv er kommet til Fabricius, har sin grund i, at han er ene om betjeningen af embedet og har mange syge at se til. - Richard (Olavius, kapellan i Osterhever) er den samme; han studerer kun lidt eller slet ikke, så Pistorius er kommet til at tænke på, at menigheden må se sig om efter en anden mand i hans sted, og han selv efter en anden kollega til sin svigersøn. - Et par mænd fra Ording har forespurgt om, hvem der skal betale Pampus' (sognepræstens) rejser til Slesvig; menighedens indtægter er kun små, og sognebørnene vil ikke roligt finde sig i at skulle betale.

343

Reverendo, doctissimo et clarissimo viro Domino M. Jacobo Fabricio,
Superintendenti, Joannes Pistorius S.P.D.

S. per Jesum Christum. Reverende, doctissime et clarissime vir, Domine Superintendens debita observantia colende, etsi non dubitem Reverendæ Dignitati Tuæ constare de statu ecclesiæ Tønningensis, tamen partium mearum esse putavi de eo aliquid ad eam scribere. M. Henrico Mollero pastore pie in Domino defuncto, primores ecclesiæ in insius locum vocarunt Pastorem Ploenensem nomine M. Habecucum Meierum, idque indicio et suasu nobilis et magnifici Domini Præfecti Hermanni Hoyeri ac Sigfridi Joannis Tonningensis, qui in itinere, quod ad Illustrissimum et clementissimum Principem et Dominum nostrum nomine hujus provinciæ in se susceperant et instituerant, Habekuchum audierant Plönæ contionantem. Venerunt igitur ad me duo ex primoribus ecclesiæ Tonningensis et de Domini Præfecti et Siegfridi Joannis indicio, consilio et suasu ob Habekuchum illum mihi rettulerunt, quibus respondi, etsi Habekucus ille mihi plane incognitus esset, tamen quum Dominus Præfectus una cum altero illo judicaret Habekuchum ecclesiæ eorum utiliter inserviturum, me non refragari, et ut quæ in tali causa decent et oportent, rite ac legitime agerent, admonui eos. Ita Habekuchus ille Tonningam venit. Sed toto illo, quo ibi fuit, tempore me non convenit, de vocatione et suscepto munere nihil mihi dixit. Cum autem ibi Tonningæ fuisset vix 13 septimanas, tacite Flensburgum petens, proripuit se, ubi insciis parochianis suis Tonningensibus, proprio etiam collega, aliam condicionem vel pastorum suscepit, et post paucos dies ecclesiam Tønningensem perfide et turpiter deseruit, ministerium, ecclesiam et communitatem Tonningensem magna et intolerabili afficiens contumelia. Cur Tonninga discesserit, causas prætexuit nescio quas, sed futiles, et de quibus pluribus scribere hoc tempore supervacaneum esse puto, quum fortassis alias de eis coram.

Tali in statu quum communitas et ecclesia Tonningensis essent, primores ecclesiæ communicatis consiliis et sententiis convenerunt et statuerunt, ut sacellanum ibi Dominum Andream Horn peterent in Pastorem, atque de eo ad Magnificum Dominum Præfectum ac me

rettulerunt, nostrum non modo consilium, sed consensum instanter requirentes. Quare cum eundem optime nosceremus, et de doctrina et vita hactenus inculcate acta, atque quod per annos aliquot ibidem fideliter et utiliter ecclesiæ inservisset, in vocationem ipsius consensimus et Deum insuper precati, ut per gratiam et auxilium Spiritus Sancti porro ecclesiæ Dei utiliter ad gloriam Dei ac multorum salutem præsit et inserviat quam diutissime. Restabat nunc, ut Dominus Andreas Reverendam Tuam Dignitatem adisset seque ei præsentasset, sed quod id hactenus non fecit, nulla alia de causa factum est, quam quod solus nunc ibi sit, collega carens, et quod hucusque multi ibi valetudinarii et ægroti fuerint, a quibus abesse non potuit, nec adhuc potest; tum etiam ea nunc æris est constitutio et viarum hic difficultas, ut non facile hoc tempore hinc ad Reverendam Dignitatem Tuam venire possit. Offert autem se quam humiliter, quando-cunque Reverenda Tua Dignitas velit, eo ad ipsam venire et præstare, quæ ipsum decent ac oportent. Atque ut hæc ad Reverendam Dignitatem Tuam scriberem, cum ipse Andreas, tum etiam primores ecclesiæ a me petierunt, quod ipsis denegare non potui, simul Reverendam Tuam Dignitatem orans, ut hanc meam scriptionem in meliorem partem accipiat ac ipsi quoque Andræ fautorem et benevolum se ei præbeat.

Porro, de Richardo nostro ut etiam aliquid scribam, Reverenda Tua Dignitas sciat, ipsum manere Richardum in eodem, utinam ne in deterius; parum aut nihil studet, ita ut spem, quam de ipso conceperam, abjecerim et cogitem ecclesiæ Osterheverensi de alio in ipsius locum ministro et generi meo collegæ ad futurum Pascha prospiciendum esse.

Adhæc Reverendæ Tuæ Dignitati significandum duxi duo ex parochianis Ordینگensibus ante triduum apud me fuisse et ex me quæsisisse, quum Pastor eorum D. Pampus semel atque iterum Slesvigam apud Reverendam Tuam Dignitatem fuerit et forte denuo ipsi eo veniendum sit, undenam sumptus, quos hac causa fecerit et factururus sit, sumendi sint, an ipse Pampus, an vero ecclesia vel parochiani eos expendant. Si ecclesia, redditus ejus sunt tenuiores et exigui; si parochiani, non æquo id animo sunt facturi. Ego quid ipsis tunc temporis hoc in casu responderem, non habebam, sed tum dixi post paucos dies me responsurum et indicaturum Reverendæ Dignitatis Tuæ hac in re, præmissa amica interrogatione, responsum. Rogo igitur, ut Reverenda Tua Dignitas consilium suum communicare velit etc. Cetera valedictorii loco in chartula non erant assignata.

376

Johannes Pistorius til Michael Hein, 1605.

Peter fra Bremøn er syg og beder om nadveren. Pistorius mener, det er rådeligt og nødvendigt, at lade ham få den. Han bærer sin straf, men sagen står og falder for Herren.

399

Reverendo Domino Michaëli Heinen.

S. per Christum. Reverende Domine Pastor.....refertur ad me Petrum Bremensem ægotum agone mortis constitutum unice expetere sacram synaxin. Ideo videtur mihi consultum ac necessarium esse, ne id ipsi deneges, sed exhibeas ei et cetera Deo committas, qui Filium suum in mundum misit, ut quærat et salvum faciat, quod perierat. Petrus fert poenam suæ obstinatiæ, sed Domino res stat et cadit; nos quæ nostri sunt officii faciamus. Bene vale. Anno 605, ni fallor, dies in dies pabulo Petrum habebit.

Johannes Pistorius.

Theodor Pistorius og Johannes Thomæus til præsterne i Ejdersted,
Tetenbüll, 23. oktober 1605.

Meddelelse om Johannes Pistorius' død den 22. og begravelse den 25.
oktober i kirken i Tetenbüll, med en del præsters påtegning.

328

Reverendis et doctissimis viris Dominis Pastoribus ac Ministris verbi
Divini in Eyderostedia vigilantissimis, Dominis, amicis et fratribus
nostris in Christo colendis, dentur.

S. per Jesum Christum. Reverendi et doctissimi viri, Domini, fratres
ac amici colendi, non sine gravissimo dolore Reverendis Dignitatibus
Vestris significamus reverendum ac carissimum nostrum Parentem
Dominum Johannem Pistorium, Pastorem et Præpositum, in vera agniti-
one, fide constanti et invocatione ardenti Filii Dei Jesu Christi
heri paulo post 5. vespertinam horam placidissime obdormisse. Cum
vero sanctissimum hujus corpus ex ritu Christiano et spe resurrecti-
onis ad vitam æternam haud dubia proxime futura die Veneris honori-
fice humandum sive sepeliendum statuerimus in templo Tetenbullensi,
vos omnes et singulos in hoc nostro gravissimo luctu peramanter
rogamus, ut præfato die adesse, sanctissimo nostro parenti ultimum
officium præstare ejusque sanctissimas corporis exuvias in dormito-
rium suum deducere dignemini. In hoc pie defuncto nostro parenti
honorem, nobis vero optimam et prædicandam exhibebitis voluntatem,
quod nos omnes et singuli erga Reverendas Dignitates Vestras pro-
mereri (quantum poterimus) enitemur sedulo. Feliciter in Christo
Jesu, reverendi et doctissimi viri, amici et fratres colendi, valete.
Datæ Tetenbull 23. 8bris anno 605.

Reverendarum Dignitatum Vestrum studiosissimi

Theodorus Pistorius

Rogamus, ut unusquisque vestrum curet,
ut crastino die circa meridiem campanæ
apud vos pulsentur.

Johannes Thomæus.

Sanctissimum vestrum Parentem pie obdormisse ex animo doleo et
vestræ petitioni, quantum possum, satisfaciam. Rudolphus Berens.

Michaell Heinen non sine dolore has legit et piæ petitioni, volente
Deo, satisfaciet.

Joh. Alberus præsentem literas non sine dolore legit et, Deo dante,
aderit.

Petrus Aurifaber: Non sine ingenti dolore, gemitu et lacrimis accepi
tristissimum nuntium de inexpectato obitu carissimi atque intimi
Domini et fratris mei, Domini Johannis Pistorii, viri eruditissimi
et de ecclesiis hujus provinciæ optime meriti, cui utinam, ut
vellem, ministrare possem.

Conradus Genzelius tristis ex obitu Senioris piissimi subscripsit.

378

Georg Crusius til Theodor Pistorius, (Kotzenbüll), 23. oktober 1605.

Tilsagn om, efter Theodor Pistorius' og alle efterlevendes ønske, at
holde ligprædikenen ved provstens begravelse.

M. Georgius Crusius Theodoro Pistorio S.P.

S. per Jesum Christum, Ἐωτήρ' ἀνθρώπων ἐπὶ ξυροῦ ἦδη ἔδοντων.
 Reverende et honorande D. Theodore, utinam Deo ita visum fuisset, ut sanctæ recordationis pater tuus honorandus et observandus Præpositus noster et amicus colendus aliquandiu ecclesiis peninsulæ hujus adhuc dum præesse potuisset et nos illius judicio gravi et maturo frui notuissemus. Verum cum Deus illum avocarit et vobis liberis et nobis omnibus vere judicantibus luctum peperit haud levem, rogemus eundem, ut mitiget calamitates nostras. Quod autem petis nomine omnium heredum, ut contionem funebrem habeam, agnosco meam tenuitatem, præstabo tamen urgentibus vobis κατὰ δύναμιν opellam hanc tristem, quam sine lacrimis et suspiriis publice et privatim vix effecero. Vale, reverende frater, et salutandos meo nomine officiose resaluta. Festino calamo anno 1605 - 23. IIXbris.

379

Theodor Pistorius til Peter Tezenius i Brunsbüttel,
 Skt. Peter, (januar) 1607.

Tezenius ønskes til lykke med, at han har fået sognepræsteembede. Theodor Pistorius fortæller, at han er kapellan i Skt. Peter, at han for 5 år siden er blevet gift med Anna og for tre år siden har fået en datter Metta, endvidere om faderens død. Han råder Tezenius til at gifte sig, hvis han ikke allerede er gift, og ønsker ham et godt og lykkeligt nytår.

381

Domino M. Petro Tezenio, Pastori in Brunsbuttell Dithmarsorum,
 Theodorus Pistorius S.P.D.

S. per puerum Jesum nobis natum et datum, nobis circumcisum, per Magos ex remotissima Persepoli venientes quæsitum, inventum ac patefactum, æternum Regem et summum Pontificem adoratum atque præstantissimis muneribus, utpote illustri homagio, omnium ubique terrarum gentium nomine affectum et honoratum. Amen.

Reverende ac dilecte Domine cognate, quum proxime elapsa ætate in exequiis nobilis et præstantis Domini Conradi Hoyerer cognato nostro Henningo Lathero Husiæ adessem et inter ceteros sermones de te tuarumque rerum statu percontarer, respondit ille mihi te tum temporis nuperrime (optima Dei providentia) vocatum et promotum esse in Pastorem verbi divini ecclesiæ in Brunsbuttell Dithmarsorum, quod quam mihi auditu gratum acceptumque fuerit et quam inde voluptatem percenerim, scribere satis non possum.

Nosti quam ardua ac aditu difficillima sint culmina Pindi, et quam grave atque difficile sit fieri Prometheus divinæque sapientiæ igniculos allatum cælos adire illucque reverti. Quod si tandem utcunque contigerit, adhuc etiam diutini ac laboriosissimi studii sui functione et loco honestis fructum percipere plenum est difficultatis. Nam videmus ac experimur in hoc perverso, malitioso ac sycophantico sæculo non ubique pro meritis præmia dari, bonos et dignos honesta vocatione sæpius premi ac alios illis præferri et promoveri, de quo conqueri, sed non mutare licet. Hæc olim fuerunt et adhuc præcipue sunt ingrati hujus mundi fata, quæ discamus ob peccata nostra ferre animo æquo, imo forti. Tibi autem, mi reverende Domine cognate, exantlatis vitæ egentis et studiorum difficultatibus ac honesta

oblata docendi in ecclesia evangelium Jesu Christi vocatione (qua jam recte fungeris), ex animo gratulor et Deum omnipotentem ac misericordem oro, ut tibi Spiritu Sancto suo adsit, honorum in te incrementa suorum augeat, ornet et conservet, quo ipsi multa grata, ecclesiam et populo tuam curam commisso utilia ac salutaria dicas, facias et opereris. Faxit id idem Deus propter Jesum Christum, ecclesiam caput ac ἀρχιπολιμένα nostrum unicum fidelissimum. Amen.

Porro, mi Domine Petre, ut quoque de me et rerum mearum statu hac vice pauca addam, scias me adhuc (Dei beneficio) hic ad Divum Petrum Eiderstediam ecclesiasten agere stipendio mediocri et tolerabili, neque id Deus de majore prospexerit. Ante plus minus quinquennium virginem duxi uxorem Annam, filiam unicam honestis et bonae fortunae ac mediocrium agrorum parentibus senioribus prognatam, ex qua filia mihi ante triennium fere nata est unica Metta; pro his Deo maximas ago gratias eundemque quotidie oro, utramque ut mihi servet nobisque et deinceps benedicat. Ante annum, aut paulo superius, maxima (de qua forte inaudivisti) me oppressit calamitas domestica. Nam anno 605 die 22. Octobris reverendum et carissimum meum Parentem, dilectum tuum agnatum, in vera fide et ardenti invocatione Filii Dei Jesu Christi placide mori hisce meis maestissimus vidi oculis, quem quanto magis ut patrem dilexerim, ut pietate, eruditione, virtute, prudentia senili ac facundia suavi praestantissimum magnifecerim et suspexerim, tanto plus nunc illum mihi, imo toti huic regioni, tanquam ornamentum, praesidium, ducem et virtutum omnium coryphaeum praereptum esse acerbè fero, doleo, ingemisco. Etsi autem certo sciam et me oppido consoletur ipsum in numero eorum vere esse, de quibus in cap. 14 Apocalypseos dicitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, tamen quod ipsius dulcissima consuetudine, institutione sapienti et ductu paterno mihi nunc carendum sit, maximo fui hactenus et adhuc sum in mœrore et luctu. Verum τὸ δὲ μόρσιμον ἄφυκτον, et, ut Sophocles ait, οὐδὲν τῷ θεῷ πᾶς γελᾷ κώδύρεται, vel potius quod Propheta Regius Psalm. 68 ait: Onus imponit nobis Deus, et tamen est salus nostra. Deus misereatur suae ecclesiae et mitiget calamitates nostras. Amen. Sorores meae omnes honeste elocatae, cum maritis et liberis recte valent et utcunque habent. Haec, mi dilecte Domine cognate, ad te scribere volui, quo scires me tibi optime cupere et tuo commodo amice affici et imprimis delectari. Postremo etiam atque etiam te rogo, ut rescribas ac rerum tuarum statum mihi aperias, quem admodum scire aveo. Si uxorem duxeris, fac sciam, ut in posterum addam amicam salutationem. Si vero nondum duxeris, ducendam censeo, imo fideliter consulo. Septennium jam prope ago indignum ministrum verbi Dei; prius biennium caelebs et solitarius consumebam, quod si ita perrexissem, de qualicumque mea re familiari jam fuisset actum. Sic et tu (si alenda tibi est familia, ut forsitan erit) certe indigebis conjuge utpote fida vitae domesticae socia, fideli custode ac rerum oeconomicarum frugali dispensatrice, quod nos non satis didicimus nec ubique (si sciremus) propter studia nostra vacare possumus. Deus faxit (si tibi ducenda adhuc est uxor), ut honestam, probam, morigeram ac diligentem ducas, quacum conjunctissime diu vivas, suaviter ludas et caste joceris. Crede mihi, in hac vita haec tria maxime a Deo sunt expetenda: 1. Bene et honeste ab honestis parentibus legitime nasci; 2. proba, honesta, frugi et fida conjuge frui; 3. bene, honeste ac pie mori. Quae si quispiam consequutus fuerit, beatus sive felix dicendus est. Sed quorsum noctuas fero Athenas, quum me melius isthaec scias? Bono haec ad te scribo animo, eodem quoque ista te accipere aequum est, ut plane mihi polliceor. Ex tua paroecia quotannis circa tempus quadragesimale

piscatores huc ad nos solent venire piscatum, quos propediem expectamus; per hos (si maturius non poteris) respondere commode licet, et ut id facias, iterum te oro. Nova theologica non habeo hoc tempore; tu si Rostochio vel alibi allata habeas, mecum, quæso, communicato. Si ego in posterum tale quid habuero, faciam te data occasione certo participem. Vale in Christo Jesu bene et feliciter, a quo tibi totique tuae familiæ precor hunc novum felicem, frugiferum, salutarem ac auspdatum annum. Salutatur te officiose uxor mea Anna, Metta filia, reverendus et carissimus affinis noster Dominus Johannes Thomas, Pastor in Osterhever. Data ad Divum Petrum Eiderstedie anno 607.

380

Theodor Pistorius til Johannes Thomæus, Skt. Peter, 17. januar 1607.

Theodor Pistorius' kone's helbred har ikke været godt, men er nu bedre; selv har han bylder, så han næppe nok kan bruge strømper og sko. Han klager over, at han bagvaskes af en særdeles ondsindet mand (den lille skrædder, eller Schröder?).

382

Reverendo Domino Johanni Thomæo Pastori Theodorus Pistorius S.P.D.

S. per puerum Jesum nobis natum et datum. Reverende et doctissime Domine Johannes, amice, affinis, compater ac frater carissime, non utar longa circuitione, sed ἀνευ παθῶν καὶ προοιμῶν quod res est indicabo. Uti dudum post proximum conventum nostrum Tonningensem sæpius tuam presentiam et colloquium exoptaverim, sic nunc imprimis te conventum vellem de nonnullis nostris rebus tecum colloquuturus, quod uti mihi quamprimum contingeret optarem, modo conveniendi invicem utrique nostrum facultas daretur. Venissem ad te dudum, nisi quadam obstacula me impedivissent. Primum, post tempus, quum Tonningæ una essemus, vix domo mea semel atque iterum pedem extuli, propterea quod conjunx mea subinde adversæ fuerit valetudinis, a qua longius discedere me non decuit, jam autem illa utcumque habet; Deus porro juvet, daturus suo tempore felicem partum. Amen. Deinde (salva honestate) pustulis sive tuberculis ita sum infestatus et adhuc dum infestor, ut pedes tibialia et calceos vix ferant; hæc propter, ac quod hiems huc usque pluviosior fuerit, ad te venire haud potui. Tuum vero adventum sæpe expectavi frustra, sed recte dixit Euripides in Electra: πένητας οὐδεὶς βούλεται κτᾶσθαι φίλους. Ne autem tale aliquid de te, mi compater et frater, suspicer aut animum inducam meum, quamprimum ad me venias, cum de rebus loquar tecum promiscue nostris heredes nos simul concernentibus; tum mirum quoddam tibi conquerar concernens me seorsim de Sartoriolo nostro, homine extreme malitioso et mihi insidioso, quod ante paucos admodum dies rescivi non sine dolore, ac vix possum quiescere, antequam id in tuum effudero sinum. Non dubito, quin hominis impudentis virulentas in me calumnias execratus mihi consilio et solatio sis futurus. Quod si tibi idem aliquando usu venire necesse sit, non equidem intermittam, quin ad te veniam, vocatus vel non vocatus, si vel per aquam natandum vel glacies frangenda aut simile aliquid mihi perferendum esset. Iter pedestre hoc tempore, uti apparet, est mediocre. Nunc nec via aquosior, nec lutosior impedimento esse potest. Itaque vel proximo futuro die Lunæ adventum tuum expectabo. Veni igitur, si unquam poteris; me domi, quocumque tempore veneris, certo offendet. Salutatur vos Anna et Metta mea, et cum illis ego Deum precor, ut hic novus

annus vobis sit faustus, felix, salutaris et auspicatus. Amen.
Data ad Divum Petrum ipso die Anthonii anno 607.

381

Theodor Pistorius til dr.jur.Hermann Lather, Skt.Peter, august 1607.

Theodor Pistorius har modtaget en indbydelse til Hermann Lathers bryllup og ønsker ham til lykke både med dette, doctorgraden og en lykkelig hjemkomst. Som en bryllupshilsen sender han ham et digt, og hvis bryllupshilsenerne bliver trykt, kan hans vers komme med, dersom Lather synes, de er det værd.

383

Ornatissimo et doctissimo Domino Hermanno Lathero, J.U.D.,
cognato et amico suo dilectissimo, S.P.D.

Ornatissime et doctissime Domine Doctor, cognate dilectissime, literas tuas hic ante octiduum accepi, quibus me ad nuptias tuas amicissime vocas et invitas. Ex his quanta sim affectus voluptate, scribere satis non possum. Nam vix de gradu doctoratus et tuo in patriam reditu jucundo ad me perlato nuntio, de contrahendo matrimonio narratur, quod literæ tuæ confirmarunt. Utrumque tibi ex animo gratulor, et insignia doctoris, in patriam reditum ac futurum conjugium. Deus optimus maximus faxit, ut quæ facta sint et adhuc fieri debeant, in nominis sui gloriam, reipublicæ communis utilitatem ac tui ipsius salutem cedant. Pluribus ad te scriberem, nisi hoc tempore essem occupatior et cogitarem petitioni tuæ honestissimæ (Deo volente) satisfacere et adesse nuptiali tuæ festivitati. Animi mei gaudium inter negotia effudi faciendo aliquot honori nuptiarum tuarum versus, quos tibi mitto gratulationis meæ erga te testes. Si vacat, leges. Si gratulatoria forsan tibi typis exscribentur, possunt et hi mei versus iis adjungi, si dignos luce judicaveris, quod si minus, tibi legas, decerpas aut quovis abjicias. Poculum γαμικόν celeriter feci, nec satis concinne proportionali forma delineavi, describere iterum propter occupationes non potui; tu boni consules et candide (uti spero) interpretaberis. Die statuto (vita comite) ædibus paternis adero tibi et Slesvigam fausto te comitabor alite. Interea cura valetudinem tuam, nam ea nunc præsertim maximopere indigebis. Jocari cum Domino sponso libet, quum sciam te non esse tetrico, sed magis liberaliori ingenio. Iterum vale, et saluta parentes. Raptim ad Divum Petrum mense Augusto anno 1607. Th. P.

382

Theodor Pistorius til hertugen, Skt. Peter, 4.februar 1610.

Sognepræst Paul Hintze i Katharinenherd (her trænger Arends vist til en rettelse) er død for et par dage siden (2.februar!), og da en del af sognets beboere ikke er utilbøjelige til at få Theodor Pistorius som hans efterfølger, og da tilmed dette embede af visse grunde ikke vilde være ham ubekvemt, bedes hertugen om intercession for ham hos menigheden. Han nævner også med tak den understøttelse, hertugen har ydet ham under hans universitetsstudium, og at han nu har været kapellan i Skt. Peter i 10 år og ikke fremdeles kan komme ud af det med den ringe løn.

Durchleuchtiger hochgeborner Fürst, gnediger Herr, nach erbietunge seiner Pflichtschuldigen ganz gehorsamen dienstenn kan Ewr Fürstlichen Gnaden hiemit ich in Unterthenigkeit nicht fürendthalten, wie für wenig tagen der würdiger und wolgelarter Herr Paulus Hintzen, Pastor zu Catrinhardn alhie in Eyderstete, todes seliglich vorscheiden. Wan dan, Gnediger Fürst und Herr, dieser Vacierende Pastoratdienst von etlichen appetirt und beghert wirdt und zum theill des ortes Carspelleute zu meiner geringen Person nicht ungeneigt Und mir auch sodan dienst aus ursachen nicht unbequem wehre, so gelanget hiemit an Ewre Fürstlichen Gnaden mein Untertheniges bitten, Ewre Fürstlichen Gnaden wollen in gnaden mir ein Intercession Schreiben an oberürtem Carspell mittheilen lassen, das ich für andere zu diesem dienste mügte zugelassen und befördert worden. Ewror Fürstlichen Gnaden libealem munificentiam habe ich unwürdiger etliche Jhare für dieser Zeit in Academiis alse Julia und Francofurtana ad Oderam genossen, welches ich in aller undertheniger danckbarkeit erkenne und rühme, Und vorhoffe demnach, Ewre Fürstlichen Gnaden werden mich auch nun zu diesem dienste gnedige befürderunge mittheilen lassenn. Aldeweill Ich nun in die 10 jhar alhie zu S. Peter im Predigambt gewest und mich schwerlich mit einer solchen geringen besoldung hinferner werde auffenthalten können. Vorhoffe, diese vörenderunge würde gereichen zu den ehren gottes, erbawung der Christlichen kirchen und der zuhörer heill und ewige seligkeidt. Solches thue zu Ewren Fürstlichen Gnaden ich mich in aller unterthenigkeit getrösten, welches umb Ewre Fürstlichen Gnaden ich mit meinem gebete zu Gott und ewiger danckbarkeidt zu erkennen, rühmen und preisen wissen will. Ewre Fürstlichen Gnaden hiemit beneben deroselben Ehegemahll und Fürstlichen Ehepfentlin dem lieben getrewen Gott zu zeitlicher und ewiger prosperitet untertheniglich empfelende. Datum S. Peter in Eyderostete den 4. Februarii anno 610.

383

Theodor Pistorius til kansleren (Nicolaus Junge), samme dato.

Indholdet er det samme som i brevet til hertugen, men Th. Pistorius tilføjer, at man nok kunde unde ham embedet i Katharinenherd på grund af hans faders fortjenester som præst og provst. Han minder kansleren om dennes gentagne tilsagn, sidst ved Hermann Lathers bryllup, og beder ham gøre sin indflydelse gældende hos hertugen m.h.t. en intercessionsskrivelse til Katharinenherd.

386

S. per Jesum Christum, veram ac vivificam vineæ suæ vitem, in qua nos non segnes et desides, sed operarios verbi sui conducit. Magnifice et clarissime Domine Doctor, amplissime Cancellarie, Mæcenat et promotor perpetua observantia colende, nach erbietung meiner mügelichen diensten kan Ewrer Excellenz hiemit ich nit fürendthalten, wie für wenig tagen der würdiger und wolgelarter Herr Paulus Hinzen, Pastor zu Catrinherde alhie in Eyderostete, todes seliglich abgescheiden. Wan dan Ewre Excellenz sich in gunsten zu entsinnen wissen, das dieselbe mir unwürdigen offtmals und lustlich auff Doctoris Hermanni Latheri hochzeit befürderunge vörheissen und zugesacht, und ich nun derselben fürnemblich benötiget, Als gelanget hiemit an Ewre Excellenz alse meinen mechtigen Mæcenatem und fürnembsten Patronum meine dienstfleissige Pitte, Ewre Excellenz wolle nun meiner weinigen

Person loco illo vacante in acht haben und ein Intercession Schreiben bei meinem gnedigen Fürsten und herren an benombtem Carspell zuwege bringen, den dieser dienst von etlichen appetirt und begert wirdt, und sind auch unter des ortes Carspelleuten etliche zu meiner geringen Person nicht ungeneigt, und were mir auch sodaner dienst aus ursachen nicht ungelegen. Darumb pitte Ewre Excellenz ich hiemit dienstfleissig, die wolle nun helfen, den dies die rechte Zeit ist. Ich bin itzo in die 10 jhar alhie zu S. Peter im kirchendienste und werde mich schwerlich hinferner mit einer solchen geringen besoldunge auffhalten können. Auch könnte mir sodan befürderunge woll gegunnet werden wegen meines Vateren seligen gedechtnus, der als ein Pastor und Probst dieser lande kirchen in die 47 jhar gedienet und fürgestanden und sich umb kirchen und schulen dieser örter wollvördient gemacht hatt. Vörhoffe, diese verenderung würde gereichen zu den ehren gottes, erbawung der Christlichen kirchen und der zuhörer heill und ewige seligkeit. Befhele demnach Ewrer Excellenz ich mich und diese sache, welches ich mit meinem gebete zu Gott und ewiger danckbarkeit umb Ewre Excellenz zu verdienen mich will befleissigen.

Actum ut supra.

384

Theodor Pistorius til stalleren (Hermann Hoyer d.Y.), samme dato.

Meddelelse om, hvad Theodor Pistorius har skrevet båda til hertugen og til kansleren, med bøn til stalleren om at være ham behjælpelig med at få embedet, som byder på visse bekvemmeligheder og en nogenlunde god løn, og desuden vilde han i Katharinenherd være i nærheden af sin svogers land. Han er næsten sikker på, at flertallet i sognet vil have ham, men en senator er imod det og er af den afdøde sognepræst, på grund af dennes modvilje mod hans fader, blevet bedt om, efter hans død at modsætte sig, at Theodor Pistorius bliver hans efterfølger.

387

S. per Jesum Christum. Nobilis et magnifice Domine Præfecte, Mæcenas et promotor pernetua observantia colende, an Ewre Excellenz habe ich fürgisteren geschrieben, welches Ewre Excellenz, wan sie mit liebe werden zu hause kommen, fürfinden können. Argumentum harum literarum ist dis, das der würdiger und wolgelarter Herr Paulus Hinzen, Pastor zu Catrinherde, für weinig tagen gestorben und ich gerne (wens Gott haben wollte) zu diesem dienste mügte befördert sein. Weill aber ich alhie vormercke, das Ewre Excellenz zu dieser Zeit zu Gottorff anzutreffen, auch vörnommen, das andere nach dem dienste trachten, habe ich diesen botten abgefertiget, an Fürstliche Gnaden supplicirt und den Ehrvestenn Herren Canzlern schriftlich gebeten, mir bei Fürstlichen Gnaden ein Intercession Schreiben auszubringen, wie ehr den solches mir offtmals, und auch auff Doctoris H. Latheri hochzeit in Ewrer Excellenz kegenwardt vorheissen und zugesacht. Ewre Excellenz pitte auch hiemit ich dienstlich, die wollen mir auch hierinne behülfflich sein, den dieser dienst mir propter loci commoditatem, mediocre stipendium et vicinitatem agrorum soceri mei nicht ungelegen wehre. De plerorumque consensu Parochianorum fere non dubito, si modo Senator ille non obstaret, quamvis nunquam illum offenderim, sed, ut intellexi, defunctus Pastor ab illo petiit odio in parentem meum piæ memoriæ, ut se mortuo mihi contrarieretur, ne succederem. Sed spero Principis nostri literis illum fore mitiorem. Befhele mich

und diese sache Ewrer Excellenz mit hogestfleissiger Pitte, dieselbe wolle itz helffen, den dies ist die rechte Zeidt. Fronte capillata est, posthac occasio calvæ. Der lieber getrewer Gott, des sache diese ist, schicke und furdere es, das es müge gereichen zu seinen ehren, erbawung der kirchen und der zuhörers ewige gedeiliche wolfardt. Hiemit Ewre Excellenz Gott in gnaden empfhelende.

Datum ut supra.

385

Theodor Pistorius til provsten (Georg Crusius),
Skt. Peter, 25.marts 1610.

Theodor Pistorius har selv været i Slesvig og på tilbagevejen besøgt stilleren. I Slesvig har han hos kansleren fået at vide, at man i Katharinenherd gør den frie valg- og præsentationsret gældende og påstår, at alle i sognet er imod ham og vil have en anden. Kansleren har rådet til, at stilleren tager sagen i sin hånd, hvad denne også har gjort. Pistorius beder provsten stå ham bi, så han må renses for den skamlet, der er blevet sat på ham.

384

S. per Jesum Christum. Reverende ac clarissime Domine Præposite, promotor perpetua observantia colende, nudius tertius Slesviga reversus deflexi ad Magnificum Dominum Præfectum, ubi pernoctabam. Heri tempore pomeridiano in itinere Reverendam Dignitatem Tuam etiam volui accedere, verum equo hinc inde jactatus et defatigatus in tanta viarum profunda lutositate recta domum contendere coactus fui. Slesvigæ Magnificum Dominum Cancellarium conveni et de negotio meo ad satietatem usque collocutus sum. Rettulit ipsius Magnificentia Catrinherdenses proxime præterita die Martis Doctorem quendam Slesvigæ habitantem, nomine Hieronymum Helwigium, mihi alias notum, misisse, qui eorundem causam coram verbis privatim egit. Bonus iste Doctor prætendit jus patronatus, liberæ electionis et præsentationis ad suos clientes pertinere et nolle me vel alium obtrudi, imo omnes et singulos ibidem me aspernari ac rejicere et proinde petere alium quemcunque vocandi potestatem. Hæc fuit summa, præteritis omnibus hic mecum actis et tractatis. Magnificus Dominus Cancellarius breviter et nervose pro me respondit ac nihil scripti ipsius (si recte intellexi) communicavit nec communicaturus erat, data mihi stipulata manu promissione. Consuluit, ut Magnificus Dominus Præfectus ad Catrinherdenses scribat et admoneat illos affirmativi responsi literis comprehensi, cui (ut homines præfracti) si satisfacere nolint, Magnificentia ipsius cupit, ut Principis lata commissio a Magnifico Domino Præfecto ac a Tua Reverenda Dignitate instituat et perficiatur. Itaque heri Dominus Præfectus diligentissime ad Catrinherdenses scripsit liberumque permittit, quicquid hujus fieri velint, illisque injunxit, ut quam primum, idque ante proxime futuro die Mercurii, rotunde et sine fuco se declarent. Accepto isthinc responso Dominus Præfectus Tuam Reverendam Dignitatem certiozem se facturum promisit. Hæc sunt nunc miseræ hujus causæ acta, at utinam non acta. Circumfero jam animum et ingenium varie perturbatum et perculsum, verum juxta efficacissimum Dei verbum utcunque me solatur tragicum illud: ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δοθεῖσας ἔστ' ἀναγκαῖον φέρειν. Item δεῖ φέρειν τὰ τῶν θεῶν. Ergo ἔστω τὸ μέλλον. Concludens etiam atque etiam Reverendam Dignitatem Tuam obnixè rogo, ut et mihi porro consilio ac auctoritate in hoc negotio adesse velit, quo tandem

molesto illa molestia semel tandem defungar ac macula contemptus quodammodo aspersus emaculer. Ad omnia vicissim officia, quæ a me proficisci possunt, me obligo, imo obstringo. Datum ad Divum Petrum non procul a tristibus et cornelizantibus arenæ fodinis. Χαῖρ' ὡς μέγιστα, χαῖρε. Ipso festo annuntiationis Mariæ Virginis anno 610.
T. P.

386

Theodor Pistorius til Johannes Thomæus, Skt. Peter, 21. april 1610.

Pistorius må med sindsro finde sig i krænkelsen og ikke lade sig modknække af slubberter. Han takker sin svoger for medfølelse. Skal han lide den tort at blive vraget, vil han anlægge sag mod sine modstandere for æreskrænkelse. Imidlertid bliver han i den rede, Gud har givet ham. Thomæus' mand (kapellanen Andreas?) skal dagen efter prædike i Katharinenherd, men får nok ikke sit ønske opfyldt.

388

Reverendo Domino Johanni Thomæo, Pastori in Osterhever, affini, S.P.D.

S. per Jesum Christum, ἀρχιπολιμένα nostrum verum et unicum. Amen. Sic est, reverende Domine Johannes, quod plerisque acerbum videtur, illud mihi æquo ferendum est animo, nec virile pectus istos ob fatuos nebulones frangi meum patiar. Interea autem tibi gratias ago pro pia et amica tua in me συμπαθειᾷ. Non dubito, quin Dominus Jesus Christus pro illa contumelia bonum mihi sit retributurus. Innocentem apud bonos haud denigrat calumnia. Venena nocent malis, me vero toxica sanant. Proxime præterita die Lunæ per totam lucem Magnifico Domino Præfecto adfui; tunc nobis nihil constabat de adversariorum Slesviga reditu; in via domum versus deflectebam ad Bohe Avetes, ille primus referebat de reditu illorum et jussit me bono esse animo. Sed perinde mihi est: Invitis non cupio obtrudi. Si omnino repulsam pati necesse fuerit, consilio et auctoritate Magnifici Domini Præfecti judicialiter contra illos agam instituendo actionem injuriarum. Hujus quicquid fieri debeat, animo jam sum præparato. Deus hic mihi de nidulo prospexit; illo, donec ipsi aliter visum fuerit, utar et fruam, idque bona conscientia et animi tranquillitate. Memini illud ore parentis piæ memoriæ sæpe repetitum: Exigui temporis patientia diuturnam affert pacem. Item, sperare vitam, in qua nemo in te incurrat, extrema est dementia. Deus triunus porro nostri misereatur, nec ad majores calamitates ob peccata nostra nos reservet. Amen.

Tuus ille licet crastino die ibi sit contionaturus, tamen voto (ni fallor) haud potietur. Verum Domini fiat voluntas.

Hæc τέλεισται respondere volui. Conjugi tuæ opto firmam valetudinem et felicem partum. Salutabis liberos. Χαῖρ' ὡς μέγιστα, χαῖρε. Dabantur ad Divum Petrum pridie Dominicæ Misericordias Domini anno postremæ patientiæ 1610.

387

Theodor Pistorius til provst Georg Crusius, Skt. Peter, 22. april 1610.

Ovennævnte kapellan har prædiket i Katharinenherd, valget har fundet sted, og man vil måske den følgende dag henvende sig til stilleren og provsten om stadfæstelse. Pistorius beder indtrængende om, at den må blive nægtet, og det af tre grunde: Man har løjet skammeligt for stilleren; man har tilføjet Pistorius en større skam, end de slubberter kan forestille sig; de burde først forlige sig med ham, før

de kalder en anden. Der nævnes desuden en Gerhard, som der åbenbart også kan være tale om (Gerhard Coster, som fik embedet?), men om ham siges der, at han har ringe evner; hvis Pistorius husker ret, har han aldrig besøgt et universitet, og den gamle Pistorius sammen med Caspar Hoyer havde besluttet, at han ikke burde få præsteembede. Pistorius plages til stadighed af tanken om faren for hans anseelse og gode rygte. Han er blevet kaldt til Garding af Junge Jacobs, hvad dennes hensigt end kan være, men håber, det ikke bliver det samme om igen og han til sidst går helt til i sine genvordigheder.

389

Reverendo clarissimo viro Domino M. Georgio Crusio,
Pastori et Præposito, S.

S. per Jesum Christum, ἀρχιπολιμενα nostrum verum et unicum. Reverende et clarissime Domine Præposite, promotor perpetua observantia colende, Ex literis Reverendæ Dignitatis Tuæ perspexi, in quantum præfractorum Cathrinhardensium malitiosa adversus me petulantia jam, proh dolor, processerit. Hodie Sacellanus (uti vocant) Osterheverensis ibi contentionatus est, quem in Pastorem vocaturi crastino die forte ad Magnificum Dominum Præfectum et Reverendam Dignitatem Tuam venient petitori confirmationem, quæ ut ipsis denegetur, obnixè rogo. Causam denegandi Reverenda Dignitas Tua facile invenerit. 1. Magnifico Domino præfecto impudentissime mentiti sunt in literis. 2. Mihi verbis coram turpissime imposuerunt et tanta in hoc me affecerunt contumelia, ut omnibus fere jam sordescam, quam contumeliam pluris ego facio ac aestimo, quam stupidi et protervi isti nebulones (ne quid durius dicam) intelligant. Servent igitur et præstent ea, quæ promiserunt. 3. Si omnino promissis excidere velint (quod tamen bonos viros neutiquam decet) mecum prius ob illatam contumeliam transigant et paciscantur, quam alium quencunque vocent et confirmari petant. Hæc (præservato tamen Reverendæ Dignitatis Tuæ exquisitissimo iudicio) juxta meam simplicitatem illis proponi possent.

Prætereo nunc, num Gerhardus iste sit satis idoneus aut qualificatus (ut ita loquar). Homo est notitius, exigui fertur ingenii et pauxilli iudicii, nec, si recte memini, vixit in academia, igitur merito non esset admittendus ad pastorum, quod constitutum recorder inter Nobilem et Magnificum Dominum Præfectum Casparum Hoyerum et parentem meum, utrosque piæ memoriæ, sed hic manum de tabula, ne imperare potius quam obtemperare videar. Si latius forte sum progressus, Reverenda Dignitas Tua id meo justo dabit dolori, et in hisce meis calamitatibus consilio et auctoritate porro mihi adesse et succurrere dignetur, etiam atque etiam vehementer rogo. Gratus ero, si vixero. In quo jam versor discrimine existimationis et famæ, et quibus cogitationibus miseris nocte dieque concutiar et consumar, facile Reverenda Dignitas Tua aestimare poterit. Dominus Jesus Christus mitiget calamitates nostras ac efficaci Spiritus Sancti consolatione malis nostris medeatur, ut ea, quæ sunt ferenda, Christiane, i. e. masculo perpati valeamus animo. His χαῖρ' ὡς μέγιστα, χαῖρε. Reverenda Dignitas Tua conjugem et Dominum Reinholdum filium salutabit. Ad Divum Petrum ipsa Dominica Misericordias Domini anno postremæ patientiæ 610.

Has ego cum literas complicarem, jussu Junge Jacobs Gardingam vocor, cui crastino die adero. Quid ille sit animi et consilii, explorabo, modo ne denuo actum agam et tandem molestiis enecer. Experiar tamen adhuc semel, nam τὰ δὲ μὲν θεὸς ὄψεται. Iterum vale.

T.P.

Samme til samme, Skt. Peter, 1610.

Nistorius har ikke truffet Junge Jacobs i Garding, men han har forstøet, at denne vil have ham til at anlægge sag for æreskrænkelse med sine modstandere. Han ved ikke, hvad han skal gøre, men vil ikke foretage sig noget uden stallerens og provstens råd og billigelse. Endvidere vil han gerne vide, om kapellanen fra Osterhever har fået stadfæstelse (cf. 387), og siger om ham, at han i sin tid ikke kunde antages som skolelærer i Tetenbüll, da han ikke kunde så megen latin, som der kræves af en landsbyskolelærer. Brevet slutter med en klagesang og bøn til provsten om at give ham håb; der medfølger nogle fisk som gave.

390

Ad eundem.

S. per Jesum Christum. Reverende et clarissime D. Præposite, nudius tertius literas Reverendæ Dignitatis Tuæ Gardingæ accepi et ago gratias quam maximas pro responsione, relaturus aliquando re ipsa, si potero, cumulatissime. Reverenda Dignitas Tua adhuc scire cupit, quid Junge Jacob mecum egerit. Nihil sane, nam me nondum convenit, quamvis ejus gratia nudius tertius Gardingæ essem. Nuntius perperam intellexerat, ideo me fefellit. Ut intelligo, vult et cupit Junge Jacob, ut contra adversarios actionem injuriarum instituat, nam sibi ab illis (ut referunt) metuit, ut ita me istos in judicium vocante, ille post correctam latere et delitescere posset. Hujus vero quid facturus sim, adhuc curis confectus ignoro. Absque Magnifici Domini Præfecti et Reverendæ Dignitatis Tuæ auctoritate et consilio hanc telam non exordiar. Deus faxit, ut non sit necesse. Scire jam vehementer cuperem, num Osterheveranus iste a Magnifico Domino Præfecto et Reverenda Dignitate Tua confirmationem obtinuerit, quod nisi inter tot gravissimas occupationes Reverendæ Dignitati Tuæ molestum esset, ut mihi uno aut altero verbo significaretur, etiam atque etiam rogo. Certe, clarissime Domine Præposite, ille minus idoneus ab omnibus, quibus notus est, censetur. Er hatt bei lebzeiten meines gottseligen Vateren nit können zu Tetenbüll für einen Schulmeister und Cüster angenommen werden, den er nit so viell Latein gewust, also einem Dorff-Schulmeistern eigenet und gebüret zu wissen, wie dessen Zeugnisse noch fürhanden. Si nondum facta est confirmatio, rogo das zu observieren. Wan die von Cathrinharde werden ferner anhalten, das ihnen mügte geantwortet werden, sie solten in specie Junge Jacobs, seines Sohns und Boe Avetes schimpfflichen schein und zeuchnuss bringen, das sie für sich auch die Confirmation suchen und begehren. Wan solches von den adversanten begert, werden sie velleichte dis mit zuwegebringen und zeigen können. Brevis sum, ne Reverendam Dignitatem Tuam alias satis gravioribus negotiis occupatam intempestive interpellasse videar, quod ut Reverenda Dignitas Tua pro solita sua in me humanitate mihi ignoscere velit, vehementer contendo. His $\chi\alpha\tau\rho'$ $\omega\varsigma$ $\mu\acute{\epsilon}\gamma\iota\sigma\tau\alpha$, $\chi\alpha\tau\rho\epsilon$. Ad Divum Petrum ad tristes et ad nauseam usque cornelizantes arenæ fodinas anno ultimæ patientiæ, fortissimæ vero consolationis 1610.

Mæstum (triste quidem scriptu) proh! flebile carmen
nunc meditor, lacrimis si quid et ulterius
enthea vis omen vertat, si forte necesse est,
mecum lugebunt ex Helicone Deæ.

Si potes (o utinam posses), spes redde salutis;
 si spes nulla, tamen spes mea firma manet.
 Mitto pisciculos, quos vidi litore vivos,
 Phoebus heri quando mergere vellet equos.
 Consule, quæso, boni, donantis respice mentem;
 maxima mens offert munera, parva manus.

389

Theodor Pistorius til Johannes Thomæus, Skt. Peter, maj 1610.

